




Historia vitae

Sanctorum

Thomae a Villanova,

Thomae Aquinatis

et

Laurentii Justiniani

in usum Cleri proposita

ab

Ignatio Feigerle,

SS. Theologiae Doctore, caes. reg. Capellano aul., Theologiae past. in caes. reg. scientiarum Universitate Vindob. Professore p. o. etc.

Emolumento instituti presbyterorum saecularium infirmorum ac deficientium Viennae erecti.

Viennae.

Sumtibus Francisci Wimmer.

1829.



In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros.

2. Cor. 6, 4.

Celsissime Princeps,

Reverendissime Archiepiscope!

Singularis illa ac vere paterna, qua omnes, quotquot *Tibi*, *Celsissime Princeps-Archiepiscope*, concreditae sunt, amplecteris oves, sollicitudo effecit, ut nec sacerdotum infirmitatibus languentium ac senio vel quocumque demum defectu curae animarum nocivo pressorum obliviscereris. Proprio praefulgens exemplo instituti pro excipiendis ac fovendis illis sacerdotibus Viennae erecti supremam

titulo *Protectoris* voluisti suscipere curam ac gravi cunctos Archidioeceseos *Tuae* sacerdotes, ut instituto illi auxilio essent, hortatus es sermone. Jam hisce *Tuis*, *Praesul Celsissime*, charitatem nonnisi spirantibus, in quantum fragilitas mea admittit, satisfacturus votis, sermones meos ad membra sublimioris presbyterorum saecularium educationis instituti ad S. Augustinum Viennae habitos vul-

Celsissimo

Illustrissimo ac Reverendissimo

Domino Domino

Vincentio Eduardo Milde,

Dei et Apostolicae Sedis gratia Principi Archiepiscopo Ecclesiae Metropolitanae Viennensis,

Insignis Caesar. Austr. Ordinis Leopoldi Imperatoris Magnae Crucis Equiti ac Praelato; Unionis Leopoldinae pro sustentandis in America septemtrionali Missionibus catholicis, nec non Societatis de cura parvulorum Praesidi, Instituti nosocomici pro sacerdotibus Protectori, SS. Theologiae Doctori, Societatis ad promovendam rem technicam in regno Bohemiae ac Societatis Musaei Bohemici Societatisque agrariae in Austria Membro etc. etc. etc.

in

profundissimae venerationis monumentum summa cum devotione

D. D. D.

Praefatio.

Tempore, quo ex Altissima Sacratissimae Suae C. R. Majestatis, Imperatoris Francisci I., cujus memoria in benedictione, gratia in sublimioris presbyterorum saecularium ad S. Augustinum Vindobonae educationis instituto directoris spiritualis munere me fungi contigit, inter cetera historias S. Thomae a Villanova, Archiepiscopi, S. Thomae Aquinatis, Doctoris Ecclesiae, S. Laurentii Justiniani, Patriarchae Veneti, in consuetis sermonibus vespertinis lustravi, additis, habito ad meditationes quotidianas et exercitia spiritualia, bis per annum recurrentia, respectu, quae in aedificationem auditorum meorum cedere videbantur. Historiam ipsam deprompsi maximam partem ex Actis Sanctorum, a presbyteris Theologis e Societate Jesu ex latinis et graecis aliarumque gentium monumentis collectis, digestis, commentariisque et observationibus illustratis, Venetiis editis, retentis saepissime iisdem verbis, mutato solummodo hinc inde, prout opus erat, ordine et omissis, quae ad propositam rem non faciebant.

Deo Patri luminum, a quo omne donum perfectum descendit *), laus, honor et gloria, qui conatibus meis benedicere dignatus est, ita ut, me non frustra laborasse, pie confidam.

Post tres annos, infirmitate quadam saepius recurrente pressus, ut liceret mihi muneri directoris spiritualis in praefato instituto valedicere, petii ac impetravi. Jam cum, statu rerum ita mutato, majori me otio frui datum esset, orationes meas in instituto ad S. Augustinum habitas denuo relegere non abs re fore arbitrabar, eum praecipue in finem, ut si quid in illis fratribus meis in Christo sacerdotibus gratia divina adjuvante prodesse posset, eas desiderantibus quibusdam instituti praedicti membris atque annuente ejusdem instituti Superiore (Reverendissimo ac Illustrissimo Domino Mich. Joan. Wagner, h. t. Episcopo S. Hyppolitano) publici juris facerem.

En, lector benevole, originem hujus operis. Non te latet vis exemplorum. Lege itaque illud, lecta recole, imitare!

Vindobonae, die 3. mensis Decemb. 1836.

*) Jac. 1, 17.

gare decrevi, *Tuoque* ut opusculum istud dedicari *Nomini* benignissime concederes, enixe petii. Pro summa, qua polles, *Archipraesul Gratiosissime*, in omnes, praeprimis Ecclesiae ministros, *Humanitate* ac *Clementia*, nec minore flagrans *Zelo*, tuendis piis pusillorum quoque pro salute fratrum conaminibus gloriam Dei augendi, majoraque ingenia excitandi, humillimis precibus meis annuere dignatus es.

Qua de causa exultans gratias *Tibi*, *Clementissime Princeps*, ago maximas atque profundissima cum veneratione ac filiali cordis affectú perenno

Illustrissimae ac Reverendissimae
Celsitudinis Tuae

obedientissimus auctor.

Historia vitae

Sanctorum

Thomae a Villanova,

Thomae Aquinatis

et

Laurentii Justiniani.

Historia
vitae Sancti Thomae
a Villanova, Archiepiscopi.

I. S. Thomae a Villanova nativitas et transacta pueritia.

1. Sanctus hic antistes, perpes Valentinae ecclesiae gloria et eximium celeberrimi ordinis eremitarum S. Augustini decus, in lucem editus est in Hispania anno reparatae salutis 1488. (moderante Ecclesiam Innocentio VIII. Pontifice, Friderico III. Imperatore, regnantibus in Hispania Ferdinando et Isabella) et quidem in castro Fontisplani vulgo Fuellana nuncupato, quo parentes ejus pestis causa Villanova secesserant, medio circiter milliari dissito ab oppido Villanova de Infantibus, in quo S. Thomas educatus fuit, quodque ipse cognomento suo celebre reddidit. Accidit frequenter, ut Deus electis suis, qui in Ecclesia sanctitate aliquando futuri sunt insignes, parentes concedat majoresve pietate atque virtute insignes, ut filiorum sanctitas, (prout ait S. Ambrosius) a majoribus accepta ac haereditario quodam jure a decessoribus acquisita, majore splendore et gloria effulgeat. Quam divinae providentiae dispositionem etiam in vita S. Thomae observare licet. Majores ejus omnes fuerunt de gente praecipua, a popularibus suis honorati, divites, veteres christiani ac sanguine prorsus intaminato nati. Patrem nactus est noster Thomas Alphonsum Thomam Garcia, matrem Luciam Martinez, Castellanos, non tantum genere illustres ac divitiis affluentes, verum etiam religione, pietate, charitate, praeprimis autem misericordia in pauperes praeclaros.

Placeat Vobis, fratres, pauca quaedam, e vita illorum deprompta, in dictorum documentum excipere! Inter ceteras facultates ac fortunae bona, a Deo illis concessa, molendinum quoddam ipsis erat. Omnis autem farina, inde eis proveniens, singulis diebus Jovis ad eorum aedes advehebatur atque diebus Veneris, partim in panem redacta, partim, ut erat, pauperibus distribuebatur. Insuper praecipuis festivitatibus panem, vinum, ligna, pecuniamque iis destinabant, qui egestatem suam palam fieri erubescebant, sepositusque erat semper in ipsorum aedibus corbis, panis fragmentis instructus, pro singulis egenis ad fores eorum accedentibus, ita ut nemo absque stipe recederet. —

Solebat quoque S. Archipraesulis nostri genitor agricolis tenuioris fortunae triticum ad seminandum largiri mutuum, ea conditione, ut facta messe absque ullo lucro illud restituerent. Quodsi autem restitutio omittebatur, non idcirco urgebat eos aut affligebat, imo, si pauperiores essent, benigne condonabat. Eadem pietate utebatur erga homines honestos, qui, necessitate pressi, mutuam pecuniam expetebant, hancque sanctam consuetudinem servavit per integrum vitae decursum. Illo autem ex vivis sublato in eodem charitatis exercitio pergebat uxor ejus Lucia, quae erga omnes promiscue pauperes et egenos, populares aeque ac exteros, ea ducebatur charitate, ut illis praeter alia vitae subsidia pannum, telas, imo tunicas vestesque, quas ipsa in corpore suo gerebat, praesertim hebdomada sancta, largiretur, unde, dum in vivis ageret atque post mortem, Eleemosynariae nomine compellari meruit.

Utinam omnes, quibus Deus facultates concessit,

hocce parentum Thomae misericordiae in pauperes ac egenos exemplum imitarentur! Pauperes semper habebitis vobiscum, ajebat Salvator, (Marc. 17. 7.) significans, exercendae erga pauperes charitatis occasionem nunquam defuturam. Nostris quoque temporibus pauperes existunt, imo in dies numero crescunt et, quoniam paupertas meretrix est, etiam vitia multiplicantur, ipsique pauperes ac egeni, sorte sua non contenti, murmurant, invidos in fratrum divitias oculos conjiciunt atque, jus omnibus aequale in terrae bona praetendentes, quod fortuna denegavit, vi quoque ac seditione hic illic obtinere conantur. Jam quomodo tot et tantis malis succurrendum? — Fontes obstruendi. — Homo ad laborem est destinatus; otium — pulvinar diaboli. Hinc curandum, ne unquam mercenariis, opificibus, ceterisque, qui artem manuariam tractant, honesta occupatio talisque, qua necessaria vitae lucrari possint, congruumve famulis famulabusque desit ministerium. Qui egenis quaestum, famulis ministerium, opificibus instrumenta artis procurat; qui agricolis ceterisque incendio, inundatione, morbis aliisque infortuniis ad incitas redactis, pro adjunctorum varietate, pecuniam, frumentum ad seminandum vel ad victum necessarium mutuum dat, nullasque aut exiguas tantum usuras exigit: opus edit misericordiae, non minoris momenti, quam si esurientibus cibum, sitientibus potum praeberet, nudos vestiret, peregrinos hospitio exciperet. Illorum autem, qui laboribus impares sunt, uti infantes, senio confecti, morbis afflicti, plenaria cura habenda. Si in quavis parochia viri existerent ac mulieres, qui ad exemplum Alphonsi Garcias ejusque uxoris pauperibus, non

illis tantum, qui ad fores accedunt, sed iis quoque, qui palam fieri paupertatem suam erubescunt, pecuniam et (quod saepius praeferendum) farinam, panes, vinum, ligna, pannum, vestes distribuerent: o quam felix esset conditio hominum, quanta tranquillitas reipublicae, quam contenti sorte sua pauperes ac egeni! Itaque nos saltem, fratres dilectissimi, non cessemus, bono praeeuntes exemplo, fideles hortari ad exercenda opera misericordiae; hinc et omnes sodalitates pauperibus ac egenis subvenientes, praeprimis autem publicum pauperum institutum, cujus moderatores sumus, singulari amore ac studio foveamus. Cum enim tristi experientia teste multa ex mendicitate mala in salutem quoque publicam proveniant, legibus patriis sapientissime cautum est, ne pauperes ad fores accedant, sed necessaria ab instituto pauperum obtineant. Hocce unice modo digni distinguuntur ab indignis, otio aliisque vitiis illud comitantibus porta occluditur, miser pauperum status modo vere christiano sublevatur efficiturque, ne frustra egeni petant, imo petentes injuriis, convitiis, indignationi hominum rudium, malevolorum, irae ac avaritiae deditorum exponantur.

2. Quoniam autem vera erga proximum charitas semper charitati erga Deum innititur: Lucia charitate in Deum plena, hinc admodum religiosa, solitudini et orationi addicta, frequenti sacramentorum usui dedita, in meditatione exercitata adeoque flagrantis erat spiritus, ut suavitates illas spiritualesque delicias, a Deo hominibus, quorum conversatio in coelis est quorumque animae amore languent divino, tribui solitas, ipsa quoque experta fuerit. Quam animae ejus devotionem declarabant

omnes actiones externae, ipse sese vestiendi modus, voluntariae corporis afflictiones, jejunia multa, labores continui orationibus conjuncti, et ut tribus verbis rem comprehendam, Lucia tantis virtutum christianarum cumulata erat ornamentis, ut Thomas, de matris suae pietate, devotione, spiritualibus exercitationibus inter amicos peculiares sermonem instituens, Augustinum, de Monica matre disserentem, exprimere videretur.

Et quis equidem, quaeso, talem non dilaudet feminam! Sic vera erga Deum charitas semper charitati in proximum juncta, vera pietas nunquam est otiosa; sincerum virtutis studium austeriorem vitae rationem, castigationem corporis, jejunium nunquam reformidans. Quid autem dixeris de iis, qui, charitate in Deum gloriantes, proximum contemnunt? Quid de iis, qui satis fecisse putant, si quotidie certas orandi formulas, mente licet distracta, recitaverint, quavis septimana, etsi in eadem semper peccata relabentes, ad mensam Domini accesserint? Quid de iis, qui anhelant quidem gaudia coeli, viam crucis autem incedere detrectant, jejunia, afflictiones corporis mortis instar reformidant? Hi mendaces sunt; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? (1. Jo. 4, 20.) Hi speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt (2. Tim. 3, 5.), fucatis quibusdam sensionibus religiosis plus quam operibus ex fide fidentes; hi mollibus, effeminatis adnumerantur, qui in incertum currunt, quasi aërem verberantes pugnant (I. Cor. 9, 26.). Hos, o sacerdos, devita (2. Tim. 3, 5.), castiga vero corpus tuum et in servitutem redige, ne forte, cum aliis praedi-

caveris, ipse reprobus efficiaris (I. Cor. 9. 27.); ora et labora, charitatemque tuam non verbo tantum et lingua, sed opere quoque ac veritate (I. Jo. 3, 18.) demonstra. —

3. Secundum communem hominum observationem boni plurimum debent parentibus suis, praeprimis autem matri. Quid jam a tam piis parentibus et in specie a tam religiosa matre in educatione Thomae, optimae indolis pueri, exspectandum? — Pii parentes filium Thomam in timore Dei sicque educarunt, ut jam cum lacte, ut ita dicam, virtutem suxisse videretur; ab incunabulis enim angelica puritas, obedientia erga parentes, modestia ac gravitas morum, devotionis sensus, charitas in pauperes in eo enitebant. Etsi comis esset erga omnes, solitudine tamen mire delectabatur, inanes puerorum nugas refugiens, verborum parcus; oculis solo fere semper defixis incedebat et jam in tenera illa aetate cilicio, flagellis, jejuniis in corpusculum suum saeviebat. Horas litterario labore vacuas inter sacros templorum parietes traducebat, aut orationi incumbens aut sacerdotibus rem divinam facientibus inserviens. Diebus dominicis ac festis conciones, quae in ecclesia ejusdem loci aut in monasterio S. Francisci habebantur, puer frequentabat magnaque attentione excipiebat; post prandium vero pueros e vicinia et ex eadem oppidi parte, quos poterat, convocabat, ac sermonem, quem exceperat, e loco sublimiori sonora voce, aptissima actione tantoque spiritu ac fervore coram iis repetebat, ut grandiores quoque et provectioris aetatis homines auditum accurrerent, Deum laudarent, sermoque absolveretur aliquoties non sine multis tum dicentis, tum auscul-

tantium lacrymis. Sanctissimae Dei genitricis amorem (inter piae matris blandimenta feliciter haustum) novis in dies augebat incrementis, adeo, ut ab ejus aris divelli vix posset. Praeprimis autem tunc jam fervens illa in Christi pauperes charitas et misericordia, qua s. antistes adeo excelluerat, sese prodebat. Ipse enim, quantum poterat, pauperibus largiebatur, et quod ipse non poterat, a parentibus praestari enixe rogabat. Sic in scholam perrecturus domi jentaculum sumere recusavit, sed corbulae impositum, aedibus egressus, egeno primum obvio dispensabat, jejunium ipse servans, donec e schola domum reversus ad prandium vocaretur. Aegrotos in nosocomio munusculis recreabat. Mense Augusto, quoniam patri messis ampla erat messorumque copia, cum juberetur hisce ferre jentaculum ac prandium, magnam hujus partem (nemine advertente) pauperibus tribuebat, spicilegii causa illuc adventantibus; et, quamquam magnam ejus, quod domo ad messores asportabat, partem inter egenos distribueret, omnibus tamen abunde sufficiebat semper, ita ut nunquam vel minimus defectus observaretur. Dum ad fores aedium paternarum advenirent mendici, invitabat omnes, ut eis eleemosynam impertirentur, quibus, si non statim succurrebant, cibum ipse suum porrigebat. Die quodam, dum mater una cum ancillis, domo abiens, panis ac cellae penariae claves abstulisset, ad fores advenerunt mendici aliquot eleemosynam rogitantes. Videns Thomas, nihil eis dari per famulam domi relictam, quoniam clausa erant omnia, adiit locum, ubi gallina fovebat pullos sex, ac singulos singulis pauperibus impertivit. Mater domum redux, istud intelligens, rogavit Thomam, cur

pullos erogasset? Quia, reposuit ille, nec decebat nec sustinebat cor meum, pauperes eleemosynam flagitantes vacuos abire; cum autem obserrata essent omnia nec, quod daretur, esset quidquam praeter pullos, hos dedi, daturus gallinam quoque, si plures, quam isti, advenissent egeni. Saepe hiberno tempore domum revertebatur modo absque calceis vel tibialibus, modo absque tunica, pallio, thorace, sibi, dum puerum seminudum et frigore adstrictum videret, facultatem deesse asserens, non dandi vestes suas eumque cooperiendi. Die quadam in media hyeme, quum esset apud vicinum ex adverso domus paternae, illuc advenere pueri aliquot fere nudi, trementes frigore ac sibi afferri subsidium flagitantes. Thomas, nihil eis in domo ista impertiri cernens, ad se eos vocavit, atque uni tunicam largitus est, thoracem alteri, tertio tibialia atque ita seminudus domum repetiit. Cum mater sic redeuntem conspiceret et increparet, reposuit infans: Statue de me domina parens, ut lubitum fuerit et poenam, quam volueris, sumito; novit autem Dominus, mihi pauperculos istos nudos et algore tremulos videnti impossibile fuisse secus facere. Dissimulans bona mater, oculos in imaginem Salvatoris conjiciens, Dominum laudabat, quod ei filium tam pium et misericordem concesserit. Die altera domo egressus novas, quibus tunc induebatur, vestes cum laciniosis sordidisque pauperis pueri commutavit, subdens: has sibi, illas pauperi melius congruere. Quodsi interdum nec nuditate propria nec fame miserorum hominum incommoda avertere poterat: eorum causam apud parentes patroni instar agebat, ejusque precibus ac lacrymis facile debitores absolvebantur.

Hasce virtutes ac prudentem honestamque agendi rationem cum vicini et familiares in puero observassent, admiratione perculsi unanimi voce dicebant: Vere puerulus iste aliquando vir egregius et sanctissimus evadet! quod et eventus comprobavit.

Quaeris, num hae actiones Thomae virtutis laudem an non potius reprehensionem ac vituperationem mereantur? Quis enim, dicis, laudaverit puerum morosum, societatem, ludos puerorum refugientem, homines aspicere nolentem, loqui recusantem, solitudinis amatorem? Quis laudaverit puerum contra legem naturae, imo contra praeceptum ecclesiae, jejuniis in corpusculum suum saevientem sicque incrementum corporis sui impedientem? Quis laudaverit puerum, insciis parentibus, pullos gallinae adventantibus egenis, vestes pueris, cibos, messores defraudando, spicas colligentibus distribuentem? Profecto haec cum lege justitiae, cum reverentia et obedientia parentibus debita conciliari nequeunt. Quodsi autem quaedam actiones respectu materiae bonae esse videantur, quaenam, dicis, puritas iis inest? Quonam ex fonte fluunt, quanam intentione fiunt? Caeca parentum exempli imitatio, naturalis quaedam animi benignitas ipsum impellit adeoque omne meritum morale actibus ejus adimit. —

Haec facile resolvi possunt. Morosus Thomas non erat, sed, ut dictum est, comis, affabilis erga omnes; nugas, non vero societatem puerorum, fugiebat, ipse enim ad audiendum sermonem pueros convocabat; solitudinem studiorum causa adamabat; omnique ipsum interroganti mira oris suavitate respondebat, a petulantia autem puerorum alienissimus. — Ecclesia quidem fideles ad servandum jejunii prae-

ceptum ante transactum vigesimum primum aetatis annum non obligat; verumtamen ideo junioribus non interdicit jejunare; bonum enim est, si quis jugum ab adolescentia sua portaverit. Ne autem pueri jejunium, modum excedens, sanitati ac incremento corporis noceret, certe parentes cavebant. Ipsissimi liberalitatem pueri scivisse ac probasse censendi sunt (sicut etiam historia vitae divi Thomae testatur), cum ipsi, quod Thomam agere oporteat, exemplo suo docuerint, nunquam Thomam ob talia opera punientes, potius Deo pro sobole tam pia et misericorde gratias agentes. Nec messores defraudabantur, quoniam semper, Deo benedicente, cibi eis ad sufficientiam erant. Habeat porro in eleemosynis á Thoma datis suas quoque partes naturalis ejus animi benignitas ac vis exempli parentum; attamen illas ex sola animi benevolentia caecaque quadam exempli parentum imitatione profluxisse nequaquam dixeris. Ubi enim tanta in pueris temperamenti vis, ut sponte jentaculo renuntient, ut nitidas vestes cum sordidis commutent, imo exutas affatim aliis donent? Gratia Dei operabatur in puero atque amor Dei, quem animo ipsius parentes tum verbis, tum exemplis instillabant, radix praecipua, principalis causa actionum ejus fuit.

Utinam omnes nostrorum temporum parentes prolibus suis verbo et exemplo huncce in Deum amorem instillarent! Utinam omnes proles suas devotionis suae testes facerent, una cum ipsis preces matutinas et vespertinas, preces ante et post mensam persolverent, una cum ipsis templum Domini intrarent, verbum divinum audirent, ac tenerum illum pietatis in Beatissimam Virginem sensum in illis nu-

trirent! Hoc enim modo optime servandae ab illis puritati mentis ac corporis, praestandae ab illis obedientiae ceterisque virtutibus consulerent. Moneamus itaque, fratres, in institutione, praeprimis privata, parentes, ne unquam educationem prolium religioso-moralem negligant, sed hanc praecipue cordi habeant ac exemplo suo promoveant.

II. S. Thomas discipulus et magister.

Primis aetatis suae annis in patria commoratus est Thomas, ibique litterarum, praeprimis linguae latinae, rudimenta suscepit, ingenio usus prompto, firmo, perspicuo atque ad majora subsequentibus temporibus capessenda perquam idoneo, jucunda quadam oris suavitate jam tunc excellens. Jam vero tantae exspectationis indoles patriae confiniis satis haesisse parentibus visa est. Cum igitur Thomas annum aetatis suae decimum 5tum vel 6tum attigisset, parentes eum Complutum miserunt, ut in celeberrima illa scientiarum omnium academia ingenium suum exerceret atque vir plane insignis evaderet. — Conceptam a parentibus suis exspectationem brevi temporis intervallo non aequavit tantum, sed et vicit Thomas. Exiguo enim tempore linguae et eloquentiae latinae factus est magister multumque etiam profecit tam in artium liberalium, quam in S. Theologiae studio. Erecto interea a Cardinale Francisco Ximenio, archiepiscopo Toletano, academiae Complutensis collegio, S. Ildephonsi nomine insignito, absque ulla difficultate inter primos ejus alumnos adscriptus est. Finito studiorum cursu gradum fecit ad artium magisterium et Theologiae licentiam, et mox (quia tam nota ac evidens erat singularis ipsius eru-

ditio) in insigni illa academia artium cathedra donatus est anno millesimo quingentesimo decimo 4to, aetatis suae circiter vigesimo 6to, ibique philosophicas ac theologicas quaestiones (per cursum) discussit summo plausu nec minori fructu auditorum certatim confluentium, inter quos praeclara illa Hispaniarum lumina, Ferdinandus de Euzinas ac Dominicus Soto numerantur. —

Porro, ut ingenii et eruditionis fama, sic morum honestate academiam Complutensem Thomas a Villanova, tum qua alumnus collegii Ildephonsini, tum qua magister publicus illustravit, ita quidem, ut Joannes de Vergara (vir eruditione et dicendi praestantia inter celeberrimos, quos habuit ista universitas) publice de probis alumni Thomae a Villanova moribus sermonem instituerit eosque in concionibus suis ad exemplum proposuerit, summa cum audientium admiratione, tamquam si verba faceret de sancto jam tunc canonizato.

Studebat autem Thomas praeprimis animae puritati, modestiae, humilitati, mansuetudini ac misericordiae in pauperes. Probe enim intelligens Thomas, et succrescentis aetatis fervore et academicorum juvenum consortio multiplicari pericula, diligentiori custodia usus, vias omnes obstruxit, unde virginalis *innocentiae* candori damnum oriri posset. *Humilitate, modestia, mansuetudine* ita excelluit, ut nec, cum discipulus esset, coram magistris aut aliis studiosis, nec, cum esset magister, coram auditoribus suis, nec, cum praesideret aut argumentaretur in aliquibus actibus, audita fuerit ex illo vox ulla adversus doctores alios vel magistros, quae vel in minimo laederet quempiam. Qua magister in auditoribus suis

excitare quoque satagebat studium virtutis, modestiae, humilitatis, honestatis et hortabatur ad frequentem sacramentorum usum. Quae porro fuerit sanctissimi viri per ea tempora, quibus Compluti morabatur, *in pauperes munificentia*, non est, cur pluribus prosequamur, quandoquidem ex iis, quae puer in patria degens egit, plus quam satis colligi possit; in ipso enim majora semper misericordiae, quam aetatis, fuere incrementa. Hoc autem silentio praeterire piaculum foret, quod patre e vivis sublato accidit. Tristi enim nuntio accepto mox Villanovam concessit Thomas, ut probum decebat filium, bonorum omnium paternae haereditatis jure in se devolutorum rationem initurus ac matri futurus solatio. Sed ea pauperum verius, quam filii haereditas fuit, postquam in tam munifici dispensatoris manus incidisset. Visa enim donatione a patre supra haereditatem sibi facta, matre in sententiam suam praevie adducta, bona ita distribuit, ut, paucis ad matris suique commodum reservatis, domum paternae contiguam in publicum nosocomium translatam vellet; omni aere proprio ditatum supellectili, et quod patrimonii reliquum esset, alendis nobilibus puellis in pauperiem actis integrum destinaret; tum, veluti sarcina deposita, Complutum reversus consuetis academiae exercitationibus animum adjecit.

Ob hasce virtutes et doctrinae praestantiam adeo in amoribus erat Thomas tam magistris, quam studiorum alumnis, ut simultates ac dissidia multa, quae per graviores academiae Complutensis doctores componi non poterant, ipse amore et veneratione, qua erat apud omnes, prudentique agendi modo componeret ac sedaret; imo fama doctrinae ac virtutum

Thomae a Villanova tanta fuit, ut rector ac magistri universitatis Salmanticae, nemine repugnante, scientiarum naturalium cathedram, tunc temporis vacantem, Thomae nec petenti optima conditione obtulerint.

Jam hic, moram facientes, paululum reflexionibus locum demus.

Deus Thomae optimos parentes concessit, ipseque, omni modo in scientia ac virtute proficiendo, gratum erga illos animum demonstravit. Anne vero inter nos, fratres, inveniri quis potest, qui nactus non esset parentes vere christianos, charitate erga Deum et proximum ferventes, pios, religiosos, cultui divino deditos, in pauperes misericordes? Anne inter nos diffiteri quis audeat, se praeter Deum, cujus gratiae et misericordiae omnia in acceptis referimus, fidei suae firmitatem, virtutis amorem, pietatis sensum primae parentum, matris praeprimis, institutioni, monitioni ac exemplo plurimum debere?*) Ab incunabulis enim curam nostri gerentes, quotidianis in precibus Deo immortali ac invisibili, Patri optimo, nos commendantes ac de novo quasi offerentes, novas nobis quotidie gratias non sine multis lacrymis efflagitabant; quodque propriis eorum viribus ad ingenium nostrum excolendum moresque fingendos deerat, per magistros, nulla impensorum habita ratione, supplere curabant; ideo huc illuc ad literarum palaestras, lycaea, universitates nos mittebant, nil amplius desiderantes, quam ut, numero clericorum adscripti, hostiam immaculatam Deo Pa-

---

*) S. Geschichte der Religion Jesu Christi. Von Fr. Leop. Grafen zu Stolberg, fortgesetzt von Fr. v. Kerz. 23. B. S. 228—230.

tri offeramus, sollicitam ovium curam geramus, Deo soli serviamus. Jam quis nostrum foret, qui tanti parentum suorum amoris, quotidianae eorum sollicitudinis, continui laboris, vigiliarum obliviscatur? Quis, qui non laudet Dominum eique pro tanto beneficio gratias agat? Quis, qui non diligat parentes suos gratumque erga illos animum gerat, qui illorum in quotidianis precibus et incruento Missae sacrificio non recordetur, ipsis auxilio aut saltem solatio esse non cupiat? Optime autem divum Thomam imitabimini, fratres, si omnem in id operam impenderitis, ut necessarias pro conscendenda hac illave scientiarum cathedra cognitiones vobis comparetis et studium virtutis obfirmetis, et si aliquando, cathedra conscensa, summi hominum boni memores, omnem scientiam religioni ac virtuti junxeritis, plurimum curantes, ut discipuli non tantum in literis, sed in virtute quoque ac pietate proficiant, ac proinde nulla occasione, religionis ac virtutis amorem animis auditorum instillandi, praetermissa, ipsi exemplo verae pietatis, prudentiae, modestiae, humilitatis et mansuetudinis praeiveritis.

O deplorandam illam juventutem, quae vera fide imbuta, integra vitae, domum paternam, ad scientiarum palaestram migrando, deserit, illamque fide amissa vitaque in pejus mutata repetit! O deplorandam illam juventutem, quae inter scholarum strepitus non tantum, pravis sociorum moribus infecta, in devia abripitur, verum etiam ex ipsius ore magistri venenum infidelitatis haurit*), vel saltem ipsius

*) Wilhelm von Schütz in Dr. Benkerts allgemeinem Religions- und Kirchenfreund und Kirchencorrespondenten v. J. 1833. VI. J. 1. Hft.

exemplo, quantum scientia proficit, tantum pietate deficit, superbia intumescit. O deplorandam illam juventutem, cui ipsissimi magistri duces coeci sunt, imo seductores! — Pericula, quae juvenibus academicis parantur, sunt, ut uno omnes ore experti confitentur, sat multa ac grandia. Mala exempla corrumpunt mores. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Gal. 5, 9. Ubivis fere locorum sunt quidam juvenes impii, scelerati, inobedientes, ebrietati dediti, luxuriosi, impudici, qui alios diabolico consilio pravis principiis imbuere, in occasiones malas inducere, eorum temperantiae, pudicitiae, castitati insidias parare, sicque eos pervertere conantur. — Sitis, fratres, non tantum magistri, sed et custodes discipulorum vestrorum, patres, amici, benefactores, — doctrinam sanam ipsis tradentes, moribus eorum invigilantes, humilitate, mansuetudine, paterna charitate fiduciam illorum vobis comparantes, ad omne virtutis studium, frequentem sacramentorum usum illos hortantes, et omnia seductionis pericula pro viribus removentes, inopes, pauperes, quantum fieri poterit, juvantes. — Sic officio vestro apprime satisfacietis multamque vobis discipulorum, collega-

S. 13. (in den Bruchstücken, seinen religiösen Entwicklungs-Gang betreffend) sagt: „Nun denke man sich einen Knaben, der seine Lehrer wahrhaft ehrte und liebte; ehrte, weil sie so unendlich mehr wußten; liebte, weil sie sich Mühe gaben, ihm ihre Wissenschaft beyzubringen und für seine Geistesausbildung zu sorgen, der aber von jenen nämlichen Lehrern bey jedem Anlasse Spott über Religion und Christenthum hören mußte." S. 14. Kurz ich behandelte sie ganz, wie die erste Liebe den geliebten Gegenstand. Aber nichts gefiel ihnen mehr, als ein Spott über die Bibel, die Religion und Christus."

rum, aliorumque hominum venerationem ac fiduciam comparabitis. *)

III. S. Thomas religionem ingreditur.

Omnia quae in mundo sunt, vana, transitoria, fugacia, fallacia sunt. Testis est Salamon, terrigenarum omnium felicissimus. „Magnificavi opera mea, (ait ipse Eccles. 2, 4. seq.) aedificavi mihi domos, et plantavi vineas. Feci hortos et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus; et instruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium; possedi servos et ancillas multamque familiam habui; armenta quoque et magnos ovium greges ultra omnes, qui fuerunt ante me in Jerusalem; — coacervavi mihi argentum et aurum et substantias regum ac provinciarum; feci mihi cantatores et cantatrices et delicias filiorum hominum, scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda — et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem; — sapientia quoque perseveravit mecum; et omnia, quae desideraverunt oculi

*) Dr. Aug. Theiner narrat in praefatione ad opus: Geschichte der geistlichen Bildungsanstalten p. XXXVIII. et XXXIX. de suo olim professore (Köhler) Wratislaviae: „Die Liebe dieses Mannes, welche ich und mein Bruder später so schmählich verkannten, verließ mich nie, obschon er auch selber vom theologischen Lehrstühle herab noch in einem Alter von 86 Jahren gegen uns und unsere geistige Richtung kämpfte. — — — — Ich erinnere mich seither stets mit großer Freude, wie derselbe würdige Mann einmahl meine liebe Mutter, eine Frau von wahrhaft altem Glauben, zu sich rufen ließ, und sie in den herzlichsten Ausdrücken ersuchte, doch uns beyden recht ans Herz zu sprechen, und uns von der gefährlichen Bahn, welche wir betreten hatten, zurückzurufen, da ja eine Mutter, wie sie, so viel vermöge.“

mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur et oblectaret se in his, quae praeparaveram. Cumque me convertissem ad universa opera, quae fecerant manus meae, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi et nihil permanere sub sole.“ Et (Eccles. 1, 2.): „Vanitas vanitatum et omnia vanitas.“ Eadem verba repetiit auctor libri de imitatione Christi*) dicendo: Vanitas vanitatum et omnia vanitas praeter: amare Deum et illi soli servire. Vanitas est, divitias perituras quaerere et in illis sperare. Vanitas est, honores ambire et in altum se extollere. Vanitas est, carnis desideria sequi et illud desiderare, unde postmodum graviter oportet puniri. Vanitas est, praesentem vitam solum attendere et, quae futura sunt, non praevidere. Vanitas est diligere, quod cum omni celeritate transit et illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet. —

Haec et alia hujusmodi mente revolvens Thomas ac Pauli apostoli (qui propter eminentem scientiam Jesu Christi omnia detrimentum fecit et arbitratus est ut stercora (Philip. 3, 8.) exemplum prae oculis habens jam tunc temporis, quando cathedra scientiarum naturalium in universitate Salmantica illi offerebatur, de nuntio rebus humanis mittendo cogitavit. Quapropter, gratiis rectori ac magistris amplissimae universitatis Salmanticae pro favore sibi exhibito actis, cathedram sibi oblatam auctumque supra decessorum consuetudinem stipendium constantissime, etsi non impari humanitatis significatione, recusavit et, imposito cursui praedicto fine, exeunte jam vigesimo

*) Lib. 1. c. 1.

octavo aetatis suae anno, majori fervore et spiritu orationi ac spiritualibus exercitiis sese addixit crebrisque ad Deum precibus fusis lumen coeleste postulavit, quo plene dispiceret, num claustralis vitae ratio (caeteris quidem sanctior, attamen unicuique non aeque congruens) sibi ad aeternae salutis negotium esset profutura. Exaudivit Dominus servi sui preces, eaque erga ipsum usus benignitate ac misericordia, qua illuminare consuevit ac dirigere eos, qui toto corde se ipsi commendant, et sincere eum invocant, suggessit, ut statum religiosum tanquam statum animi sui propensionibus sanctisque desideriis magis congruum eligeret. Post factam magna animi attentione ac deliberatione *status* electionem *ordinis* sacri, cui nomen daret, electionem aggressus est.

At ne hac in parte, quae non minoris est ponderis, quidquam imprudenter subreperet, diversorum ordinum, in eccelesia militantium, statuta diligenter expendit, adhibitis in consilium gravissimis viris sibi necessitudine conjunctis, tantoque studio id genus omnia ad trutinam revocavit, ut integrum annum ea consultatio occupaverit. Placuit demum pluribus de causis *Augustiniana* religio, praesertim vero ideo, quod Joannis a S. Facundo (Salmanticensis coenobii alumni, inter coelites postea relati) recentibus miraculis corruscaret. Nulla propterea imposita mora, ad monasterium Salmanticense, sanctitatis fama celeberrimum, convolat, religiosorum consortio adscribi humiliter enixeque postulans. Piorum hominum coetum incredibili perfudit gaudio inexspectata Thomae petitio sibique invicem gratulati sunt, Salmanticense monasterium sponte accedentem admit-

tere, quem Salmanticensis academia rogatum accipere non potuisset. Cumque de prudentissima postulantis deliberatione nulla vel levis emergeret suspicio, communi sententia admissus, religioso induitur habitu, die Beatissimae Virginis praesentationi sacro a° 1516to. Quippe qui a teneris huic sanctissimae ac purissimae Virgini se devoverat eamque ut praecipuam patronam et advocatam elegerat et per cujus manus tot gratias et beneficia sibi a Domino collata fuisse agnoscebat ac profitebatur sperabatque conferenda deinceps: voluit Domino se offerre ac ejus sacro in sancta religione obsequio consecrare eo ipso die, quo ipsi oblatam fuisse ecclesia recolit clarissimam Virginem.

Thomas propositi sui, religionem ingrediendi, neminem consanguineorum conscium fecit, ne propriam quidem matrem, licet eam plurimum amaret ac veneraretur, quia, ut ipse in concionibus saepe ajebat, raro in rebus ad Dei obsequium pertinentibus bonum consilium dant amici secundum carnem et sanguinem. Ubi itaque mater, quod fecerat Thomas, rescivit, graviter conquesta est, filium invisa patria, insalutatis domesticis, de vitae instituto deliberasse, seque ab eorum oculis perpetuo subduxisse, sibi volupe fore declarans, si, ordinem religiosum amplexurus, id faceret in conventu Uclesiaensi, quia illic sibi propiorem haberet et ipse eam aliquoties invisere posset. Ast Thomas in proposito suo permansit, brevique in sodalitio Augustiniano adeo excelluit, ut veteranis ipsis admirationi esset tanta virtus in novo milite, qui paucos ante dies ad castra venisset. Emenso tirocinii cursu, sacris de more se obstrinxit votis, et anno

elapso superiorum jussu sacerdotio initiatus primam Dei hostiam obtulit ipso sanctissimae Redemptoris nostri Nativitatis solemni die.

Virtutes, quas prioribus istis annis prae ceteris colebat sibique comparare satagebat tamquam totius vitae spiritualis solidissima fundamenta, erant: 1) pietas, 2) labor continuus, 3) abstinentia, castigatio corporis, 4) amor erga omnes (praeprimis infirmos), reverentia erga superiores.

Orationi communi ac privatae continuo vacabat, ipsam cardinem vitae religiosae judicans. Persoluta in noctis medio communi psalmodia orationem ad lucem usque protrahebat et, sacerdos factus, quotidie summa devotione missam celebrabat. Recurrente autem quotannis Nativitatis Domini die, (quo primam missam celebranti tot et tanti a Deo concessi sunt favores) cum missam celebrando verba illa: *Gloria in excelsis Deo etc. per incarnati verbi mysterium* recitaret, tanto concitabatur interius affectu, ut lacrymas cohibere nequiens, non exiguo temporis spatio desistere cogeretur, imo aliquoties sensibus alienatus, corpore immotus animoque in Deum raptus persisteret. Evitaturus autem, ne peculiares illi, quos a manu Dei obtinebat, favores perciperentur et propalarentur, prioribus annis primam et secundam, annis sequentibus (quia ne in solemni quidem sacro, quod anima sentiebat, occultare valebat) et tertiam missam in sacello domestico celebravit, praesente uno tantum aut altero e familiaribus suis. — Quoniam autem sacerdotem, qui quotidie rem divinam facit et tamen se meliorem et in dies perfectiorem non experitur, haud bono in statu esse existimabat: hinc quotidianum illud *conscientiae examen*,

cui ab illo jam tempore, quo scholas frequentabat, assueverat, majori nunc cura ac rigidiore inquisitione adhibebat.

Studium alterum vitae religiosae cardinem judicans, attentae sacrorum voluminum aliorumque piorum librorum, operum praeprimis S. Bernardi, cui ingenio ac spiritu valde similis fuit, lectioni continuo vacabat, singulis quibusque momentis actionum seriem, a qua ne latum quidem unguem recedebat, sibi praefiniens; otium semper fugiebat, vitiorum omnium illecebras unius otii victoria facile superari ratus; solitudinem adamabat, hinc religiosum, quem otiosum conspiciebat, vagantem per aedes aut tempus terentem sine fructu, aversabatur ac fraterne reprehendebat, hinc nunquam vel ipse alterius vel alter ipsius cellam introibat, nisi cogente fraterno amore. Quae paucis pertractari atque ad cellae ostium expediri poterant, stans isthic conficiebat. Notissimum erat per universam provinciam castellanam, nunquam visum fuisse Thomam sive otio vacantem sive cum aliis fratribus sermones conferentem, sed semper vel occupatum in sacro aliquo charitatis opere vel cella inclusum.

Accedebat *abstinentia* continua. Praeter jejunia ab ecclesia praescripta et domesticis legibus indicta alia Thomas, annuentibus superioribus, sancte servanda sibi proposuit usque adeo, ut e tribus anni partibus binas severo jejunio transigeret, ceteris, quibus non jejunabat, diebus, idem, quod reliqui de conventu, comedebat, valde tamen temperanter, majorem propositi cibi portionem pauperibus relinquens.

Affligebat similiter corpus et rationi reddebat

subditum, brevi somno eoque ab omni commoditate valde alieno illud conterens ac paucas horas quieti indulgens.

Porro silentii erat eximius cultor, ita ut integro tirocinii anno loquentem non audierint, nisi cum interrogaretur, atque etiam tum paucis admodum verbis responsum dabat. Sacerdos factus, resectis inanium confabulationum nugis, etiam mutuae collocutionis horam, quam animis recreandis legum indulgentia concesserat, repudiavit.

Superiorum mandatis, quaecunque illa fuerint, obsequentissimus, fratres diligebat ac honorabat omnes, hinc in omnibus humilitatis officiis, quibus probari et exerceri solent ordinis tirones, primas sibi partes vindicabat. Nullum exstitit, quantumvis abjectum et laboris plenum ministerii onus, quod ad suorum commodum in se non susciperet summa charitate, celeritate vultusque alacritate. — Praeprimis autem, quamprimum facultas ei data est, fratribus infirmitate laborantibus praesto fuit non secus ac eorum famulatui addictus ex munere. Hinc illorum cellulas verrere, medicinas, alimenta aliaque hujusmodi aegrotis opportuna manu propria ministrare, moerentes solari, dolentibus compati incredibili alacritate, promptitudine, assiduitate, ei gratissimum fuit. Atque per hanc pietatem suam usque adeo charus erat aegrotantibus ac desideratus omnibus, ut, cum ad valetudinarium accedentem cernerent vel audirent, intrare illuc angelum arbitrarentur, afferentem sibi praesens solatium ac salutem. Si cui dissidium esset cum fratre, dolebat ipse vehementer, moxque ut angelus pacis conabatur animos componere et ad veram ac religiosam reducere amicitiam.

Et in his, quae nunc dicta sunt, plura ad nostram doctrinam spectant.

I. Quanti momenti electio status sit, Thomas optime perspexit. Hinc adeo provide hocce negotium tractavit. Probe sciens, sine Dei lumine nihil esse in homine, ante omnia precibus ad Deum frequenter fusis auxilium divinum efflagitavit, dein ipse diu deliberavit, viros probos et rei gnaros consuluit ac tandem, repudiato omni carnis ac bonorum terrenorum respectu, eum, in quo optime Deum glorificare, proximo prodesse, salutem propriam assequi posset, statum selegit.

Nos jam statui clericali adscripti sumus. Num autem eadem circumspectione ac sapientia in deligendo hoc statu usi fuimus? An mature deliberavimus? An viros doctos piosve in consilium adhibuimus? An prae omnibus auxilium a Deo piis precibus postulavimus? An motivo nonnisi puro statum hunc aggressi sumus? — O ter felices! Tunc vocationem divinam agnovimus; tunc ad instar S. Thomae statu nostro inter prospera et adversa contenti erimus, officiique nostri partes lubenti animo implebimus.

Quodsi autem qua magistri vel confessarii vel sub quocunque alio titulo a juvenibus de eligendo statu deliberantibus hocce in negotio consulti fuerimus: propria experientia edocti ac moniti, omnem in id, fratres, impendamus operam, ut ipsi juvenes, hisce principiis obsequentes, in illo tam gravi negotio procedant. Hinc ante omnia ipsis inculcemus:

1. Ne praecipitanter agant, ne praepropere, sine sat longa et matura diliberatione, hunc illum statum, qui ipsis primo fors aspectu placuerit, se-

ligant et ita saepius statum mutare adigantur, quod praeter jacturam temporis varia sibi incommoda juncta habet.

2. Ut ab omnibus praejudiciis ac perversis passionibus sint alienissimi. In quovis statu, laicali aeque ac clericali et religioso, homo suum virtutis amorem demonstrare suamque operari potest salutem. — Ast non omnis omnia fert tellus; hic uni, alteri ille status magis convenit. Credere, se nonnisi in statu clericali vel religioso finem suum assequi posse, non minus perversum foret, ac statum clericalem et religiosum superstitione nonnisi suffultum, culturae hominum intellectuali vel illustrationi populi ulterius progredienti inimicum, reipublicae inutilem vel plane noxium putare a). Ne autem malae concupiscentiae ac passiones influxum in hocce negotium habeant, conscientiam suam purgent, hinc ad sacramentum poenitentiae accedant. Inculcemus

3. ut quotidie fervide ac sincere Deum orent, ut Deus illos illuminet et viam, in qua ambulent, notam illis faciat. Nemo enim, ut S. Basilius ait b), sibi sufficit ad electionem utilium. Incertae providentiae nostrae. Sap. 9, 14. Quis hoc mortalium definire praesumat? ait S. Bernardus c). Deus forsitan vocat; quis

---

a) Lege opus Matth. Fingerlos: Wozu sind die Geistlichen da? V. 1. p. 1. seq.

D' Alembert schrieb an den König Friedrich von Preußen: Ich kann es Euer Majestät nicht zu oft wiederholen: Sire! nicht die Philosophen, nein, die Pfaffen sind die wahren Feinde des Vaterlandes, der Gesetze, der guten Ordnung und der rechtmässigen höchsten Gewalt. S. Friedrich von Kerz. Literaturzeitung v. J. 1830 Märzheft S. 276.

b) Orat. de Felicit.

c) Epist. 8. ad Brun. ep. Coloniens. electum.

audeat dissuadere? Forte non vocat; quis appropinquare consulat? Utrum vero vocatio Dei sit, an non sit, quis possit scire, excepto spiritu, qui scrutatur etiam alta Dei vel si cui forte revelaverit ipse?

4. Tum singulos status, eorumque finem, officia (et quae ad illa rite implenda ex parte subjecti requiruntur) commoda et onera indagent, et cum qualitatibus suis, viribus mentis et animi, cognitionibus, scientiis, propensionibus ac externis quoque adjunctis conferant, ut exinde appareat, ad quem praeprimis statum vocati sint.

Attamen, quoniam amor sui ipsius defectus obtegens et praerogativas exaggerans veram sui ipsius cognitionem communiter impedit; non abs re est, amicos, parentes, magistros, confessores consultare. Intolerabilis est superbiae argumentum, ait S. Basilius, *) existimare, se nullius egere consilio. Qui nemine consultore utitur, similis est navigio rectore carenti. Rationes consiliorum prudenter expendendae.

Hic autem non praetereundum, dari parentes, qui auctoritate sua in detrimentum filiorum abuti hosque non tam bonis consiliis ad statum hunc illumve dirigere, quam cogere velint. His itaque fortiter resistendum, tristis illorum sors, qui statui cuidam coacti nomen dederunt, ante oculos ponenda, praeprimis si agitur de statu clericali et religioso. Officia enim hujus status sat multa sunt et ardua; a variis, etiam alias licitis, Clericis abstinendum, voluntas propria refrenanda, merces non tam hisce in terris, quam in coelis quaerenda. Quid jam, si filius, voluntate propria repugnante, statum ecclesiasticum ingressus incontentus vivat, officia status sui negligat,

*) In Isai. cap. 1, 26. et orat. de felic.

praecepta transgrediatur, fratribus et populo fideli scandalo sit? Quid jam, si ex pristinis moribus (ut ait S. Prosper a) nihil abjiciat, non mente mutetur, sed veste, non actu, sed habitu; praedicet magna nec faciat, accuset vitia nec deponat, publice sibi displicere simulet, quod occulte committat et magnus studeat videri, non fieri, quid et quantum gaudii percipient exinde parentes? — Videte vocationem vestram (ait Caesarius b), fratres charissimi. Venire ad eremum, summa perfectio est; non perfecte in eremo vivere, summa damnatio est. Quid prodest, si in loco quies teneatur, et inquietudo in corde servetur? Si in habitatione sit silentium et in habitatoribus vitiorum sit tumultus et colluctatio passionum? Si exteriora vestra serenitas teneat et interiora tempestas? Sacerdotem quemdam breviarium manibus tenentem matri suae defunctae in templo maledixisse scimus, eo quod eum, propria inclinatione renitente, ad electionem status clericalis induxerit c). — Optimos, ad statum eligendum coactos, nec calidos nec frigidos esse, lente tabescere et aegritudine consumi, experientia docet.

E contra filii, qui qualitatibus necessariis sufficienter instructi, magnam in se ad statum clericalem vel etiam religiosum propensionem sentiunt, ob causas inanes et futiles a tam praeclaro, venerabili, societati humanae necessario ac perutili statu nequaquam sunt retrahendi. Si quis perspexerit, se pro sua peculiari conditione nonnisi in tali statu destinationem suam perfecte assequi posse: non attendat

a) De vita contempl. l. 1.
b) In Admon. 28.
c) Vide Aegidii Jais opus: Bemerkungen über die Seelsorge, besonders auf dem Lande. Pag. 12.

carnem et sanguinem, sed exemplum S. Thomae secutus, derelinquat patrem et matrem, domum et agros propter Christum et centuplum recipiet et vitam aeternam possidebit. (Matth. 19, 29.)

5. Quodsi autem juvenes ad statum clericalem vel plane religiosum se conferre voluerint: videamus, fratres, et sollicite investigemus, num pura quoque intentione vel, ut ait Conc. Coloniense an. 1536 a), num Dei causa tantum, an potius suae commoditatis gratia ad ordines capessendos adspirent, quaerentes, quae sua sunt, non quae Jesu Christi; non virtutis exemplum teste S. Greg. Naz. b), sed victus parandi occasionem et subsidium hunc ordinem (eccles.) judicantes. Sane non honor aut quaestus debet esse ordinis occasio (ait Petrus Bles. c), sed Christi charitas et animae salus. Nemo debet ad hoc fieri clericus (ait Ivo Carn. d), ut serviat voluptati, studeat curiositati, inhiet ambitioni, nec aliud quaerat, nisi ut Deum haereditate possideat, quem elegit et a quo electus est. — Qui per clericatus officium aliud quaerit, quam Deum, nec a Deo electus est, nec Deum elegit, qui in sorte sua creaturam Creatori aut praeposuit aut aequiparavit e).

II. S. Thomas post multam deliberationem ex puro Dei amore summoque gaudio statum religiosum ingressus est, vota solemnia emisit, primitias celebravit. Et quoties solemni votorum professioni in-

a) P. 1. c. 21.
b) Orat. 1.
c) Ep. 123. ad Richard. episc. London.
d) Serm. de excell. sac. ord. — Pontific. Rom. vetus in exhort. ad 1. tons.
e) Lege Examens particuliers sur divers sujets, propres aux ecclésiastiques. Par M. Tronson. P. p. pag. 5. et seq.

terfuit, lacrymas gaudii effudit. Ad solemne nativitatis Domini festum, quo primam Deo hostiam obtulit, quotannis speciali devotione, imprimis servato inde a festo Omnium Sanctorum stricto jejunio, sese praeparavit; ac incredibili mentis gaudio missas 3 celebravit.

Probemus, fratres, nosmet ipsos, num et nos diei, quo statui clericali nomen dedimus, quo ordines suscepimus, quo primam Deo hostiam obtulimus, cum gaudio recordemur. — Ast gaudium divi Thomae non tantum eo fundatum erat, quod libero ac sat deliberato consilio statum religiosum ingressus fuerit, sed quod etiam in virtutibus progressum fecerit. Quot jam annis nos sacerdotio fungimur? Examinemus nostram conscientiam, num bonis quoque moribus proficiamus et virtute?

a) Thomas summa devotione quotidie missae sacrificium celebravit atque ad illud precibus et quotidiano conscientiae examine sese praeparavit. Probemus nos, num etiam quotidie debita praeparatione ad aram accedamus et cum fructu ab altari recedamus? Probemus nos, an non desides, in ipsa celebratione distracti, sine affectu simus? Malum est signum, ajebat Thomas, si sacerdos quotidie missam celebrat et melior non evadit. Jam quem ab illo tempore, quo primitias celebravimus, perfectionis gradum consecuti sumus? Thomae inter celebrationem missae magni a benignitate divina concessi sunt favores, imprimis donum ei datum est devotionis. His vero non gloriabatur Thomas, sed, qua erat humilitate, quantum poterat, gratias sibi datas occultabat. Quodsi et nobis, ad aram stantibus, Deus hilaritatem vultus sui ostenderit; si et nostram in-

solito modo mentem illuminaverit et animum nostrum consolationum suarum dulcedine repleverit; si et nobis gratiae suae charismata abunde concesserit: non jactemus, fratres, sed humilitate dona haec gratiae divinae extraordinaria custodiamus.

b) D. Thomas axiomatis instar habuit: duos praecipuos cardines vitae religiosae esse orationem et studium, neque illos sibi impedimento esse, dummodo studium rite ordinatum sit. Ut autem in studiis progressum faceret, pro quavis die seriem actionum constituit, atque solitudinem multum adamavit. Num autem et nos iisdem principiis insistimus? An et nos orationem studio et studium orationi jungimus? An nos non vago modo, sed recto ac definito ordine, ad studia incumbimus, pro qualibet die certum pensum destinamus et absolvimus? An non societatem, colloquium, distractiones justo plus amamus, otio indulgemus? Haec tria studia sunt otiosorum in claustro, ait Cassianus a), vagatio oculorum, superfluitas verborum, perversitas cogitationum. An non et nos ad talia propendimus?

c) S. Thomas linguam suam refrenavit, paucas horas dormivit, temperantie studiosissimus, jejunii strenuus cultor, humilis, obediens erga praepositos, obsequiosus erga fratres omnes, praeprimis infirmos fuit et dissidentes mox reconciliare studuit. Profecto hae virtutes omnes clerico quam maxime necessariae sunt. Probemus nos, fratres, num etiam nosmetipsos abnegemus; an, praesertim quadragesimali tempore, parcius utamur verbis, cibis et potibus, somno, jocis et arctius perstemus in custodia b), an hu-

a) Super Psalm. 40, 7.
b) Hymnus ad Matut. Dom. temp. quadrag.

miles, erga praepositos obedientes, obsequiosi erga fratres simus, concordiae studeamus; an infirmos praeprimis, qui tam saepe nostra institutione, commonitione nostroque auxilio et solatio indigent, quosque Christus Dominus adeo dilexit, ut omne ministerium illis praestitum tamquam sibi factum habere et in extremo judicio remunerare voluerit, cordi habeamus? Sacerdotes infirmi nequaquam negligendi. Quemadmodum enim ad aedificationem confert populi exemplum sacerdotum, qui, morbo oppressi, patientes, divinae in omnibus voluntati obsequentes sunt atque sacramenta devote suscipiunt: ita scandalo est, sacerdotes videre moribundos, qui tamen nonnisi terrena cogitent, dolorum impatientes sint, sacramentis refici nolint. Hos moneamus, obsecremus atque in viam rectam perducere conemur. Ut autem scopum hunc obtineamus, hilaritate mentis, mansuetudine, charitate eorum fiduciam nobis comparare studeamus.

IV. S. Thomas Theologiam docet.

Optasset quidem Dei servus, coelestibus illis deliciis, quas chorum frequentando, sacrum in dies summa animi devotione celebrando, infirmis serviendo etc. gustaverat, nullo publici muneris impedimento distentus, frui; verumtamen aliter praepositis ejus visum est, quippe qui optimo Thomae ingenio ad aliorum utilitatem opportune utendum judicarunt, Thoma nec minimum refragante, qui publicae rei causam privatis rationibus praeferendam cum probe nosset, tum maxime vellet. Ergo impositum est ei munus, theologicas quaestiones monasterii sodalibus explanandi.

Jam hocce munus, in se gravissimum, multum ei facesserat negotii, saepiusque in magnas sese incidisse angustias deprehendit, tum quia (ut praeclaris quandoque ingeniis accidit) memoria minus valebat, tum quia nihil ferme de susceptis semel spiritualis vitae exercitiis ob novi laboris accessum decerpi patiebatur; nam et nocturnae frequens psalmodiae intererat et aegros visitabat iisque inserviebat.

Vicit tandem, quae laborum magnitudine nunquam obrui solet, constans in Deum et proximos pietas ac quadriennium magisterii feliciter absolvit, sequens semper in explanationibus suis et amplectens doctrinam S. Thomae Aquinatis, (quem ob insignem illius sanctitatem, eruditionem et ingenii perspicuitatem magno prosequutus est affectu) suisque auditoribus continuo inculcans, ut literas cum limore Domini conjungerent.

Qui bene latuit, ait proverbium, bene vixit. — Thomas voluit latere. Thomas desideravit, oculos hominum declinans, soli Deo vivere. Ast cum ad majora vocatum judicassent praepositi, mox a suscepto sacerdotio ad rem literariam eum applicarunt et sine longa mora varia ei negotia et ante omnia Theotogiae scholasticae docendae munus demandarunt.

Ametis igitur, fratres, etiamsi multum ingenio vel doctrina valeatis, *latere*, impatientiam illam, qua juniores volunt Rabbi vocari, reprimentes. Quodsi autem ad altiora divinae providentiae dispositione vocati fueritis: nolite, etsi juniores, voluntati divinae resistere atque bonum privatum publicae causae postponentes gravia etiam negotia (uti est publicum docendi munus) suscipite, spe freti, fore, ut Deo

juvante omnes muneri adnexas difficultates indefesso labore, studio impigro superetis. Verumtamen nolite sub hoc titulo, quasi tempus vobis ad literas incumbentibus deficeret, spiritualia exercitia, et in specie recitationem breviarii negligere, sed orationem continuam laboribus ac studiis jungite; nolite praeprimis in quaestionibus difficilioribus vobis ipsis sapientes esse, vestro proprio ingenio nimium fidere, sed doctrinam Ecclesiae probatorumque doctorum catholicorum sequimini et auditores vestros non tantum in Theologia perficite, sed etiam timorem Domini, qui est initium sapientiae (Ecclesiastic. 1, 16.), ipsis inculcate.

V. Thomas pro concione dicit.

Vix dimisso docendi munere concionatoris partes obire jussus est Thomas, cum annum aetatis ageret trigesimum quartum; neque enim multorum utilitati eripiendus videbatur, qui egregiam eloquentiae vim morum sanctitati conjungens, populi salutem promovere potuisset. Dicebat pro concione primitus in ecclesia conventus sui; dein anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo, postulantibus ac rogantibus Salmanticensis Capituli primoribus, per Quadragesimam in templo civitatis principe; posthac aliis in locis plurimis, praeprimis autem Burgis ac Vallisoleti. Simul autem ac verba facere instituit, mox palam ostendit egregias illas dotes coelestemque ingenii facultatem, sibi ad hoc munus a Domino concessas. Cum primum e suggestu dixit, propagata per urbem novi oratoris fama, ea frequentia Salmanticenses traxit, ut veluti ad apostolum

e coelo delapsum turmatim confluerent nec modo templa, sed et adjacentes viae promiscua multitudine redundarent. Conciones quadragesimales in aede primaria Salmaticensi habuit tanta auditorum frequentia et concursu, ut non modo ecclesia, sed etiam ipsa compita non sufficerent capiendo hominum numero, qui, doctrinae ejus avidi, ad audiendum accurrebant. Hinc abjecta rei familiaris cura quam plures, diurnam lucem praevenientes, prae insatiabili gustu percipiendi ex ore Thomae verbi Dei, ad aedes sacras accedebant, ne serius illuc si pergerent, loco fraudarentur. Alterum Eliam vocitabant ipsum, quem s. scriptura (Eccli. 48, 1.) igni comparat et verbum ipsius faculae ardenti. Praecipua ejus eloquentiae laus fuit non repentina aut fluxa auditorum commotio, cessante oratoris voce evanescens, sed stabilis, omnino ad bonum frugem reditus, quem obfirmati antea in malo homines luculentissimis indiciis ostendebant. Nemo hominum audiebat ipsum, quin immutaretur, inflammaretur et accenderetur divino timore. Vivus erat ex ore ejus sermo et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum et discretor cogitationum et intentionum cordis (Heb. 4, 12.); malleus, conterens petram, cordibus duris, pertinacibus et obstinactis (Jerem. 23, 29).

Redibant homines ab ejus sermonibus, ut testatur Mugnatonius, episcopus Segobricensis, (unus eorum, qui, verborum ejus efficacia permoti, mundum et quidquid in eo possidere poterant, deseruerunt)

quasi attoniti, intuentes invicem ac stupore perculsi, cum perspexissent dexteritatem ejus in instruendo, in persuadendo efficaciam, in dicendo affluentiam illam sermonis, non aridi ac inanis et qui ventis profunditur dumtaxat, sed locupletis, spiritu ac doctrina referti, fervidi animatique virtute coelesti, quo modo terrorem incutiebat, modo afferebat solatium, modo ad sincerum scelerum dolorem et ad lacrymas, modo ad fiduciam et gaudium internum permovebat, exurens audientium corda, durissima emolliens pectora atque omnes in iis effectus obtinens, quos sacrae litterae docent esse verbo Dei maxime proprios, quando is, qui illud annuntiat, fidelis ejus servus est, verusque Spiritus sancti minister, qualis erat divinus hic orator.

Haec aliaque ejusmodi, cum omnium sermone Salmanticae trita essent, aegre ab eruditioribus nonnullis, populari judicio parum tribuentibus, fidem obtinuerant. Verum postquam, experimenti causa, Thomae concionibus interfuere, earum eloquentia mirifice capti sunt atque in posterum ab his divelli vix poterant. Horum locupletissimo testimonio non plene convictus accesserat vir ob religiosam virtutem et scientiam atque insignes animi dotes tota Hispania celeberrimus, Joannes Hurtado ex ordine S. Patris Dominici, eximius theologus atque excellentissimus concionator, experturus, an ita esset, uti tam a laicis et indoctis, quam a viris literatis et eruditis referebatur. Sed unum eidem fuit, Thomam perorantem audire, ac insolito admirationis impetu moveri. Hinc finita concione, elata medios inter auditores voce, exclamavit: Gloria sit et laus Domino Deo nostro sempiterna, qui tam egregium

evangelii sui ministrum, tamque idoneum in vineam suam operarium mittere et nostris temporibus notum facere dignatus est! Multum erat certe, quod de patre isto praedicabatur, et mihi quidem multum apparebat; at semota omni comparatione plurimum exsuperat, quod oculis ipse meis vidi hodie.

Quid mirum proinde, si populus omnis ad eum rapiebatur, si ex omni hominum ordine, ex omni statu et conditione homines ad illius conciones certatim contendebant, proceres quoque ac magistratus, viri literati, magistri, egregii concionatores et omnium prope religionum monachi, imo et episcopi, viri illustres, aulae dynastae? Quid mirum, si omnes invicem sollicite, ubinam verba esset facturus, interrogabant, eoque mature ad illum audiendum properabant et, cum in uno loco sermonem absolvens concionem indiceret in alterum, in hunc quoque sequebantur? Ad quamcunque autem civitatem seu populum se conferret, res erat notatu digna effectus ille tam clarus et manifestus, quem, dum praedicabat, ejus sermones sortiebantur. Mox enim cernebantur peccatores insignes et exemplo suo perniciosi ad frugem converti, publica cujuslibet conditionis hominum vitia tolli, exstingui inimicitiae et inveteratae simultates, mercatores, periculosae negotiationi addicti, immutare nogotiandi modum, remittere ac restituere multa, ut conscientiae securitatem conciliarent; personae nobiles et illustres publice vitam emendare, deambulationes, ludos, ornatum et rerum caducarum affectum permutare cum secessu, modestia, eleemosynis, oratione et frequenti sacramentorum usu. Salmanticensis urbs, nedum vitiorum universim labe detersa, sed tot in-

super virtutum ornamentis decorata exinde apparuit, ut non tam christianae urbis, quam monastici sodalitii formam exhiberet. Tempus sanctorum Apostolorum hac in civitate reluxisse videbatur. Non tantum virtutis, bonarum affectionum morumque integritatis studiosi, verum etiam divites ac potentes, apud quos divitiarum et curarum spinae suffocare solent verbi divini semen, imo etiam voluptatibus et deliciis dediti, quibus valde proprium est, vitam sequi deviam ac dissolutam, ex ejus concionibus fructum referebant, quin et vulgus ac plebs infima, quae pauca percipit et audita mox oblivioni tradit, per doctrinam, monita ac reprehensiones apostolici hujus oratoris in viam reducta est atque immutata in suis actionibus ac moribus. Praesertim autem florentissimae Universitatis Salmanticensis studiorum alumnos usque adeo affecerunt divi Thomae orationes, ut ex his multi, mirum in modum cogitationes et affectus suos immutantes, tam serio disideria sua alio convertere et a vitae praesentis voluptatibus, in juventute tantopere desideratis atque expetitis, abhorrere coeperint et aeternis verisque inhiare, ut corpore ac mente se saeculo subtrahentes statum religiosum amplexi sint.

Ea ratione tam multos in viam istam deduxit Dominus, ut non tantum Salmanticensis civitatis monasteria novitiis repleta sint, sed, quia in illis locus non supererat tot aliis mundo quotidie valedicentibus ac postulantibus habitum, necesse fuerit mittere eos ad aliorum locorum coenobia. Atque ita per sacras Thomae conciones viris doctis et praestantibus sufficienter instruebantur omnes regni Castellae religiosi ordines.

Pervolavit paucos inter annos fama ejus Castellae regnum adeo, ut, cum ad aures pervenisset Caroli V. Imperatoris ejusque conjugis Isabellae Imperatricis, eum aliquando audire voluerint. In prima autem, cui interfuerunt, concione, tanta suavitate perfusi fuerunt eorum animi, tot Spiritus sancti in Thoma collata dona ac gratias agnoverunt, eamque de ejus pietate, fervore ac zelo animarum conceperunt existimationem, ut eum illico sibi a concionibus in posterum esse jusserint, expeditis ad provinciae praesidem literis, quibus Thomam Vallisoleti, ubi sedem tunc fixerat Imperator, collocandum significarent. Dicentem exceperunt paene semper, tum per aliquot quadraginta dierum jejunia, quibus conciones habuit, tum praecipuis per annum diebus dominicis et festis, profitentes ambo, se ex ejus sermonibus ingentem animarum suarum utilitatem retulisse ac per ejus verba, quotiescunque audiebant, illuminatos et divino accensos fuisse amore. Id ipsum palam fatebantur praesules ac viri illustres et quotquot in aula versabantur, frequentantes ipsius conciones insolito et nunquam viso studio. Quin ferunt, Caesarem, quoties commoratus est Vallisoleti, ubi habebat aulam, vix unquam abfuisse ab ejus concione, tametsi in sacello regio ea minime haberetur; tunc vero, quoties solemni pompa templum adire non placeret, ut privatum accessisse.

Non minori in Thomae eloquentiam flagrabat studio Joannes, Lusitaniae rex, postquam inter Hispanos adeo celebrari acceperat. Hinc factum est, ut versante extra Hispaniam Caesare, Rex provinciae Castellanae praesidem rogaverit, ut Thomam ad aliquod temporis spatium sibi mitteret, desideranti

audire ipsum atque una doctrinae ejus fructum experiri. Concessit istuc, jubente obedientia, Thomas aliquot conciones habiturus. Verum prolixior Thomae absentia gravi Vallisoletanos tristitia cumulavit, qui propterea, coacto magistratu, publicas Imperatrici preces obtulere, ut Sua Majestas apud Lusitaniae regem de remittendo Thoma agere dignaretur.

Quaeris, *quomodo* tantum effectum concionibus suis producere potuerit Thomas? Audi ipsum.

Nonnulli e familiaribus interpellarunt eum, quibus auctoribus seu libris uteretur et quinam ad munus concionandi maxime essent idonei? Omnes, reposuit ille, libri, quos tamquam catholicos approbat Ecclesia, boni sunt, atque in hisce omnibus reperiet orator, unde fructum percipiat, si modo tria habeat: sanctitatem vitae, humilem orationem, verum ardorem desideriumque divinae gloriae ac salutis animarum. Vitae enim exemplum et sanctitas auctoritatem ei conciliabit apud auditores; in humili oratione instruetur anima ipsius, illuminabitur intellectus, incendetur affectus; hic procuduntur sagittae, quibus ferienda ac transfigenda sunt corda, ardor vero divinae gloriae ac salutis animarum mentem inflammabit dabitque verbis robur et efficaciam. Solum studium absque oratione et flagranti zelo intellectum quidem magnis subtilitatibus et sententiarum copia turgidum facit, sed voluntatem concionatoris aridam relinquit et pectus frigidum; e pectore autem frigido (hanc vocem saepius repetebat), quo pacto verba ardentia produci queant?

Haec ipse S. Thomas accurate observabat. Vita ejus erat sancta, oratio assidua, charitas fervens, ardentissimum divinae gloriae ac salutis animarum de-

siderium. Tam numerosus auditorum, qui ipsum sequebantur, coetus, concursus et applausus et, quam de ejus persona ac doctrina habebant omnes, existimatio nihil ejus adimebant modestiae ac humilitati. Contra, quo magis audiebatur, amabatur ac honorabatur ab universis, eo magis erat candidus ad omnes, humilis ac modestus absque ulla fucatae virtutis fictione. Nec, tot licet oppressus laboribus, quidquam remittebat ex rigore et asperitate vitae anteactae, jejuniis et abstinentia. Ita desiderium, quo audiebatur et vim ac efficaciam, qua dicebat ad populum, sibi conciliabat.

Dictionis ornatum ceteroquin non quaerebat in concionibus, nec curabat, ut sermo esset valde elegans, sed ut purus esset et aptus, verba solida, pia, plena spiritu et efficacia ad permovendos auditorum animos, non ut vanis admirationibus et laude celebrarent orationem ejus, sed ut rite de Deo sentirent, peccata sua deflerent, ac serio studerent morum emendationi. Vox ejus erat instar cultelli transverberantis cor et animam auditorum. Per frequentem vero et assiduam orationem divinum illum acquirebat spiritum et ferventissimos affectus, quibus tanquam sagittis ardentibus penetrabat viscera et pectus audientium.

Nihil tam facile, ait S. Hieronymus *), quam vilem plebeculam et indoctam concionem linguae volubilitate decipere, quae, quidquid non intelligit, plus miratur. Jam haec verba ad S. Thomam referri nequeunt. Verum quidem est, illum optimam per universum regnum famam, laudes innumeras, ap-

*) Ep. 70, 8.

plausus ingentes, quin illos quaesierit, consecutum esse; ast, quod bene notandum, non tantum ex parte vilis et indoctae plebeculae, sed ex parte eruditissimorum quoque virorum, sanctitate vitae aeque ac doctrina illustrium, procerum, magistratuum, monachorum, aulae dynastarum, episcoporum, regis Lusitaniae, imperatricis Isabellae, ipsiusque Caesaris Caroli V., magni rerum aestimatoris.

Et quidnam isti in oratore adeo magnificabant? Forte, quod vocem sonoram habuerit? An quod decentem agendi modum servaverit? An quod verbis exquisitis, sermone elegantiori aures auditorum delectaverit? An quod variis comparationibus, imaginibus, narratiunculis risum moverit atque ita mentes auditorum exhilaraverit? — Absit! — Omnis laus ad id redibat, quod effectus ipse declarabat, omnes, quotquot erant, auditores doctrinam coelestem edoctos, concussos, ad amorem coelestium ardentius excitatos, ad seriam vitae emendationem motos ac perductos fuisse adeo, ut multi mox finita concione ad confessarios accederent, sacra confessione scelera expiaturi, quae prae gravi tristitia ac moerore, corda ipsorum penetrante, et lacrymarum abundantia vix profari poterant. Non vanam hominum laudem, non admirationem, sed gloriam Dei et salutem animarum quaerebat Thomas. Jussus a superioribus suis e suggestu dicebat; jussus Imperatori a concionibus erat; jussus ad regem Lusitaniae concesserat. Summo quidem fervore ac zelo, quem oculis, vultu, totius corporis habitu prae se ferebat, ast non impari prudentia, charitate ac humilitate nec in doctis humanae sapientiae verbis, sed in virtute Dei (I. Cor. 2, 13. 5.) ver-

bum divinum praedicabat, vitia populi insectabatur, ad virtutem excitabat; sermone claro ac perspicuo indoctae plebis, literatorum ac principum intellectum illuminabat magnoque affectu corda illorum movebat; et cum omnia praestitisset, cum tanto fructu verbum divinum praedicasset et ab omnibus laudatur honoratusve esset, servum inutilem se esse judicans, humilis permanebat, vitam austeram ducebat, oratione continua, studio indefesso ad munus suum se praeparabat.

Sic et nos, fratres, non nisi vocati, invitati aut jussi, vel vi muneris nostri, tunc autem summa alacritate, non studio, laudes hominum aucupandi, sed desiderio, Deum glorificandi ac salutem animarum promovendi, in oppidis et urbibus, coram plebe et principibus populi suggestum conscendamus, intrepide Christum et quidem crucifixum praedicantes, magna libertate ac simul prudentia vitia grassantia insectantes, ad seriam vitae emendationem, ad virtutem constantem ac perfectionem hortantes. Ut autem majori studio ac fiducia verbum nostrum fideles audiant et fructum ex audiendo percipiant, studeamus ante omnia vitae sanctitati, vacemus continuo orationi, excitemus ac obfirmemus in cordibus nostris fidem, spem et charitatem; fidem, quae summa persuasione omnes veritates ab Ecclesia catholica ad credendum propositas amplectitur, spem, quae Dei auxilio magis, quam proprio studio confidit, charitatem, quae unice gloriam Dei et salutem animarum desiderat; satagamus verbis claris simulque gravibus ac spiritu plenis tum intellectum audientium illustrare, tum voluntatem eorum movere, pios in iis sensus excitare, ne minimum quidem illos imi-

tantes, qui a veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur (II. Tim. 4, 4.), qui sunt inimici crucis Christi (Philip. 3, 18.), qui evangelium erubescunt, qui veritates nonnisi rationi omnimode pervias tradunt, qui stylo cultiori et bello pronuntiandi modo delectare, non prodesse cupiunt, quae sua sunt, non quae sunt JesuChristi, quaerentes. Vanis plebeculae indoctae, quae, quod non intelligit, miratur, laudibus nequaquam confidamus; ast, quodsi etiam a doctis piisque viris laudem et honorem perceperimus, non in hoc, sed in emendatione, vera fidelium poenitentia, salute animarum gloriemur, in humilitate permanentes ac Deo in omnibus laudes dicentes, cui honor, potestas, imperium in saecula saeculorum.

VI. S. Thomas Ecstaticus *).

Mirabilis Deus in sanctis suis, quos novis saepe et plane extraordinariis gratiis cumulat. Liceat mihi hic paucis mentionem facere doni illius extraordinarii, quo Spiritus sanctus Thomam ornaverat, quodque, licet conaretur, nequibat obtegere; quoniam non tantum, quum orationi se applicaret, horas canonicas recitaret, sacris operaretur, verum etiam, cum verbum Dei publice praedicaret, se manifestabat, puta donum excessus mentis. Aliquot exempla adduxisse suffecerit. Die quodam hebdomadae sanctae verba faciens Burgis in monasterio S. Ildephonsi, qua fundamentum sermonis assumsit verba illa Apo-

*) Lege: Ein Wort über die Ekstase. Von Dr. Joh. Heinrich Pabst. Köln am Rhein. 1834. Über den christlichen Begriff der Unsterblichkeit von Franz Baader. Würzburg. 1835.

stoli (Philipp. 2, 5.): Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu cet. ac tertio eadem repetiit; nam, quoties recitabat, toties visus est non posse prosequi ulterius prae lacrymis, in qualibet eorumdem repetitione accrescentibus. Commovebatur animo auditorium universum, ipse vero tertia vice illa ingeminans, in ecstasim raptus est, in eaque praestolantibus omnibus permansit ad unius circiter horae spatium. Elapsa hora ad sensus rediit et supra dicta verba sermonem exorsus est et ad finem perduxit.

Die quadam in templo primario ejusdem civitatis verba faciens et vehementi sensu animi peccata reprehendens ac morientis in cruce Domini effigiem manu tenens, voce ex imis animi penetrabilibus profecta ingeminare coepit: Huc respice, christiane, huc respice! Et haec verba pronuntians nec progredi ultra valens inflammato vultu substitit, in ecstasim raptus, silendo magis afficiens auditorum animos, quam fecisset loquendo. —

Vallisoleti feria 5ta hebdomadae majoris coram Carolo V. Imperatore sermonem faciens de mandato, post multam ac bene pertractatam doctrinam, quam sacra hujus evangelii historia suppeditat, in medio sermone perveniens ad sententiosas illas divi Petri voces: Domine, Tu mihi lavas pedes? eaque interpretans ac dicens: Tu, Domine, mihi, Tu, mi Deus, angelorum gloria, coelorum decor, Dominus universae creaturae — mihi! mihi! — nec pergere, nec verbum ultra proferre valens, immotus perstitit instar columnae marmoreae absque alio seu motu, seu sensu, quam quod oculos in coelum defixos haberet, defluentibus continenter lacrymis.

Quaeris, quem in finem Deus ei hoc donum concesserit? — Quis dubitet, quin hoc factum sit ad majorem Dei gloriam, divi Thomae consolationem, fidelium salutem? — Quantum dulcedinis in ecstasi perceperit, ipse semel, licet paucissimis verbis, prout humilem decebat, in sermone de transfiguratione Domini declarat. Perpendens nempe in isto sermone verba illa, quibus redemptorem nostrum allocutus est Petrus, dum eum in monte Thabor tanta gloria circumdatum conspexit: „Domine, bonum est, nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula“ — et ex his beatam illam conditionem animae (quae oblita rerum temporalium toto corde ac desiderio aeternis adhaeret, omnem amorem et affectum in Deo collocat atque in semet ipsa tabernaculum Deo exstruit) depingens: Quis, inquit, eloquatur, quae lingua exprimat gaudium, delectationem, tranquillitatem, bona ac delicias, pacem et securitatem interiorem, quibus perfruitur is, qui ad illum modum cor suum Deo praebet habitaculum? — Ego quidem, fratres, (ut de me ipso interim aliquid loquar, si quandoque, et hoc rarissime, indigno concessum est) non meo merito, sed Christi gratuito beneficio in montem altum cum ipso ascendere et ibi gloriam vultus ejus vel ad modicum et de longe prospicere dignatus, o quibus ardoribus, quibus lacrymis clamo: Domine mi, bonum est nos hic esse; non me permittas ultra descendere de monte isto; sufficit mihi hoc gaudium, sufficit mihi haec praesentia tua, ne discedas, obsecro, ne abeas a me; in hoc tota vita mea, in hoc omnes dies mei expendantur! Quid ultra quaeritur? — Hoc solum volo, hoc solum cupio, hoc solum desidero, hoc solum peto; — — sed

heu! heu! evanescit subito gloria illa, pax illa, dulcedo illa, et plenus moerore relinquor et sicut fulgur transiens, ita praeterit splendor ille. O si durasset! — Sed ad historiam redeamus et reliqua. —

Quotiescunque autem inter praedicandum in ecstasim rapiebatur, nullus ex auditoribus abibat, sed re intellecta multo plures accedebant. Si vero id contingebat in aliquo monasterio, accurrebant religiosi omnes auditum, quid ad se reversus esset dicturus? quoniam post illas ecstases res tam sublimes tantoque simul pietatis documento plenas proponebat tantoque fervore ac efficacia pertractabat, ut multorum ac insignium theologorum, qui intererant, judicio partem majorem eorum, quae in medium proferebat, e peculiari Spiritus sancti illustratione traxisse videretur, animosque auditorum attereret.

Jam quis hoc modo auctam fuisse gloriam ac laudem Dei salutemque animarum magis promotam dubitaverit? — Laudemus igitur et nos, fratres, Deum omnipotentem, qui fideles servos suos, qui in ejus misericordia ac bonitate confidunt, nunquam deserit, sed pium semper eorum postulationibus praestat auditum, speremusque, Deum et nobis, verba ejus praedicantibus, debita ex nostra parte praeparatione praemissa semper auxilio affuturum.

VII. S. Thomas Confessarius.

Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, declarat sacrosancta synodus Tridentia sess. 6. c. 14., rursus justificari poterunt, cum excitante Deo, per poenitentiae sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsis reparatio,

quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam sancti Patrès apte nuncuparunt. Unde docendum est, christiani hominis poenitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis et eorum detestationem aut cor contritum et humiliatum, verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes et alia pia vitae spiritualis exercitia.

Jam, historia et quotidiana experientia teste, saepe homines, verbum divinum audientes, gratia divina operante, adeo illuminantur, commoventur, concutiuntur, ut mox ad confessarii pedes convolent, sincera confessione vitia sua expiaturi. Ignorantiae, falsi conceptus, praejudicia varia, quae intellectum obnubilabant, resplendente ex ore praeconis veritatis evangelicae luce, sicut nebulae disparent, passiones animum turbantes conticescunt, conscientia, longo sopore oppressa, de novo evigilat, de novo clamat, de novo peccata exprobrat, angit, pungit, peccatorem impellit ad reditum, ad poenitentiam, ad emendationem. Homo peccator se ipsum cognoscit, sicut a Deo cognitus est. Judicium Dei terret, misericordia Dei allicit, crux Christi trahit. Tristis ac moerens ob peccata et confidens in Dei misericordia, properat peccator ad ecclesiae ministrum, verbi divini praeconem, vult ei confiteri, dolorem cordis ac sincerum vitae emendandae propositum manifestare, ab eo absolvi, monita salutaria, satisfactionem percipere, in via salutis dirigi; atque ita quod, Spiritus S. gratia operante, durante concione in-

çoeptum est, magnum verae vitae emendationis opus, in confessionali perficitur. Itaque ne mireris, dilectissime, si audias, multos fuisse tam ecclesiasticos et religiosos, quam laicos, viros aeque ac mulieres, imo et moniales, homines omnis generis et sexus, qui concionibus S. Thomae concussi, ipsi arcana conscientiae concredere, ipso conscientiae moderatore uti decernerent. Et vir sanctus, licet esset secessus valde amans et aversaretur hominum colloquia, pro flagranti, quo in animarum salutem rapiebatur, desiderio, pro naturali pietate et commiseratione sibi a Deo indita nec non insigni judicio, lubens excipiebat confessiones omnium, qui pro conscientiae suae remedio et solatio ad eum recurrebant, juvabat omnes ad deflenda scelera, animabat omnes ad praestanda verae poenitentiae opera; ex eorum molestiis ipse doloris sensu afficiebatur ac saluberrima subministrabat consilia. Sermones ejus, imo verba singula fervida erant, ad inflammandas animas, licet frigidissimas, efficacia.

Et quae lingua suffecerit enarrandis fructibus, quos hoc novum Thomae munus produxit! Notissimum enim erat, omnes, qui vel semel ad aures ejus peccata sua deposuerant, summis viribus divino servitio sese applicasse et alias quoque cum ipso in poenitentiae tribunali agere vel privatim colloqui conatos esse. Atque ita non tantum in monasteriis et in personis ecclesiasticis religiosisve, quibuscum agebat, manifesta erat immutatio, sed et plures omnis conditionis laici, divites ac potentes, mundo nuntium mittebant, vitae religiosae se mancipabant, matronae praestantes vanitatem omnem et fastum deponebant, vitam piam ducebant, facultates suas

partim ecclesiarum ornatui, partim pauperum subsidio applicabant. Virgines primariae, foeminae illustres ornatui et variis animi affectionibus renuntiabant, mundum ejusque voluptates deserebant, ordini religioso se obstringebant.

Ter felices et nos, fratres, si magnus confitentium numerus fructus nostrae quoque verbi divini praedicationis fuerit. Munus confessarii sat quidem arduum et periculosum, ast *excellens* quoque et solatii spiritualis plenum est atque ejusmodi, ut plurimum conferat ad gloriam Dei et salutem animarum. Nam qui terram incolunt atque in ea versantur, ait S. Chrysostomus a), his commissum est, ut ea, quae in coelis sunt, dispensent. Iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque angelis neque archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est: Quaecunque, alligaveritis in terra, erunt alligata et in coelo. Quaenam, quaeso, potestas hac una major esse queat? — Licet assistant angeli, ait S. Petrus Dam. b), praesidentis imperium exspectantes, et administratorii spiritus assignata sibi ministeria sortiantur: nullus tamen illorum ligandi atque solvendi possidet potestatem. Sacerdotes, ait S. Franciscus Sales. episcopus Genevensis c), confessionibus audiendis deputati judices Dei ipsius nomine constituuntur idque tanta auctoritate, ut, quae in terris recte decreverint et sanxerint, in coelis rata et firma habeantur, proindeque ora ipsorum sint veluti sacra quaedam stillicidia, per quae pax e coelis in homines bonae volun-

a) Lib. 3. de sacerd. c. 5.
b) Serm. 26. de s. Petr. Ap.
c) In ep. past. ad clerum suae dioec. Lib. 7. ep. 50.

tatis effluat vocesque eorumdem se habeant instar tubarum Magni Jesu, quae illius virtute mysticae Hierichuntis i. e. iniquitatis muros subruant. Franciscus Ludov. antistes Wiceburgensis solebat dicere: Da mihi bonos confessarios et totum conversurus sum mundum *). Quantum vero solatium, si vel unicam converterit ac Deo lucratus fuerit animam sacerdos! — Itaque ne umquam postulationibus confiteri volentium desimus, fratres, sed libenter, despectis incommodis, peccata eorum excipiamus, *nullum*, si jurisdictione sufficienter instructi fuerimus, conditionis, sexus, aetatis *discrimen* facientes nihilque aliud, quam gloriam Dei et salutem animarum quaerentes. S. Thomas de Villanova pari zelo excipiebat confessiones plebejorum atque nobilium, virorum ac mulierum, laicorum et ecclesiasticorum, exemplum secutus optimi Pastoris, Jesu Christi, qui peccatores et peccatrices quaesivit, vocavit, allexit et ad se venientes misericordiae sinu excepit, fovit, amplexus est hancque divinam vocem, ineffabilis prorsus zeli sui ac benignitatis testem, in sacris evangeliis Matth. 11, 28. reliquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Et quid dicit S. Jacobus? (Jac. 2, 1. seq.) Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriae. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu et intendatis in eum, qui indutus est veste praeclara et dixeritis ei: Tu sede hic bene, pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub

*) Vid. P. Aegidii Jais opus: Bemerkungen über die Seelsorge. Pag. 190.

scabello pedum meorum: nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum? Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem. Eodem modo ageret confessarius, qui ad excipiendas quandocunque divitum ac honoratorum confessiones paratissimus foret, pauperes autem ac simplices, plebejos, rusticos, milites audire sub vario praetextu tergiversaretur et qui in confessionali divitem laxe, pauperem autem nimis austere tractaret. Hinc S. Bonaventura: Studeat confessor, ait a), cavere ab acceptione personarum. Attende diligenter, o judex poenitentialis, quod tibi dicitur (Levit. 19, 15.): Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Considera, universaliter omnibus confessoribus esse dictum (Deuter. 1, 16. 17.): Audite illos et, quod justum est, judicate, sive civis ille sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum; ita parvum audiatis ut magnum; nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. — Deus non est personarum acceptor; super omnes aequaliter solem suae dilectionis et beneficentiae oriri facit; omnibus dat affluenter, ut salvi fiant, omnium salutem serio desiderat et per media sufficientia urget promovetque.

Verum quidem est, multum hocce in negotio dependere a praeparatione et dispositione confitentis, non minus autem a *qualitatibus confessarii.* Inter mille, monet S. Franciscus de Sales b), tibi

a) Confessional. cap. 1. par. 6.
b) Philoth. past. 1. c. 4.

selige unum, ut ait M. Avila; ego vero dico: inter decem millia; pauciores enim, qui ad hoc munus idonei sint, reperire est, quam dici queat. Plenus porro is sit oportet charitate, scientia et prudentia; harum partium una si ei defuerit, res periculo non vacat. — Tales seligantur audiendis confessionibus, statuit ecclesia Gallicana in conventu Melodunensi anno 1579 a), qui sint pietate, doctrina et prudenti judicio praediti, ne animarum medela impuris et imperitis et imprudentibus committatur chirurgis. Ornatus virtutibus sit confessarius secundum mentem divi Basilii b), cujus universae totius ipsius vitae actiones testimonio sint, charitatem in eo erga Deum inesse, . . . quem gloria inanis non inflet, superbia non extollat, adulatio non frangat, cui nihil sit praestantius honore Dei, (qui sit) integer, natura propensus ad eos docendos, qui ad ipsum accedant, nec ulli distractioni indulgeat, ab avaritia abhorreat, quietus, minime iracundus, injuriarum immemor, egentium studiosus. Imprimis igitur sacerdos confessarius, qui aliorum conscientias purgare et mundare intendit, propriam negligere non debet, sed illius *puritatem* et munditiem praecipuo studio curare, ne illi dicatur (Luc. 4, 23.): Medice, cura te ipsum, aut etiam illud Apostoli exprobretur (Rom. 2, 1.): In quo alium judicas, te ipsum condemnas c).

Meminerit porro confessarius, ut observat Abelly l. c., poenitentes patrem illum vocare, proindeque se *amore* paterno confitentes excipere et amplecti debere eorumque ignorantiam, tarditatem,

a) Tit. de poenit.
b) Serm. de abdicat. saec. lit. B. C.
c) Lud. Abelly sac. christ. p. 125. c. 11.

imbecillitatem, aliasque imperfectiones tolerare et nunquam iis quocunque modo juvandis fatiscere, quamdiu spes aliqua emendationis adlucescet. Meminerit, illo amoris paterni affectu et teneritudine cum gravissimo etiam peccatore sibi agendum, quo amantissimus pater cum errante et agnitum errorem amarissime deflente filio agere solet, ut in parabola de filio prodigo ab ipso Christo ostensum est. Sane charitate paterna plures coelo animas adducet, quam severo rigore. Quotiescunque (beato Ambrosio) aliquis ob percipiendam poenitentiam lapsus suos confessus esset, scribit Paulinus presbyter a), ita flebat, ut et illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere.

Dein charitati jungat *scientiam*. Magnopere necessarium judicamus, ait Concil. Coloniense b), ut sacerdos, qui a confessionibus est, sit eruditus. Divinarum literarum scientiam habeat, ait S. Basilius c). Spiritualis judex non careat munere scientiae, ait S. Augustinus d), oportet enim, ut sciat cognoscere, quidquid debet judicare. Quis cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? ait S. Gregorius M. e). Et tamen saepe, qui nequaquam spiritualia praecepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt, dum, qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. Horrendum profecto est, ait S. Bonaventura f), vi-

a) In Vita S. Ambrosii.
b) An. 1636 c. 53.
c) Serm. de abdic. saec. lit. B.
d) De Poenit. 2. part. caus. 33. quaest. 3. dist. 6. c. 1.
e) Lib. reg. past. part. 1. c. 1.
f) Praef. op., cui titulus: „Confessionale.“

dere quosdam sacerdotes nostri temporis, qui s. scripturam, in qua animarum regiminis ars sufficienter traditur, et jura canonica et scripta doctorum, in quibus plenissime declaratur, vel per torporem legere negligunt vel per ignorantiam nesciunt, et tamen cordis medicos in audiendis confessionibus se profiteri impudenter non metuunt. — Judex sapiens judicabit populum suum (Eccli. 10, 1.). Sciat confessarius, quae ad sacramenti rationem, quae ad ministri potestatem, quae ad poenitentium dispositiones pertinent; sciat regulas morum, differentias peccatorum, noscat morbos animi ac media, quae ad peccatoris animam sanandam et in posterum contra vim morbi muniendam aptiora videantur.

Quantavis autem doctrina et pietate praeditus sit confessarius, si tamen *prudentia* in eo desideretur, in gravissimos et perniciosissimos defectus aliquando incidere poterit. Prudentia praeprimis necessaria in excipiendis rudium, puerorum ac puellarum, mulierum, in specie extranearum, anxiorum, scrupulosorum confessionibus et spectat tum quaestiones ponendas, tum monitiones ac institutiones adhibendas, tum opera satisfactoria remediave vitae in melius mutandae praescribenda, bona consilia danda, statumque poenitentis ex integro dijudicandum.

Videat confessarius, quando et de quibus et quo modo interrogandus sit poenitens, ut neque vano aliquo respectu aut timore aliquid necessarium omittat, neque inquirendo poenitentem doceat peccata, quae nescit et quae nescire illi maxime expedit. Nolo ego (ait Melchior Canus) confessarios importunos esse et intolerabile negotium facessere poenitentibus, quemadmodum ne eos quidem probo, qui,

imprudenter interrogando, poenitentibus scandalum injiciunt adeoque eos peccare docent. — Prudens cautusque erit in interrogationibus (sacerdos), ait S. Carolus Borom. a), ne, rudibus praesertim atque utriusque sexus junioribus, ad novum et nunquam antea attentatum scelus occasionem aperiat atque det; hi tamen de peccatis, quorum nullam in confessione mentionem fecerunt et in quibus probabiliter existimari possunt deliquisse, prudenti cautione interrogandi erunt, ne aut pudore aut ignorantia celent peccata. Circa sextum praeceptum (ait S. Thomas Aqu.) caute, modeste et coram Deo interroga, ne tibi aut confitenti noceas.

Videat confessarius, quae consilia ac remedia suggerat poenitenti, ut peccata devitare vitamque nomine christiano dignam ducere queat; quas poenitentias et satisfactiones injungat, quales restitutiones honoris, famae, bonorum (si casus exigat) praecipiat. In poenitentia imponenda, ait S. Carol. Borom. b), adhibebit prudentiam et pietatem et justitiam; habebit rationem status, conditionis, sexus, aetatis; videbit, ne ei, qui in aliena potestate est, eam poenitentiam injungat, qua vel praejudicium afferatur illius juri, qui poenitentem in potestate habeat, neve eam, qua vel occasio detur spiritualis ruinae, vel poenitentis, alteriusque peccatum detegi vel aliquod scandalum suboriri vel ipse poenitens nimium deterreri remissusve et tepidus reddi possit. Complures recensere possim, ait S. Chrysostomus c), quos constat, in extrema mala adactos

a) In append. compl. novas instr. de sac. poen. p. 227.
b) In append. de sac. poen. pag. 233.
c) Lib. 2. de sacerd. c. 4.

non ob aliud, nisi quod digna ab eis poena et quae peccatis perpetratis par esset, exigeretur. Neque enim temere ad delictorum modum oportet et mulctam ipsam adhibere; sed tamquam conjecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, ne qua fiat, ut, dum consuere vis, quod interruptum est, scissuram deteriorem facias, ac dum eum, qui lapsus est, erigere atque emendare studes, casus ipse major per te reddatur. Nam, qui infirmi sunt ac remissi et magna ex parte mundi hujus deliciis illecebrisque illaqueati, ... ii, si sensim ac paulatim peccatorum correctionem adhibeas, possint utique, si non penitus, attamen ex parte, eximere se ac liberare a malis peccatisque, quibus occupantur, quos si justa statim animadversione emendes, fiet, ut minori etiam illa correctione, quam sustinere poterant, (eos) prives.

Prudens itaque confessarius etiam hoc in puncto tum laxismum (nimiam laxitatem), tum rigorismum (nimium rigorem) devitabit et via mediá incedet; instructiones suas, monitiones, consolationes, poenitentis conditioni attemperabit.

S. Thomas de Villanova etiam qua confessarius zelo, vitae integritate, scientia, charitate, prudentia excelluit. Sequamur, fratres dilectissimi, vestigia ejus, ut et nos poenitentes, ad pedes nostras convolantes, gratia Dei omnipotentis ac misericordissimi erigamus, confortemus, emendemus, et in portum aeternae salutis perducamus *).

*) Lege: Franc. Xav. Zenner instructionem practicam confessarii in compendium redactam. Viennae, 1835. Die Eigenschaften eines guten Beichtvaters. Verfaßt von Nic. Lenz. Coblenz, 1832. Homo apostolicus, instructus in sua vocatione ad audiendas confessiones auctore B. Alphonso de Ligorio. Editio 7a. Bassani, 1826.

VIII. S. Thomas, Praepositus monasterii provinciae.

S. Thomas eximia in omnibus, quae agebat et loquebatur, praeditus fuit circumspectione ac prudentia. Mirabile ejus judicium experti sunt, quotquot cum ipso ingenti animarum suarum fructu ac felici negotiorum successu egerunt, aulici praesertim omnes, tam senatores et consiliarii Suae Majestatis, quam praesules et magnates, qui in aula versabantur, in rebus conscientiae ad Thomam, tanquam ad insignem theologum et Dei servum, in negotiis vero et causis gravibus tanquam ad consiliorum fontem accurrentes. Id quum et Imperator in quibusdam occasionibus expertus esset, factum est, ut in rebus magnis et gravibus Caesarea Majestas Thomam praeprimis consuleret et audiret et juxta ejus opinionem tutiori conscientia procederet. —

Noverant id omnes provinciae illius Patres atque idcirco opera ejus uti decreverunt. Illum proinde non semel, recurrentibus comitiis, Praefectum voluere, ut nedum ejus sanctitatis exemplo, sed prudentiae quoque subsidiis ad regularis vitae perfectionem proveherentur. Grave id quidem onus fuit viro, concionum laboribus praepedito et qui natura sua tantum diligebat solitudinem et quietem cubiculi ac tantum erat addictus lectioni et studio s. litterarum piorumque librorum, considerationi ac meditationi divinorum mysteriorum, nec minus ejusdem humilitati adversum, quae, omnibus famulari assueta, vix imperantis personam posset induere. Quaecunque igitur obivit munera, ex mera obedientia acceptavit nec sine ingenti moerore ac lacrymis, com-

pulsus molestis flagitationibus ac precibus religiosorum eligentium, rejicientibus in ejus conscientiam superioribus, quidquid offensae Deo foret ex eo, quod renueret servire ordini iis in officiis, in quibus certum erat, fore, ut multum solatii ac utilitatis afferret fratribus, Dei ac superiorum voluntati obtemperaret. Hoc igitur modo Salmanticensi primum monasterio qua Prior praefuit anno 1519, quod anno 1530 iterum regendum suscepit; duabus quoque vicibus praefuit conventui S. Aug. Burgis, alias Vallisoleti. Cum vero iis temporibus Castellana provincia bipartito monasteriorum numero in duas excrevisset: utramque administravit, Baeticam (vel Andalusianam) et Castellanam; neutra enim Thomam a se divelli recentis divisionis causa patiebatur. Utraque autem vice, cum electus esset provinciae praepositus, obstitit vehementer, nolens electioni acquiescere ac multis lacrymis orans suppliciter congregatos, ut, quandoquidem, praestante divina misericordia, multi inter eos essent Patres praestantissimi, insigni pietate ac dotibus ad hoc munus et alia majora instructi, horum aliquem eligerent; quia sese ac vires suas tanto oneri, quale est provinciae regimen, impares experiebatur, atque ipsum in cella sua inter libros relinquerent. At Patres fortiter institerunt semper ac rationes protulerunt adeo efficaces, ut iis compulsus veritusque, ne obsisteret divinae voluntati, munus Praepositi provincialis susceperit ambabus vicibus et pluribus ad id promotus fuisset, nisi impedivisset ipse. Ad haec Definitoris, ut vocant, ac Visitatoris munera obivit. —

Quemadmodum autem Thomas aliorum regimini invito prorsus animo humeros dabat, ita se-

mel impositum prompto et alacri animo ferre consueverat, nullo unquam aut taedio abreptus, aut fractus labore. Accrescebant ipsi cum officio virtutes omnes. Promoveri, ipsemet asserebat, idem est ac obstringi, ut sis sanctior, religiosior et exempli melioris, magis pius ac in oratione magis assiduus, utpote majori indigens Dei gratia ac novo e coelis lumine, ut bene tanti momenti munere defungaris. —

S. Thomas invito licet animo Praepositus monasterii sui, imo totius provinciae factus, omnes vires suas in id impendebat, ut officia muneris sui rite expleret. A novitatibus, utpote pacem ac tranquillitatem persaepe turbantibus, abhorrens, leges a majoribus acceptas bonasque consuetudines antiquitus receptas servari voluit, correctis interea, quae emendatione indigebant. Sic nunquam toleravit, ut aliquid in his, quae functionum sacrarum decorem ac majestatem attinebant, quantumvis minimum videretur, negligeretur. Imprimis autem curae habuit, ut subditi, fidei suae commissi, a rebus mundi essent segregati, veri nominis monachi, ex toto corde Deo famulantes moresque suos ad verae solidaeque virtutis normam componentes, saepenumero repetens, *interiorem* hominem summe studio perficiendum esse, utpote sine quo *externa* religionis species inanis esset, atque ad pudendam hypocrisin declinaret. Hinc jugiter subditos suos ad amorem Dei, ad charitatem proximi, ad interiorem propriae conscientiae puritatem hortabatur. Hinc in omnibus sermonibus suis ad subditos directis orationis et lectionis exercitia multis saepe lacrymis commendabat; hinc continuum laborem, ingenio ac statui cujusque adcommodatum fugamque otii serio urgebat; proprio in omnibus

exemplo praelucens. — Quod attinet lectionem librorum sacrorum, hanc solebat comparare calori stomachi naturali, dicens, quod, sicut sine illo calore cibus prodesse nequit, per ipsum autem recte concoquitur ac digeritur et sic corpus humanum nutritur, membris omnibus robur additur, vita naturalis servatur: ita etiam lectione librorum bonorum, consideratione eorum, quae in eis dicta sunt, spiritus hominis religiosi animetur, ut habeat devotionem ad aram, alacritatem ad obedientiam, attentionem in choro, gustum in officio divino, in molestiis patientiam, robur contra tentationes et insidias inimici et ut omnia cedant ad bonum et profectum animae.

Dum praeerat domibus, licet tantopere concionibus habendis, confessionibus excipiendis et tot personis pro animarum suarum remedio ac consolatione in molestiis suis ad eum recurrentibus, non praetermittebat media nocte chorum frequentare et per diem iis horis, quibus commode poterat, interesse ita quidem, ut primus ingrederetur et egrederetur postremus. Otium, malorum fontem, e claustris eliminaturus unicuique congruam occupationis mensuram perpetuo assignatam volebat. Idcirco, cum provincias regeret, monasteriorum superioribus in mandatis dabat, ut religiosum, quem per aedes vagantem et garrulitatibus aliisque rebus inutilibus tempus dissipantem conspicerent, prima vice amice ac seorsim, secunda vice publice atque acriter reprehenderent, et non emendantem sese severe castigarent; si vero posthac perseveraret in vitio isto, adaugeretur ipsi poena, donec ad meliorem frugem rediret ac pravam consuetudinem exueret, animae tam per-

niciosam et noxiam. Fugienda otiositas, scribit S. Bernardus *), mater nugarum, noverca virtutum. Cavendum et in otio otium est.

Mutuam deinde inter sodales pacem, concordiam, charitatem fovendam augendamque prae oculis habuit, opportune propterea in eos animadvertens, quorum vitio dissidia aut rumores excitarentur.

Ipse autem summa et vere paterna charitate absque omni partium studio omnes, tamquam filios, amplectebatur, diligebat omnes. Omnis illa austeritas, qua utebatur erga semetipsum, non oberat, quominus mitis ac facilis esset erga subditos. Tam candide, tam modeste agebat semper cum subditis, ac si aequales sibi essent omnes, nemo inferior; haud immemor tamen idcirco vel incurius religiosae illius auctoritatis, quam servare tenetur superior, ne occasione illius ingenuitatis debitam subditi exuant observantiam ac venerationem; sed duo ista ad eum modum temperabat, ut omni casu et tempore prae se ferret humilitatem compositam et gravem, gravitatemque sanctam et prudentem, religiosam et humilem.

Summa dein patientia ac mansuetudine uniuscujusque mores ac imperfectiones perferebat. Et si quid correptione dignum apud suos invenisset: paterna charitate corrigebat et castigabat errores subditorum ac pro insigni sua prudentia cuilibet ad eum modum reprehensionem ac punitionem adhibebat, ut et medicinae loco ipsi esset et emendationem sortiretur, culpas quippe oderat, amabat personas. Intelligens culpam aut negligentiam, ex qua damnum pati poterat conscientia religiosi subditi sui, amare

*) De consid. l. 2. c. 13.

tunc flebat, indictoque sibi arctiori jejunio ac flagellis ad sanguinem usque adhibitis, rei prius ipse luebat poenas; tum prudenter dissimulans rem majori cura erranti invigilabat, exspectans occasionem et tempus, quo reprehensio et poena cederent in utilitatem et bonum subditi; morabatur, quoadusque, sedatis animi motibus, blande corrigenti aut poenam statuenti aequiores praeberet aures, qui deliquisset; deinde, dum tempus opportunum videbatur, reum advocabat et eum charitate ac mansuetudine reprehendebat, et si res rigorem exigeret, castigabat severe. Ejusmodi reprehensio aut castigatio suscipiebatur magna cum humilitate et patientia, agnoscebatque subditus culpam suam ac boni praesulis amorem et affectum, ex quo procedebat punitio; atque per hanc emendabat sese et proficiebat amplius. Nonnunquam etiam, quin verbum protulisset, solo intuitu subditos corrigebat.

Eadem charitate satagebat divus Thomas occurrere singulis suorum religiosorum necessitatibus temporalibus dispiciendo, quid cuique necessarium esset, et, quod opus erat, insigni liberalitate subministrando. Excellebat sollicitudine erga infirmos, quos frequenter visitabat; videbat, quomodo unicuique provisum esset, tam de munditia in lecto quam de bona suppeditatione ciborum, ea sollicitudine, qua solet prospicere mater aegrotanti filio, quem diligit tenerrime.

His virtutibus jungebat curam pro bono communi domus suae, simulque notabilem despectum et incuriam commodi proprii. Etenim, cum tantus esset concionator et tam charus Imperatori Carolo V. ac tanto in honore habitus apud omnes Hispaniae magnates: cella ejus, exceptis libris necessariis, lec-

tus, cibus, vestitus et quidquid habebat ad usus proprios, non differebat a rebus pauperrimi et infimi religiosi, qui in ordine reperiebatur. — Quidquid ei donabant praeclari illi homines (nec exiguum illud fuerit), in utilitatem et usum communitatis convertebat. Hinc etiam ex rebus multis ac valde pretiosis ad se missis eas duntaxat acceptabat, quae dabantur et applicari poterant communitati, nullam umquam volens admittere, quae sibi soli concedebatur.

Provinciae Praefectus mox ipse omnes visitabat provinciae domos, minime parcens laboribus, qui in tot itineribus erant perferendi. In domibus, quas visitabat, non permittebat sibi porrigi extraordinaria aut lautiora aliqua, quia quotidianum victum eumque valde moderatum nunquam excedebat. Visitans diligentem dabat operam ad roborandos et animandos eos, quos in semita religionis gradientes comperiebat modo, quo oportebat, ut ulterius semper procederent; negligentes corrigebat, contumaces ac turbulentos severe castigabat, simplicibus lumen subministrabat, pusillanimes solabatur atque omnibus ordinem ac leges suggerebat servandas, ut quilibet in sua vocatione serviret ac placeret Deo.

Tam exacte S. Thomas officia Praepositi adimplevit. Utinam et nos in ejusmodi adjunctis ejus exemplum imitaremur! Ecce quanta *humilitas* emicat in sancto isto homine! Omnibus qualitatibus mentis et animi, quas munerum sublimitas desiderat, abunde instructus non cogitat alta, non quaerit sublimia; subesse amat, non praeesse, ministrare omnibus, non imperare, contentissimus statu suo humili Deo soli vivit ac proximo; orationi, meditationi, sacrae lectioni vacans, sine intermissione verbum divinum

praedicans summo cum fervore, sacras confessiones zelo infatigabili excipiens, a consiliis et auxiliis omnibus, qui in indigentiis suis ipsum accedunt. Eligitur praepositus monasterii, Praefectus provinciae; moerore, non gaudio, affectus recusat acquiescere suffragiis fratrum, propriae infirmitatis conscius vires suas impares putat tanto oneri sustinendo; lachrymatur, rogat, obtestatur fratres, ut in alios praestantissimos ordinis viros oculos suos convertant, ex his unum seligant ipsumque in cella sua relinquant. Ast irriti sunt conatus ejus. Fratres instant petitionibus; superiores urgent. Itaque nonnisi invitus ac moerens eoque consilio, ne manifestatae hoc modo voluntati divinae resistere videretur, munus oblatum suscipit.

O virum praeclarum, ineffabilem, prorsus admirandum! Quot enim etiam inter clericos ac religiosos invenire est homines, scientia sua, licet illi sancti Thomae aequiparari nequeat, inflatos, meritis suis, licet illa S. Thomae non attingant, superbientes, qui fors eo tantum consilio statum clericalem vel religiosum ingressi sunt, ut immodicae suae dominandi libidini facilius satisfacerent, ut brevi tempore ad dignitates eveherentur, titulis condecorarentur, loca sublimiora conscenderent; quique, si inopinato, contra omnem spem, cuncta votis non respondeant, si diutius in munere inferiori retineantur, honoribus careant, statu suo incon'enti vivant, murmurent, leges transgrediantur, scandalo sint, sicque pacem internam ac tranquillitatem animi perdant, felicitatem suam pessumdent.

Noli quaeso, perdilecte, horum vestigia terere; sequere exemplum divi Thomae! Sicut enim in corpore humano multa quidem membra sunt, omnia au-

tem unum corpus efficiunt, nec oculus manui dicere potest: opera tua non indigeo, nec caput pedibus: non estis mihi necessarii; sed potius, quae videntur membra corporis infirmiora esse, magis necessaria sunt (I. Cor. 12, 20—23.): ita in civitate quoque ac Ecclesia multa quidem ministeria ac diversa, una autem civitas, una Ecclesia; nec potest superior dicere inferiori: opera tua non indigeo, non es mihi necessarius; omnia enim munera, superiora et inferiora, quasi concatenata sunt, ad eundem scopum collimant. Quid itaque refert, num hic stes vel ibi? dummodo stes fortiter ac viriliter pro Domino, i. e. dummodo officia muneris tui perfecte adimpleas, vigiles, labores pro gloria Dei et salute proximi, malo resistas, et non sedeas vel dormias, vel torpeas, officia tua negligas. Etiam servus, qui in modico est fidelis, intrat in gaudium Domini sui. (Matth. 25, 23. Luc. 19, 17.) Etiam hi, qui circa undecimam horam venerant in vineam Domini, singulos accipiunt denarios, sicut primi (Matth. 20, 9. seq.). Quid autem facilius est, muneri satisfacere, quod inferius, an illi, quod sublimius est? Quo major dignitas, quo sublimius munus, eo major officiorum ambitus, eo frequentior ad varia peccata tentatio, eo celerior lapsus, eo graviores peccati sequelae, eo strictior rationis redditio coram tribunali altissimi ac justissimi Dei. Exultavi, scribit S. Bernardus in epistola ad Eugenium Papam III., tunc recens in Summum Pontificem electum, exultavi, fateor, sed cum tremore. Exultavi, sed in ipso exultationis meae articulo timor et tremor venerunt super me. Ego enim etsi nomen patris deposui, sed non timorem, non anxietatem. — Considero gradum, et casum vereor. Considero fastigium dignitatis, et

intueor faciem abyssi jacentis deorsum. Attendo celsitudinem honoris, et e vicinio periculum reformido pro eo, quod scriptum est (Psalm. 48, 13. 21.): Homo cum in honore esset, non intellexit, ac si diceretur: Honor absorbuit intellectum. — Altiorem quidem locum sortitus es, sed non tutiorem; sublimiorem, non securiorem. — Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo (Luc. 12, 48.). Durissimum judicium his, qui praesunt, fiet (Sap. 6, 6.), quoniam non tantum pro seipsis, sed etiam pro tot aliis, ipsis subditis, ipsorum curae commendatis, rationem sunt posituri. O quam difficile, pro se ipso rationem ponere; quanto difficilius, pro tot aliis rationem reddere! An non insanire tibi videtur, qui proprio marte damnationis suae periculum auget?

Posito autem, te omnia haecce pericula, saluti animae minantia, evitaturum, quantae aliae miseriae altiori muneri inhaerent! Nulla quies ac tranquillitas; vigiliae nocturnae aeque ac diurnae; accedit copiosus invidorum numerus, qui omnem actum, quodvis verbum observant, detorquent, false dijudicant, honam famam subvertunt, commaculant, undique insidias struunt. Meditantibus quidem honores, scribit S. Bernardus *), blandiuntur (munera altiora), sed onera pensantibus taedio sunt atque formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbum. Multi enim non tanta fiducia et alacritate currerent ad honores, si esse sentirent et onera. Gravari profecto metuerent, nec cum tanto labore et periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum.

Sed manent tamen iis gloria, honor, decus, im-

---

*) In ep. 42. seu tract. ad Henricum, Senon. Archiep. c. 7.

perium, potentia? — O miser homo, si talia quaeris, tâlia desideras! Haec mundana sunt, hinc vana ac transitoria. Qui hodie laetantur, cras flebunt. Quos hodie exaltant homines, illos cras deprimunt; quos hodie laudant, hos crastina die odio habebunt. Vanus utique labor, scribit S. Bernardus a), qui studio vanitatis assumitur. — Infelix, qui in hujus vitae tenebris et lubrico fidens perituram insumit operam, nec advertit, quoniam vapor est, ad modicum parens, et vanitas vanitatum. — Tam cito labitur mundi potentia, ait B. Jacoponus b), quam vasa figuli, quae sunt fragilia. — Credendum magis est vitris fallacibus, quam mundi miseris prosperitatibus. — Haec carnis gloria, quae magni penditur, sacris in litteris flos foeni dicitur. Nil tuum dixeris, quod potes perdere. Quod mundus tribuit, intendit rapere. Ut leve folium, quod vento rapitur, sic vita hominis, quae cito tollitur.

Noli itaque, dilectissime! si salutem animae tuae cordi habes, altiora te quaerere (Ecclesiastic. 3, 22.), in magnis, in mirabilibus super te ambulare (Psalm. 130, 1.), dignitates, honores, potentiam anhelare. Spiritus enim Domini, ut ait S. Bernardus c), non requiescit, nisi super quietum et humilem. Discite a me, ait Salvator (Matth. 11, 29.), quia mitis sum et humilis corde. Non alta sapientes, scribit Apostolus (Rom. 12, 16.), sed humilibus consentientes. Esto contentus sorte tua! Fac, quae muneris tui sunt, sine omni vano respectu vel praemii

---

a) Lib. de conv. ad cler. c. 8.
b) In Threnodia 1. 3. 9. 10.
c) De moribus et off. ep. c. 5.

desiderio; stude omnibus viribus interni hominis perfectioni.

Quodsi placitum Deo fuerit ad altiora te vocare, ipse diriget consilia principum et cogitationes populorum. Divisiones enim ministrationum sunt, ait Apostolus (I. Cor. 12, 5.), idem autem Dominus; divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Quodsi Deus vocationem suam manifesto modo, sicut in vita S. Thomae saepius videre est, declaraverit: tunc demum, ne voluntati divinae resistas, altius fastigium cum timore ac tremore *conscende*, de novo exemplum S. Thomae imitaturus.

Invitus Thomas regimen fratrum in se suscepit, impositum autem prompto et alacri animo usque ad tempus, quo se illi subducere licuit, tulit, nullo unquam aut taedio abreptus aut fractus labore, promovendae gloriae Dei ac procurandae subditorum saluti unice intentus. Sic et tu, ad altiorem dignitatem evectus, sustine Dominum, *viriliter age* (Psalm. 26, 14.), non proprii honoris amplitudini, non proventuum conglomerationi, non vitae commoditati, sed solius Dei gloriae ac saluti subditorum intentus secundum verba Apostoli (I. Pet. 4, 10 — 12.): Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Ita praesis, scribit S. Bernardus *),

*) De consid. ad Eug. P. lib. 3. c. 1. 3.

ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves. Praesis, ut prosis; praesis, ut fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam (Matth. 24, 45.). — Praees. Ad quid? Numquid, ut de subditis crescas? Nequaquam, sed ut ipsi de te.

Constantia, fortitudo in exequendis muneris sui officiis cuivis praeposito necessaria est quam maxime. Facile enim fieri potest, ut praepositus, multis oppressus curis, multis gravatus laboribus, qui omne ferme otium ei adimunt et insuper ob imbecillitatem, levitatem vel perversitatem hominum omni ferme fructu saepius carere videntur, variis affectus calumniis, judiciis iniquis laceratus, dura subditorum cervice, levitate, ingratitudine offensus, optimis consiliis suis invidia inimicorum in nihilum redactis, taedio afficiatur, tepescat, nil amplius curet, nihil ardentius desideret, quam liberari a jugo officii. Tantae mali spiritus tentationi fortiter resistendum, atque ideo contra omnes insidias inimici acriter pugnandum et, ut victoria certamen coronet, divinum Omnipotentis auxilium continuo implorandum. Praepositus enim, ut ait noster S. Thomas, majori indiget Dei gratia ac novo semper e coelis lumine, ut bene defungatur munere suo, ut videat, quid sibi agendum, quid omittendum, quid a subditis exigendum, quid eis concedendum, in quo postulationibus eorum annuendum, in quo resistendum, utque in afflictionibus suis internam bonae conscientiae dulcedinem ac Spiritus sancti consolationem inveniat.

Magnam partem onus suum sibi alleviabit, si ad exemplum divi Thomae vera in fratres *charitate* flagraverit, si non sibi, sed fratribus, vixerit, si non commodis propriis, sed bono communi studuerit,

si externis quoque vel temporalibus fratrum necessitatibus satisfecerit. Cibus, vestitus, lectus D. Thomae (etiam praepositi provinciae) non differebat ab illo infimi religiosi; ipse omnia dona accepta in bonum communitatis convertebat, cuique necessaria liberaliter suppeditabat ac praeprimis infirmorum curam gerebat. Unde, quaeso, tot incontenti inter clericos quoque ac religiosos, tot fratres murmuratores? An non saepius hoc phaenomenon incuriae praepositorum adscribendum, si neglectis subditis sibi vivunt, ditescere volunt, splendorem externum, commessationes, exhilarationes amant, suosque subditos penuriae relinquunt, nec victum, nec vestitum, nec alia ad vitam, culturam mentis, restitutionem sanitatis illis necessaria curantes? Ne igitur, fratres perdilecti, si aliquando aliis praepositi fueritis, sic feceritis! Diligite subditos fratres, illorum necessitatibus ex omni parte ac pro viribus subvenientes. Necessaria de manu vestra accipiant *). Dein curate, ut et officiis ab omnibus satisfiat, ut et interior homo excolatur ac perficiatur. Curate, ut media ad culturam animi necessaria adhibeantur ab omnibus; ut omnes officia divina attente ac devote peragant, ut orationi, s. scripturae aliorumque piorum librorum lectioni vacent, statuta et leges receptas fideliter observent; numquam non utiliter occupati sint, quin ideo necessaria corporis quies vel exhilaratio mentis iis subtrahatur; ut dein idem sapiant, pacem ac concordiam inter se habeant (II. Cor. 13, 11.), charitate fraternitatis invicem diligant, honore invicem praeveniant (Rom. 12, 10.), Deo sincero corde famu-

*) Sec. S. Bernard. de consid. l. 4. c. 6.

lentur, moresque suos ad verae virtutis normam componant, omnibus adificationi sint, scandalo nemini, ut non vituperetur ministerium nostrum (II. Cor. 6, 3.), ut et is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis (Tit. 2, 8.).

Jam hunc finem ut assequamini, adhibeatis *media*, quibus D. Thomas usus fuerat. Ante omnia in regimine gerendo alieni sitis ab omni novandi libidine, quin ideo abusus toleretis. Nec pertinaciter iis, quae semper ita fuere, inhaereatis, omnem mutationem in melius detrectantes, nec omni fere momento ordinem rerum in deterius forte invertentes; bonus enim pater familias profert de thesauro suo nova et vetera (Matth. 13, 52.); meditandum autem diu, quod statuendum semel; non tam innovatio, quam observatio legum persaepe necessaria. Statuta priorum temporum, quae omni ex parte probanda sunt, et consuetudines introductae, quae regulae morum ac fini instituti conveniunt, sancte servandae ac tuendae; mutationes magna tantum cum circumspectione faciendae; abusus caute tollendi.

Alia media, quae Vobis praesto sunt, preces sunt continuae, instructiones, exhortationes, monitiones; exemplum proprium; tractatio fratrum prudens, patiens, ab omni partium studio aliena, charitate plena. S. Thomas, erga se ipsum valde austerus, mitis ac facilis erat erga subditos, nequaquam ex numero eorum, qui, ut Redemptor ait (Matth. 23, 4.), onera alligant gravia et importabilia et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Ille omnes pari charitate complectebatur, tractabat ut sibi aequales, quin auctoritati suae quid denegaret; imperfectiones fratrum ac sin-

gularitates eorum patienter tolerabat, et quod correptione dignum, corrigebat, modo charitate ac prudentia pleno; debiles confortabat, ignorantes instruebat, afflictos ac moestos solabatur. Facite et Vos similiter! Ante omnia memores sitis in orationibus vestris fratrum subditorum, atque indesinenter Deum precemini, ut eos Spiritu suo repleat. Dein luceat lux vestra coram fratribus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem, qui in caelis est. (Matth. 5, 16.) Tum omnes aequali, sincera charitate, sicut fratres, sine omni personae acceptione complectimini; instruite, obsecrate, increpate omnes et singulos, prout necessitas postulaverit, in omni patientia et doctrina (II. Tim. 4, 2.), neminem verbo offendentes, vel ad iracundiam provocantes (Ephes. 6, 4.); sed peccantes in spiritu lenitatis (Gal. 6, 1.), cum mansuetudine et gravitate, tempore ac loco accommodo, nutu, verbo, secreto, publice monentes, arguentes, et qui se emendare noluerint, castigantes. His autem dein eo attentius invigilate ac pro eorum delictis ipsi aliquatenus satisfacere conemini. Errant, qui erga se ipsos mites sunt ac indulgentes, erga subditos austeri ac severi; errant, qui dure, inhumaniter, superbe subditos tractant, aeque ac qui omnem auctoritatem suam exuunt; errant, qui omnia tolerant, neminem redarguentes, et qui nihil dissimulant, omnem defectum rigide perstringentes. Patris est, ferre defectus prolium suarum. Praepositus, qui nil dissimulare scit, nihil unquam utile operabitur *). Nec austeritatem suadeo tibi, scribit

*) Joan. B. Massillon sermones ad ecclesiastiacos. Tom. 3. Disc. 15. de mansuetudine.

S. Bern. ad Eugenium Papam a), sed gravitatem. Illa infirmiores fugat, haec reprimit leviores. Illa si adsit, odibilem; haec si desit, contemptibilem reddit. In omnibus tamen modus melior. Ego nec severius velim, nec dissolutius. Quid hac mediocritate gratius, ut nec de severitate sis oneri, nec de familiaritate contemptui? — Ament Te domestici tui; si non, facito, ut timeant. Errant b), qui, ut S. Greg. M. ait, nunquam clementer admonent, sed, pastoralis mansuetudinis obliti, jure dominationis terrent. Charitas enim, quae sola zelum nostrum formare debet, non agit perperam, ut ait Apostolus (I. Cor. 13, 4.); in remedio correctionis, quam applicat, non proponit sibi ostentationem auctoritatis, sed salutem infirmi; charitas non irritatur (I. Cor. 13, 5.); ira illius est ira matris piae, quae, cum vocem leonis mutuare videtur, hanc mitigat per gemitus columbae. Oportet igitur, dum fratrem peccantem corripimus, id facere ita, ut plus erga eum lenitudinis, quam erga vitia illius horroris ostendamus. Errant, qui magis quietem suam, quam subditorum salutem amant, qui magis student amorem subditorum sibi conciliare, quam vitia illorum corrigere; qui omnia sufferuut, omnia dissimulant, ne exacerbent animos subditorum, eorumque corda a se alienent, sed ut potius falsam bonitatis reputationem sibi procurent. Hi sunt, quos monet S. Greg., ne se magis a subditis diligi ament, quam veritatem. Hi sunt, qui communiter omnem apud subditos auctoritatem perdunt, qui (subditi) praepositos suos tamquam molles ac timidos spernunt.

a) De considera. lib. 4. c. 6.

b) Vide Joan. B. Massillon serm. ad eccles. disc. 15. de mansuetudine.

Sequamur igitur exemplum divi Thomae; jungamus gravitatem humilitati, mansuetudinem rigori, charitatem ac patientiam severitati, et sic ad exemplum Thomae veram ex parte subditorum aestimationem, charitatem, timorem nobis conciliabimus.

IX. S. Thomas a Villanova alumnos suos in Mexicanam regionem mittit.

Interea, dum Hispaniarum populis sacrae praedicationis ministerio, sodalibus vero optimi regiminis prudentia consuleret Thomas, majora adhuc consilia animo concipiebat. Siquidem dilatandae fidei atque ordinis sui inter barbaras novi orbis gentes, non multo ante Hispanici regis ditioni subactas, amplificandi rationem ac modum tacitus moliebatur. Quoniam vero ipse ad miseros illos homines conferre se non poterat: ita rem expedire statuit, ut ex sodalibus aliquos in partem laboris vocatos in Mexicanum regnum mitteret, ipse, negotii summam in Hispaniis gerens, auxilia omnia illic degentibus suppeditaret. Itaque occasionem nactus, dum Baeticam provinciam administraret, manum operi admovere coepit, delectis praesertim quatuor doctrina ac sanctitate praestantioribus viris, quos olim in theologia erudiendos susceperat, quosque non absimilem hac in parte mentem gerere apprime noverat. Hi fuere Hieronymus Ximenius, Christophorus a S. Martino, Petrus Pampilonensis, Joannes Cruzatus, quibus alios pariter tanto muneri idoneos adjunxit.

Delatam sibi a S. Praesule expeditionem libentissime omnes amplexi sunt. Cum primum arripiendi itineris facta est facultas: Thomam convenere, eam

plane, quae apostolicos viros deceret, speciem praeseferentes, rudiori scilicet amicti habitu ac pede sandaliis tantum suffulto. Tum ad ejus genua provoluti paternae benedictionis pignus et assiduae orationis subsidium, quo bene omnia cederent, enixe postularunt. Ad hos hilari fronte conversus S. Praesul ac prae gaudio collachrymans: „Ite, inquit, filii, vos ille ad has mittet nationes, qui Apostolos olim in universum orbem promulgandi evangelii causa dispersos abire jussit. Ne incertae navigationis pericula, gentium barbariem, incommoda, aerumnas timeatis; qui enim vos mittit, haud dubie vobis ipse praesidio erit. Aut enim vos gentibus fidem, aut illae vobis martyrium dabunt. Utinam et ego pro Christo legatione fungi possem! Verum, si minus queam auxiliarem manum laborantibus praesens afferre, certe orationibus, jejuniis, quacumque demum licuerit via, quantumvis absens, vobis non deero."

Ac revera sacrae illius expeditionis negotia strenue adeo curavit Thomas, multiplicatis praesertim novorum sodalium missionibus, ut brevi Mexicano in regno nova ordinis provincia erecta sit et magna earum regionum pars verae fidei lumine illustrata fuerit. Omnium, quae ibi agebantur, certiorem per epistolas Thomam reddere satagebant apostolici viri, saepe gratulantes, quod opus illud suum, divino afflante Spiritu, magis in dies proficeret, eidemque largiora a Deo praemia precabantur. Atque hoc commercii genus, quamdiu in ordine vixit S. Praesul, religiose observarunt Mexicani Patres, nihil, nisi eo auctore, aggredi assueti, cui nempe totius operis, ut initia, sic et progressus merito deberentur.

Et nos, fratres, parati simus ad Evangelium, si

Deus nos vocaverit, barbaris nationibus praedicandum; speciosi enim pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (Rom. 10, 15.). Quodsi autem haec provincia nobis demandata non fuerit, saltem societatem Leopoldinam, nostris in terris erectam, pro viribus verbo et exemplo adjuvemus, ut de die in diem magis magisque crescat ac dilatetur regnum Ejus, qui nos pretioso sanguine suo redemit, cui honor et gloria et potestas in saecula saeculorum. (Apoc. 5, 13.)

X. S. Thomas, Archiepiscopus Valentinus.

Si quis Episcopatum desiderat, ait S. Paulus (I. Tim. 3, 1.), bonum opus desiderat. Hisce verbis Apostolus gentium dignitatis episcopalis desiderium, vel ut verius loquar, ambitionem, velut sanctam et irreprehensibilem depraedicare velle videtur, quum tamen in epistola ad Hebraeos (Heb. 5, 4.) scribat: Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Quodsi ita est, quodsi nemo sibi honoris officium aliquod vendicare debet, nisi speciali quodam modo a Deo vocetur, qua ratione Episcopatus, qui supremi in Ecclesia Dei honores existunt, ambire et desiderare licebit? Audi igitur S. Hieronymum, qui, effatum Pauli ponderans a), ita scripsit: Non dicitur, bonum gradum desiderat, sed bonum *opus*, i. e. secundum glossam Dionysii Carthusiani super illum Apostoli textum in op. de reg. prae. Tom. 1. art. 4. *officium* sanctum desiderat. Audi Cajetanum b) hanc sententiam ita declarantem: Si quis superintendentiam cupit, bonum seu praeclarum

a) Lib. 1. contra Jovin.

b) Jos. Mansi locup. Bibl. mor. tom. 1. trac. 3. disc. 13.

opus desiderat. Non dicit (Apostolus), si quis dignitatem, si quis gradum, si quis proventus, si quis honores, si quis gloriam Episcopatus, sed si quis ipsum Episcopatum, hoc est, ipsam superintendentiam, ipsum superintendere desiderat: procul dubio desiderat opus, cum superintendere sit opus, non qualecunque, sed bonum, et praeclarum. Ideo et S. Chrysostomus a): Si quis Episcopatum desiderat, ait, non culpo, non improbo, opus quippe regiminis est, si quis hunc idcirco appetit, non principatus aut dominationis fastu, verum cura regiminis et charitatis affectu; bonum quippe desiderat opus.

Nihilominus fuere in Ecclesia viri sancti, qui Episcopatum non tantum non desiderarent, sed plus quam mortem ipsam et martyrium fugerent. Unde hoc? — Duae facile adferri possunt rationes: Apostolus in praedicta ad Timotheum epistola citatis mox addit (I. Tim. 3, 2.): Oportet ergo Episcopum *irreprehensibilem* esse. Itaque, ait S. Chrysostomus b), qui sibi vel levis culpae conscius est, male profecto facit, eam rem appetens, qua indignum se per opera facit; non enim decet hujusmodi regere, sed potius regi; debet (si velit dignus esse) vitam habere immaculatam et compositam, ut omnes in illum et in ejus vitam veluti in exemplum aliquod excellens intueantur. — Quis autem uspiam inveniatur, qui hunc de se conceptum habeat, quod scilicet immaculatus sit, cunctisque virtutibus instructus? Periculosum est et superbia plenum, ait Salmeron c), se caeteris aestimare magis idoneum. Narrant de Cardinali Bel-

a) Hom. 10. in ep. 1. ad Tim.
b) Loc. cit.
c) Jos. Mansi l. c.

larmino a); quod virum quemdam religiosum ob scientiae excellentiam et exemplaritatem, qua praefulgebat, Episcopatu dignissimum existimaverit, animi tamen sui sententiam mox retractaverit, ubi ab ejusdem religiosi ore, se Episcopatum desiderare, percepit. Tunc enim eidem protinus respondit: Optime pater, hactenus quidem hoc munere dignissimum te esse credidi; at vero nunc, ex quo te munus episcopale desiderare audio, te illo jam non amplius dignum esse existimo.

Altera ratio est, quia munus Episcopi, ut Conc. Trident. affirmat b), *onus angelicis humeris formidandum* est, cum Episcopus non tantum pro seipso, sed pro tot aliis ipsius curae concreditis rationem ponere debeat, et cum hisce temporibus Episcopatus etiam cum magno honore, quandoque et cum divitiis conjunctus sit et per se plurimis periculis exponat. Hoc interest inter unumquemque vestrum et nos, ait S. August. c), quod vos paene de vobis solis reddituri estis rationem, nos autem et de nobis et de omnibus vobis. Quam multa supplicia Episcopos manent, ait S. Chrysost. d), cum ex iis unusquisque non solum rationem redditurus sit suorum delictorum, sed eorum item omnium, quae alii commiserint. Nam si horremus, dum nobis judicium id subeundum est, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri sumus, ut qui sentiamus, nos illum ignem aeternum effugere nequaquam posse; quid illi exspectandum est, qui tam multorum nomine causam

a) Jos. Mansi l. c.
b) Sess. 6. dec. de ref. c. 1.
c) Lib. 50. hom. 25.
d) Lib. 3. de sacerd. c. ult.

sit ipse dicturus? Verum hoc esse, patet ex verbis B. Pauli (Hebr. 13, 17.): Obedite praepositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pro vobis vigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Nos periclitamur (I. Cor. 15, 30.) omni hora. Quo majus est fastigium majorque dignitas, ait S. Gregor. Naz. a), eo etiam majus periculum est. Plus duces et principes, ait S. Cyprian. b), quam milites appetuntur in pugna. Quantalibet quisque animi virtute polleat, ait S. Chrysost. c), cum tamen clavum et Ecclesiae gubernacula suscipit, insperatis fluctibus quatitur et variis undique negotiis actus paene submergitur . . . d) Tunc et inanis gloria vehementius imminet, et pecuniarum amor et fastus, cum principatus ipse praestet licentiam offensionis et contumeliae. Sublimis gradus, ait S. Bernardus e), sed eo amplius periculosa ruina. Sunt, qui bono efficiantur deteriores. Ecce bonum est libertas (ait Doctor angelicus), sed libertate plures mali fiunt. Bonum est scientia, sed scientia plures inflantur. Bonum est cura pastoralis, sed pluribus fuit causa ruinae. S. Hieronymus refert f) de quodam olim electo Episcopo, quod priusquam oblatum sibi Episcopatum acceptaret, quemdam patruum suum, qui vitam agebat eremiticam, accessit, ut cum ipso, an dignitas illa sibi acceptanda esset, consilii causa deliberaret. Bonus igitur hic eremicola nepotem suum

a) Orat. 1. n. 21.

b) De sing. Cler. inter. op. S. Cyp. n. 159.

c) Hom. 1. in 2. ad Tim. lit. D.

d) Hom. 1. in 1. ad Tim.

e) Tom. 1. edit. Mab. Serm. in haec verba: Haec est generatio quaerentium Dominum.

f) In reg. mon. c. 15. (V. Jos. Mansi loc. Bibl. mor. Tom. I. p. 112.)

quamdam proxime vicinam, valde altam et praeacutam rupem ascendere jussit, qui postquam conscensa rupe descendisset, senique eremitae dixisset, se in eadem rupe in magno fuisse praecipitii horrendi periculo, sanctus ille senex subjunxit: Crede mihi, in longe majori periculo constitutus eris, ubi Episcopus factus fueris. Quanto major honos datur (ait S. August.), tanto majus periculum comparatur; isti tales sunt elati, superbi, vanitate pleni, luxuriosi, gulosi et hominibus magis placentes quam Deo; hi sunt se ipsos amantes, gulae servientes magis, quam spiritualibus intendentes, corpus ornantes et animam foedantes. Si novisses, ait S. Chrysost. a), quod Episcopus debet omnium onera portare, quod aliis irascentibus datur venia, ipsi vero nequaquam, quod aliis peccantibus superest excusatio, ipsi vero minime, haudquaquam festinasses ad primatum, haudquaquam accurrisses.

Et revera fuere Sancti, qui, licet viri misericordiae et veri animarum zelatores existerent, tamen solitudinis latebras sollicite perquirerent, totis viribus id agentes, ut praelationis onus ac dignitatem effugerent. Eorum principiis adhaerebat et noster Thomas de Villanova. Ipse in quadam concione, in festo S. Aegidii Abbatis habita b): Grandis honor, ajebat, episcopatus, sed importabile pondus et formidabilis timor . . . . Si Praelati (nostri) hujus obligationis pondus satis intellexissent, abscondissent se forsitan in petris et in cavernis terrae latuissent, ut oblatam effugerent dignitatem, cui tantum animae

a) Hom. 3. in Act. Ap.

b) Concion. tom. II. conc. 1. in festo S. Aegidii Abb. p. 816. W. seq.

suae periculum annexum est. Et quod verbis publice declarabat, factis quoque propriis demonstrabat. Tanta erat hujus sancti viri humilitas, ut, indignum se reputans, neque monasterio et provinciae ordinis sui praefici vellet, et nonnisi invitus ac moerens, precibus fratrum motus munera, de quibus jam sermo erat, in se susciperet. Quod jam talis ac tantus vir, episcopali honore eo minus dignum se existimaverit, facile suspicari possumus et historia vitae ejus in clarissima luce id collocat. —

Cum jam altera vice obiret provinciae praefecturam Thomas, Ecclesia Granatensis pastore suo viduata est. Imperator, Toleti existens, doctrinam Thomae ejusque pietatem ac prudentiam multis experimentis comprobatam aliasque ejus dotes, sane insignes, animo reputans, atque securus de fructu per ipsum faciendo in quacunque Ecclesia, quae ipsi committeretur, motu proprio, nemine pro ipso intercedente, Thomae Archiepiscopatum Granatensem designavit. Quocirca illum provinciae, cui praeerat, lustrationi tunc incumbentem Caesar mox advocat eique regiae voluntatis arcanum pandit simulque momenta, ob quae in eam sententiam constanter descendisset. Verum multo eloquentior fuit s. viri, honorem oblatum deprecantis, humilitas, cui vel ipsa inter sodales praelationis dignitas intolerandum onus videbatur, nihilque magis quam aliis subesse ac cellulae quiete frui in votis erat. Cum vero Granatensis Archiepiscopi electio gravissimis de causis moram non ferret, nec ullus praesto esset, qui regiae voluntati atque amicorum precibus obnitentem auctoritate compellere valeret: re infecta Thomam Caesar dimi-

sit. — Non ita tamen ab ea tempestate evasit, ut aliam non multo post ingruentem declinaret.

Anno nempe millesimo quingentesimo quadragesimo quarto bonis ac justis de causis abdicavit sese Archiepiscopatu Valentino Georgius ab Austria, Caroli quinti Imperatoris consanguineus. Haec sedes archiepiscopalis, novum pastorem flagitans, iterum Thomam in discrimen vocavit, nihil tale cogitantem, quin imo ex iis, quae cum Caesare acta fuerant, perpetuam hac in re tranquillitatem sibi pollicentem. Res ita contigit. Imperator, qui tunc temporis in Germania commorabatur, volens pro sancto zelo suo Ecclesiae Valentinae mox sufficere antistitem, designavit hunc in finem monachum quemdam ex ordine S. Hieronymi, jussitque secretarium suum pro eodem libellum conficere. Abiit ad conficiendum secretarius; at loco ejus, quem designaverat Imperator, inscripsit ei nomen Patris Thomae de Villa nova ex ordine S. Augustini, certo existimans, hunc a Caesare sibi fuisse nominatum. Rediit cum libello per Caesarem confirmando, quem cum Caesar inspexisset: Quid a te factum, ait, quid scripsisti? neque enim ego tibi designavi Thomam de Villa nova, sed illum . . . ex ordine S. Hieronymi. Obstupescens secretarius reposuit: Summa cum veritate affirmo Sacrae Tuae Majestati, non alterius nomen a me intellectum fuisse, quam fratris Thomae a Villa nova; attamen veniam erroris peto, remedium in promptu est; reddat mihi libellum Tua Majestas, ut mox alium, expresso Patris alterius nomine, conficiam. Cui Carolus secretiori Dei consilio id tribuendum ratus mox subdidit: non immutandum esse, quod divina voluntate factum dici oporteret.

Confestim ex Germania delata est res ad Philippum Principem, Augusti filium, qui ea rerum tempestate Hispaniarum regnis patris nomine praeerat ac Vallisoleti sedem tenebat, ubi similiter Thomas habitabat, id temporis Prior conventus S. Augustini in eadem civitate. Hujus electionis nuntius universae aulae attulit voluptatem, et eximio omnium applausu susceptus est, speciatim serenissimi Principis, qui Thomam amabat ac venerabatur; huic autem tristis fuit ac molestus valde. Princeps Thomam ad se vocatum peramanter excepit eique significavit: Caesari placuisse, ut in Valentinum Archiepiscopatum sufficeretur, quandoquidem non alios quam optimos ditionum suarum Ecclesiis pastores dari maxime cuperet, nec ignoraret, quantum Valentinae Ecclesiae ejus industria esset profutura; rem Caesari ac sibi facturum gratissimam, si nullum regiae voluntati obicem opponeret. — His humillime auditis subdidit Thomas: gratias se quidem utrique (Caesari ac Principi) cumulatissime agere, quod immerentem prorsus tanto honore donatum vellent; preces tamen addere, ne onus, cui se imparem sentiat, sustinere cogeretur, obfirmatum jam dudum se habere animum, ut nullo unquam tempore provinciam hujusmodi, periculi plenam, assumeret ac religiosae vitae humilitatem cum dignitatis sublimitate commutaret.

Philippus rationes quasdam attulit, quibus Thomam ad suscipiendum Archiepiscopatum induceret, timendum esse, asserens, ne cum ante Granatenses infulas recusasset, animum Caesaris offenderet, si non acceptaret Valentinas, ponens ipsi quoque ob oculos Ecclesiae Valentinae necessitates, utpote quae ob praedecessoris absentiam in eo tunc esset statu,

qui ejus doctrinae subsidia ac sanctitatis exempla procul dubio postularet; caeterum rem esse, respondit, maturiori consilio dimetiendam, cujus causa dierum oliquot intervallum ei concessit sicque eum benigne dimisit. — Verum flectêndo sancti viri animo nec Caesaris aut Philippi auctoritas, nec induciae ad deliberandum concessae quidquam profuere.

Aegre id ferebant quam plures ex aulae proceribus, eidem familiaritate conjuncti; propterea intentatum reliquerunt nihil, quo illius constantiam expugnarent, moti cum principum desiderio, tum Ecclesiae utilitate. Ast frustra; Thomas enim argumentis argumenta objiciens, causam suam strenue propugnabat effusisque lacrymis suasores ipsos hortabatur, ut meliorem amplexi sententiam, preces apud Carolum et Philippum interponerent, ut tractatum silentio involvere dignarentur.

De hoc certior factus Cardinalis Joannes Tavera, Archiepiscopus Toletanus, Thomam adiit, clausoque ostio quaesivit: quid causae esset, quod homo tam pius et humilis usque adeo pervicax suaeque opinionis tenax perstaret, nec judicio amicorum, gravitate, prudentia ac pietate praestantium, se submittere vellet? addens, Thomam recusantem Archiepiscopatum rectae rationi resistere ac divinae voluntati, cujus ductu certum erat factam esse collationem, cum eam nec ipse sibi per se vel per amicos comparasset, nec ex favore humano facta esset. — At vero Thomas, prosternens se ad pedes Cardinalis, quem multum diligebat et reverebatur et a quo amabatur vicissim valde, profusis lacrymis supplicavit, ne rem istam exigeret, sed potius litteris ad Caesarem datis juvaret, quo minus offenderetur Sua Ma-

jestas, declarans, unicam, quae ad hoc, ut Archiepiscopatum non acceptaret, movebat, rationem esse salutis suae securitatem metumque, ne eam in Episcopatu magno exponeret periculo. Sic et Cardinalis ne minimum quidem profecit. Itaque praedicti proceres aulae, Thomae amici, Philippo rei exitum praestolanti insinuandum curarunt, nihil magis ad desperatum paene negotium conferre posse, quam si Augustinianae provinciae praesidi significaret Princeps, quae gesta fuerant, eumque, ut Thomae praeceptum acceptandi Archiepiscopatum imponeret, litteris sollicitaret; nullum fore viro obedientiae studiosissimo effugium, ubi Superioris urgeret mandatum. — Placuit Philippo consilium, cujus cum executionem jussisset, finem altercationi fecit: Etenim Pater Franc. de Nieva, vir gravissimus, provinciae praepositus, qui et unus erat ex iis, qui a Patre Thoma habitum acceperant, vix compertam habuit Principum mentem, cum mox epistolam, brevem quidem, sed succi plenam ad Thomam mitteret, praecipiens in virtute sanctae *obedientiae* et sub poena censurae ecclesiasticae, trina monitione canonica praemissa, ut, visa hac epistola, intra spatium viginti horarum collationem Archiepiscopatus Valentini acceptet ea forma ac modo, quo illam fecit Imperator. Tunc demum Thomas victas dedit manus, ac virtute praecepti Archiepiscopatum Valentinum admisit die festo B. M. V. ad Nives, Philippo et omnibus bonis, praesertim Valentiae, plaudentibus, ipso unice inter communis laetitiae signa moerore correpto. Multi antistites ac viri illustres litteras ad eum mittebant, quibus laetitiam suam significarent; nemo autem illorum gratulabatur ipsi, sed omnes

Ecclesiae ac regioni, quae tali Patre ac Praesule erat gavisura!

Confirmata a Paulo III. Pontifice Thomae ad Archiepiscopatum Valentinum electione per Carolum V. Imperatorem facta et acceptis a Sanctitate sua bullis (quarum expensas Cardinalis Archiepiscopus Toletanus fecit), mox in ipsa Vallisoletana civitate ab eodem Cardinali magna solennitate et sacris ceremoniis, quas in similibus actionibus adhibet Ecclesia catholica, inauguratus est praesentibus summa animi voluptate pluribus praeter requisitos ad istum actum episcopis, multis viris titulis insignibus ac majori parte aulae.

In episcopum ritu ecclesiastico consecratus mox Valentiam, eodem, quo uti consueverat, habitu indutus concessit, absque alio apparatu vel comitatu, quam unius religiosi, qui ei ob virtutem admodum carus erat, et duorum famulorum cum mulis. Abeuntem religiosi aliquot comitari cupiebant per aliquod viae spatium; at ipse eis gratias egit maximas dixitque, id se nullo pacto esse permissurum, et oravit enixe, ut precibus suis ac sacrificiis comitarentur semper. Saecularibus vero nunquam significare voluit discessus sui seu diem seu horam, ac die quadam, post celebratum mane primo diluculo Missae Sacrificium, abiit nemine, donec sese jam viae dedisset, rei conscio.

§. Praesul, priusquam urbem ingrederetur, commoratus est aliquanto tempore in sui ordinis monasterio B. M. de succursu, quod foris situm erat prope muros Valentiae, ubi eum canonici Ecclesiae Cathedralis aliaeque personae praecipuae, inter quas Dux Calabriae, tum Prorex Valentiae, inviserunt.

Vix autem monasterium hoc ingressus est, tanta ad illius regionis, quae per aliquod tempus aquarum penuria atque hinc magna sterilitate laborabat, solamen e coelo aquarum abundantia decidit, ut mox omnes ex visibili illo aquarum beneficio e coelis emisso, quod elata voce adventui Thomae adscribebant, intellectu perciperent spiritualia atque invisibilia beneficia, ex ejus exemplis ac doctrina animabus suis conferenda.

Festo Circumcisionis ac die primo anni millesimi quingentesimi quadragesimi quinti et anno aetatis suae quinquagesimo sexto sub horam secundam postmeridianam inter populi acclamationes, magistratuum ac cleri obsequia urbem et ecclesiam suam ingressus, tum ad archiepiscopale palatium deductus est, tanta gaudii et laetitiae significatione totius civitatis, quanta nullo unquam casu visa fuerat Valentiae. Ipse Dux Calabriae Praesulem sanctum praestolabatur in sacello majori ecclesiae cathedralis, ut ipsi, cum advenisset, manus deoscularetur. Et cum finitis in ecclesia caeremoniis ad aedes suas pergeret comitantibus eum omnibus canonicis, undique homines confluebant, felices se existimantes, si tantum ad eum attingerent, manus, vestem, pedes deoscularentur.

Nec voce tantum palam indicabant urbis incolae cordis sui laetitiam et opinionem atque existimationem, quam de sancti Praesulis insigni sanctitate, doctrina, pietate caeterisque virtutibus habebant, verum etiam scriptis multis versibus per plateas, compita et angulos, qua illi transeundum erat, dispositis, praesertim ad ecclesiam majorem cathedralem, ejus valvas et areas, aliis celebrantibus insignes benedicti praesulis dotes, aliis infinitas gra-

tias agentibus Domino, quod talem Praesulem concessisset, aliis ecclesiae et civitati gratulantibus de tam felici sorte, qualis erat adventus tam boni pastoris, aliis bene precantibus ordini S. Patris Augustini, tales filios producenti, aliis per emblemata gaudium et solatium urbis designantibus.

Gaudeamus, fratres, de tantis honoribus, quibus omnis generis ac conditionis homines sanctum nostrum Praesulem, qui honores adeo fugiebat, adfecerunt. Hi enim veri fuere honores, quoniam, ut S. Bernardus vult a), de amore venerunt, quoniam, ut S. Augustinus desiderat b), virtutem sequebantur, praemium virtutis, ad mentem Tullii c), pietatis, doctrinae, adeoque non meri dignitatis, eique adhaerentis externi splendoris vel divitiarum effectus erant. — Studeamus et nos, virtute praeprimis ac doctrina, strenua officiorum status adimpletione amorem populi, honorem, bonam famam nobis conciliare et reverentiam illam, quae officio nostro ac status dignitati debetur, propriis meritis augere. Magnus enim et praeclarus titulus (gloriae ac honoris), ait Thomas a Villanova ipse d), (est) virtus; nullus alius potest illi quomodolibet aequiparari; quidquid de aliquo dixeris, ... non ita granditer sonat, sicut cum bonum illum hominem praedicaveris. Etiam Apostolus (I. Tim. 5, 17.) non nisi illos, qui bene praesunt, presbyteros duplici honore (cordis et corporis,

a) In Cantic. (Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est.)

b) L. 3. de civ. Dei. (Gloriam et honorem non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem.)

c) De clar. Orat.

d) Concion. tom. II. pag. 817.

ut ait Thom. a Villanova) dignos affirmat. Divitiarum et formae gloria, ait Sallustius a), fluxa atque fragilis est; virtus clara aeternaque habetur. Bonorum existimatio, ait S. Bernard. b), sicut falsis delationibus auferri non potest, ita nec adulatoriis favoribus acquiri. Penes ipsos (bonos) est, eam vel ubertate virtutum proficere vel defectu minorari.

Quod S. Antistitem Ecclesiae Valentinae attinet, profecit, quia virtus ejus de die in diem magis resplenduit.

XI. Primae S. Thomae in Archiepiscopatu curae.

Primo post ingressum die ad ecclesiam cathedralem Thomas rediit, sacrum Missae sacrificium celebraturus, et ibidem (quod fecit magna devotione et lacrymarum effusione) gratias Domino infinitas acturus pro beneficio, quod ei praestiterat permittendo, ut ad Ecclesiam suam perveniret, ac suppliciter oraturus, ut dignaretur servum suum dirigere ac divino favore et gratia illuminare, ut rite fungeretur officio, debite gubernaret dioecesim, essetque dignus ejus gloriae et salutis animarum minister. Ab ecclesia dein ad aedes reversus, primum sibi ostendi jussit receptacula coercendis ex clero delinquentibus destinata, ut propriis oculis videret, quo pacto istic haberentur clerici utque prae reliquis huic rei prospiceret.

Quantus amor in fratres! Quanta sollicitudo! Primas curas suas convertit optimus Praesul ad eos, qui cum ipso vocati sunt in vineam Domini, ad con-

a) Catilin.
b) Epist. 122. Tom. I.

summationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi (Ephes. 4, 12.), qui autem, proh dolor! vocationis suae obliti defecerunt a tramite recto et in vias pravas abierunt, scandalizantes pusillos! Hos ante omnia invisere, lucrari, ad viam virtutis reducere ac dignos ministerio suo reddere voluit piissimus pastor, qui bene noverat, se ad exemplum Christi missum esse, ut quaereret oves errantes et sanaret infirmos, erigeret contritos corde. Quantum amorem jam iste actus amoris illi conciliare debuit!

Ingressus carcerem ecclesiasticorum offendit cavernas valde tenebrosas, humidas ac lugubres. Itaque rogavit: Hicne unquam ecclesiasticus collocatus est? Responderunt affirmative adstantes. Tunc magnam vultu aegritudinem demonstrans, et carcerem magis aptum, ut ipse ajebat, latronibus, quam sacerdotibus et hominibus Deo consecratis, abhorrens, eum mox obstrui atque humo repleri jussit, dicens: Avertat Deus, ut unquam me volente vel jubente clericus tam horribili loco includatur! Alia via corrigendae et lucrandae sunt animae fratrum nostrorum.

Jam quibus laudibus te efferam, Archipraesul clementissime! Quas gratias Tibi agam! Vere spiritu Christi repletus fuisti, spiritu lenitatis, charitatis, misericordiae! Tu optime novisti, corrigendos quidem esse malos sacerdotes; nam si sal evanuerit, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus (Matth. 5, 13.); ast corrigendos esse ut fratres modo vel leniori, vel severiori, charitatis tamen dulcedine semper temperato. Magna jam commiseratione digni sunt sacerdotes,

qui dignitatis suae immemores adeo semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis (Ephes. 4, 19.), ut ad evitanda majora scandala carceri includi debeant; quid dicamus de carcere adeo squalido, horrido, vitae ac sanitati nocivo?

Nostris quidem temporibus ejusmodi carceres invenire non licebit, nec ad nos pertinet disquirere, quaenam loca fini praedicto (corrigendorum clericorum) assequendo aptissima forent; attamen abs re non fuerit indagare, qui fiat, ut, quod nunquam satis deplorandum, inter clericos quoque et sacerdotes improbi inveniantur, cum tamen supponi nequeat, Episcopos dissolutis, malis moribus notatis, indignis audere manus imponere.

Causae tristis hujus experientiae sunt variae atque partim ex illo jam tempore, quo candidati Theologiae in dioecesim suscipiuntur sacrisque initiantur, repetendae et in defectu verae vocationis internae, adeoque in defectu 1. veri ac sinceri virtutis studii, 2. rationabilis ad statum clericalem inclinationis 3. rectaeque intentionis ponendae.

Qui regimen sacerdotii contendit appetere, ait S. Isid. Hispal. a), ante in se discutiat, si vita honori sit congrua; Ecclesia enim semper ab iis, qui clericis adnumerari volebant, innocentiam vitae i. e. immunitatem ab ejusmodi peccatis, pro quibus publica poenitentia peragenda fuerat, desideravit et hucusque innocentiam vitae aut saltem veram poenitentiam postulat. Et quidem omni jure. Quo enim semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu. Qui secundum monitum S. Hieronymi b) ita agit et

a) Lib. 3. sentent. c. 34.
b) Ad Rusticum ep. 4.

vivit, ut adolescentiam suam nulla sorde commaculet, de hoc sperandum omnino, fore, ut gratia divina opitulante innocens manibus ascendat in montem Domini et mundo corde stet in loco sancto ejus (Psalm. 23, 3. 4.). Qui autem primis mox adolescentiae suae annis peccato servivit et nec tunc, postquam militiae ecclesiae nomen dederat, durante studiorum theologicorum cursu a peccato abstinuit; de hoc valde timendum, ne sacris initiatus populo fideli scandalum praebeat. Difficile enim est, ait S. Leo Pontifex a), ut bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio. Cathedra pastoralis, ait Petrus Blesens. b), indignis est cathedra pestilentiae, dum sibi et aliis sunt causa ruinae.

Ast repones fors: Si res ita se habet, si a juvenibus vitiis deditis, perversis passionibus mancipatis, malis consuetudinibus addictis nil boni in statu ecclesiastico sperandum, quare non repelluntur indigni a sacro ministerio? Quare etiam improbis adeoque indignis episcopi manus imponunt?

Post divini verbi praedicationem nihil magis episcopo injunctum esse, quam diligentem et accuratam in manuum impositione animadversionem, sicut Paulus ait, sedis apostolicae legatus c), facile concedimus. Qui enim indignum ordinat, ait S. Anselmus d), peccatis ejus communicat, i. e. ut S. Leo rem exponit e), talis efficitur ordinans, qualis ille est, qui non meruit ordinari, et, ut S. Bruno ait f), particeps

a) Ep. 87. cap. 1.
b) Ep. 23.
c) In decret. pro refor. Angliae dec. 6.
d) In locum I. Tim. 5, 22.
e) Epist. 87. cap. 1.
f) In I. Tim. 5, 22.

fit omnium criminum, quae injuste consecratus committit in sacerdotio. Durissimum igitur judicium episcopis, qui, ut verbis utar Innocentii I. Pontificis a), admittunt ad clerum tales, qui nec inter laicos quidem dignum locum habere mererentur; veteres vitio, ut ait S. Greg.. Nazianz. b), pietate rudes et recentes; episcopis, qui ordinationi clericorum considerationem diuturnam exactissimamque discussionem non praemittunt, ut postulat S. Chrysostomus c), qui non aspiciunt, ut vult S. Gregorius M. d), si vita eorum continens in annis plurimis fuerit, qui, ut acute ait S. Greg. Naz. e), uno die sanctos velut ex argilla fingunt eosque sapientes et eruditos esse jubent, qui nihil didicerunt, nec ad sacerdotium quidquam contulerunt praeter: *velle.*

Nihilominus tamen contingere potest, ut invitis episcopis indigni consecrentur. Si enim status seminarii episcopalis talis fuerit, ut non omnes Theologiae studiosi, in dioecesim suscepti, per tres aut quatuor annos in illo morari et probari atque educari possint, sed plures in domibus laicorum degere cogantur: tunc difficillima, imo fere impossibilis est seminarii superioribus frequens et accurata illorum observatio, ideoque accidere potest, ut ab his superioribus, secundum regulam charitatis, quae non cogitat malum (I. Cor. 13, 5.) sine ratione sufficienti, procedentibus, ex defectu notitiarum pro dignis habeantur, qui tamen coram Deo non sunt digni. Imo,

a) Ep. 6.
b) Orat. 21.
c) Hom. 16. in 1. ad Tim. c. 5.
d) Lib. 3. epist. 26.
e) Orat. 20.

si verbis Sixti V. Pontificis fidendum, quod multi praetextu devotionis et pietatis rem sacram et divinum munus affectent: cogitari possunt simulatores, qui, quamdiu oculus superiorum vigilat, speciem virtutis ac pietatis, quin imo rigoris cujusdam sancti prae se ferant ideoque pro dignis habeantur, occulte autem pravas concupiscentias foveant adeoque indigni sint, et sacris initiati, jugoque seminarii superiorum excusso, pellem ovinam facile deponant, tamquam lupi rapaces appareant, populo fideli scandalo sint, statum clericalem dehonestent. —

Et quid ab illis exspectandum, qui sine vera ac rationabili ad statum clericalem inclinatione, imo cum quadam interna aversione, nonnisi ex respectu erga parentes et propinquos vel metu quodum compulsi statum clericalem ingrediuntur vel id intentione minus recta, studio lucri, divitiarum, honorum, commoditatis vitae ac quietis forte faciunt? Tales enim vel a primo momento statu suo incontenti vivunt vel frustrati spe incontenti fiunt, dein officia status negligunt, in otium delabuntur, lusui, potationi vagaeque deambulationi assuescunt et sic in devia abripiuntur. —

Ast quaeres: Qui fiat, ut ex iis quoque, qui post laudabiliter transactam adolescentiae aetatem sponte sua et optima intentione adeoque vere a Deo vocati ad statum clericalem accesserant, nonnulli successu temporis a via virtutis deflectant, graviter peccent, correctione indigeant? Sane mira res est, quod in statu tam sancto non omnes sancte vivant. —

Inter causas tristis hujus experientiae referri possunt:

1. Neglectus mediorum virtutis, quae status

clericalis abunde suppeditat, quorumque usu continuo sacerdotes Domini pericula, quae statui sunt propria, evitare variasque tentationes superare queant. Ecce sacerdotem, qui recitationem breviarii vilipendit, quotidianam meditationem et conscientiae suae perscrutationem et annuam spiritus in sacro secessu renovationem negligit, raro (fere semel tantum in anno) peccata cofitetur, saepe indignus ad aram accedit, de cetero non vigilat, corpus suum non castigat, stimulum carnalem non refraenat, veste profana indutus societatibus suspectis se immiscet, choreas frequentat, familiariter cum mulieribus, quae, ut bene observat S. Isidorus, ad emolliendum animum vim quamdam et facultatem habent, conversatur, neglecta s. scripturae et ss. Patrum lectione, profanos libros pervolvit et cet., ecce talem sacerdotem et noli amplius mirari, si videris, hunc corruisse. — Qui amat periculum, perit in eo. Saepe unice in fuga salus. Arma diaboli sunt mulieres, ait S. Bonaventura *), et frequenter, ait S. Chrysostomus, diabolus intrat in cor eorum, qui indigni mysteria divina participant. —

2. Altera causa, quam attingimus, corruptelae sacerdotum est *negligentia*, quandoque et *perversitas* propria illorum, quorum est, moribus fratrum juniorum continuo *invigilare*, errantes paterne monere, corripere, pervicaces ad superiores deferre; quique videntes peccata fratrum silent, rident, gaudent, imo qui proprio exemplo infidelitatis, avaritiae, lasciviae, intemperantiae etc. juniores inficiunt ac seducunt.

*) Diaet. sal. tit. 1. de pecc. c. 9.

3. Accedit etiam quandoque *paupertas* meretrix, qua pressi sacerdotes saepe societates statui ecclesiastico minus convenientes quaerunt, in avaritiam labuntur, terrestribus inhiant, abusus tolerant, vitiis indulgent, laxiora principia sequuntur, profanis ditioribus sese accommodant, statu suo et conditione incontenti fiunt et in varias tentationes diabolicas ac scelera abominanda, uti simoniam, facile incidunt.

Jam si sacerdotes, quacunque demum ex causa in peccata prolapsi, populo fideli scandalo fuerint: profecto episcoporum erit, illos monere, corripere, ad viam salutis reducere, idque fiat paterno illo ac prudenti modo, quo S. Thomas a Villanova adeo excelluit. Alia via, ajebat ipse, carceres clericorum inspiciens, corrigendae et lucrandae sunt animae fratrum nostrorum. Quae autem erat haec alia via? Via commiserationis, benignitatis, mansuetudinis, via precum, via lacrymarum, via propriae castigationis; via auxilii, defensionis, subsidii. Hunc in finem (ut nempe ecclesiasticos peccato subtraheret) nulli parcebat labori. Si opus erat impendere pecuniam, perlubenter impendebat; si meditari artes, meditabatur et reperiebat; si effundere proprium sanguinem, effundebat. Rarissime ad carceres deventum est, famaeque clericorum semper consulebat. Audi aliquot exempla:

Sacerdos quidam primarius feria sexta, qua Christi patientis mysteria recoluntur, stans in altari coram sanctissimo sacramento, tanta ira incensus fuit eo, quod in choro canentes aliquid praetermiserant, ut sui impos alta voce in blasphemiam eruperit, cum ingenti omnium in ecclesia praesentium offensione. Delatus est ad archiepiscopum. Hic istum

accivit et corripuit vidensque lacrymas ejus easque ex vero cordis dolore prorumpentes dixit: Sane blasphemia a te prolata ac datum inde scandalum digna erant, ut, sicut animo conceperam, severe te castigarem; attamem vices hic gero illius misericordis Domini, qui peccati reum, cernens dolentem, amplectitur veniamque ei impertitur; idcirco, quoniam culpas agnoscis ac sentis ac deploras, ego tibi condono et clementer te habeo. Dein pro poenitentia ipsi imposuit triduanum jejunium, eleemosynas in pauperes paroeciae suae erogandas, et propter scandalum datum, ut ecclesiam adeat, at missam non celebret intra dies quindecim, ut intelligerent omnes, non audere ad Dominum ejusve altare accedere, qui illum in altari tantopere offendit.

Alium clericum flagitiosae vitae accusatum advocari jussit per servum domesticum. Cum advenisset, dixit ei: Praestolare paulisper. Ingressus est S. Praesul, ut ipsi mos erat, oratorium, commendans illum Domino; paravit deinde accusationem adversus illum institutam; jussit eum vocari et in genua provolutus ante sacram crucifixi imaginem, hoc modo illum affatus est: Ecce hic teneo accusationem adversus te. Nolo equidem eam evocare ad justitiae tribunal, quia oportet in sacerdote plus roboris habere timorem Dei, quam quemlibet alium humanum respectum vel metum. Hic consistimus coram Jesu crucifixo, qui et te et me judicaturus est, nec scimus, an non fortasse ante diem crastinum. Vere igitur mihi dicito, quam vitam agas; equidem nec jubeo hoc te nec censuras ecclesiasticas intento, sed rogo ob rationem, quam reddere debemus Christo crucifixo;

ut ego medicinam ac remedium tibi applicare queam, conducens ad salutem tuam.

Tantum valuerunt ista in corde clerici, ut non secus, ac si in sacramento poenitentiae peccata expiaret, vitam suam illi aperuerit. Audito ovis istius perdito statu, pastor bonus tanta tactus est commiseratione, ut mox ex oculis ejus lacrymae erumperent, per quas et subsequentem reprehensionem sibi factam clericus tanto tactus est moerore ac dolore offensae in Dominum commissae, ut domum repetens lacrymas cohibere non valeret et vitae improbe peractae poenitentiam ageret adeo sinceram, ut omnibus bono exemplo esset, quos ante pravo exemplo laeserat.

Alius sacerdos, loci cujusdam parochus, accusatus fuit, quod in propriis aedibus aleret concubinam cum magna loci totius offensa. Accivit eum archiepiscopus, ut corriperet et inter corripiendum jussit ipsum, mox domo deturbare mulierem. Promisit ille; at non perfecit. Secundo accivit eum et oratorio suo inclusum ita est allocutus: Sanusne tu es? Cogitasne, esse Deum in coelo et antistitem in terris, cujus est plectere scelera tua tam publica et ob exemplum tam noxia propriis tuae paroeciae subditis? Ad istum modum vivens rem divinam quo ausu peragis? Quo pacto corripies tuos subditos, ad quod tamen obligaris? Penes te culpa non est, sed penes me, qui te istic constitui et rectorem esse volui hominem tam impium, ac tu es. Cum itaque erraverim, te rectorem constituendo et amplius, dum te accitum et reprehensum abire passus sum nec in carcerem conjeci: ego Domine, dixit ad Crucifixum conversus, culpae reus sum; aequum est, ut et ego

supplicium feram. Haec verba plures inter lacrymas repetens, detexit humerorum partem coepitque tam atrociter se caedere, ut extemplo prosiliret cruor. Obstupuit parochus videns, quo rigore de alterius peccatis poenas sumeret s. antistes; rubore ac pudore perfusus projecit se ad pedes ejus lacrymisque ex oculis profluentibus promisit, testem appellans Jesum Christum cruci affixum atque expressum in ea sancta imagine, fore, ut mox mulierem domo ejiceret, ultra non videret ac tales in ecclesia sua praestaret actus poenitentiae, ud ad frugem excitaret omnes, quos in plebe malo suo exemplo offenderat. Complevit flagrorum poenam bonus antistes et pro insigni bonitate sua, fidens promissis sacerdotis, dixit: Credo, te ex corde loqui ac spem meam repono in eximia Domini nostri Jesu Christi misericordia, futurum scilicet, ut non attendens ad tua et mea delicta tibi gratiam largiatur ad perficiendum, quod hic, coram ista Crucifixi imagine, pollicitus es mihi. Quidquid peractum est, ignosco. Tu ipso propitio domum redi, confessionem generalem et novam vitam institue, ac Domino qualibet die gratias age, quod in statu tam improbo vitam tibi non eripuerit. Abiit sacerdos et fecit, sicut promisit.

Quum s. antistes ex ore cujusdam sacerdotis, qui perdite vivebat cum muliere, comperisset, illum egestate inductum id fecisse, ad imaginem Crucifixi conversus, magna afflictione et multis lacrymis: Te meorum aliquis, exclamabat, ex egestate laedat, rex gloriae? Sacerdos mihi subditus peccato serviat — ob defectum alimenti? Illius haec, mi Deus, culpa non est, sed mea. Supplex te oro, Domine, per sanguinem ista in cruce a te profusum miserere hujusce

animae ac lumen praesta, quo infelicem conditionem suam agnoscat et ad te, Creatorem ac Redemptorem suum, revertatur. Pro ejus peccato, cum ego, non succurrendo, ipse reus sim, ego Domine poenitentiam persolvam. Jussit dein, ne sacerdos occasione indigentiae ad Dei offensam rediret, singulis diebus illi missam in quadam ecclesia assignari et ab eleemosynarum dispensatore mense quolibet ipsi tradi regales triginta, ut honeste viveret. Curavit dein etiam s. antistes, ut ejusmodi feminae, quibuscum clerici perdite vivebant, matrimonium inirent, iisque, quo honorificentius id fieret, omni modo opitulatus est; proles autem procreatas honeste educandas dedit iisque in futurum prospexit.

Sacerdotes culpandos communiter in cubili quodam palatii sui per aliquod tempus, quod videbatur necessarium, detinebat, quandoque etiam ad collegium societatis Jesu mittebat et toto archiepiscopatus sui tempore duos tantum sacerdotes Chullillam carceribus ibi in arce munita paratis includendos destinavit; alterum, qui patraverat homicidium, alterum, qui arcanum sacrae confessionis, sibi ab homine homicidii reo factae, prodiderat.

Caeterum, ut honori status clericalis consuleret, 1. *delationibus* contra clericos instructis, praesertim per homines laicos, *raro fidem* habebat et accusatos omni modo defendebat, ita ut laici ipsi quandoque exprobrarent tantam bonitatem, ut et improbos tueri vellet.

2. Quidquid ad mores et vitam ecclesiasticorum pertinebat, *ipse*, nullo saeculari homine vel scriba conscio, conficiebat. Eapropter album habebat, cui inscripta erant nomina et accusationes clericorum

et ecclesiarum, quibus inserviebant. Commentarios visitatorum, translatis propriis manibus in album suum, quae necessaria videbantur, cremari et exactum a visitatoribus servari silentium jubebat. Consecutus finem, quem unice intendebat, puta ovium suarum emendationem, inserta libro suo expungebat aut lacerabat ita, ut nunquam patefierent.

3. Quos reprehendere aut castigare opus erat, congruo tempore *vocari* jubebat seorsim et quidem communiter per servum domesticum. Si quis autem ita erat accusatus, ut expediret vocari per apparitorem, huic ajebat: Talem hominem vocato ad me; ne tamen ipsi te comitem jungito, sed ducentis passibus vel ante vel post ipsum incedito, ne quis intelligat, eum adduci per te; magni quippe momenti ac pretii res est fama et honor hominis ecclesiastici.

Vere magni momenti et pretii res est fama et honor hominis ecclesiastici! Curam habe de bono nomine, ait sacra scriptura (Eccles. 41, 15.), hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni, et (Eccles. 33, 23. 24.): In omnibus operibus tuis praecellens esto. Ne dederis maculam in gloria tua. Quodsi autem omnium est, gloriam suam tueri, quanto magis clericorum. Provideamus bona, ait Apostolus (II. Cor. 8, 21.), non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus (Act. 24, 16.). In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum et ad homines semper (I. Cor. 9, 15.). Bonum est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Qui conscientiam suam apud Deum possidet mundam, sibi prodest; ast qui talem etiam in apparentia externa perhibet coram oculis mundi, proximos juvat, occasionem scandali removendo. Ideo ait S. Au-

gustinus a): Quisquis a criminibus flagitiorum vitam suam custodit, sibi benefacit; quisquis autem etiam famam, et in aliis misericors est; nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra (b). Duae res sunt conscientia et fama. Conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiae suae negligit famam suam, crudelis est, maxime in loco isto positus, in quo dicit Apostolus, scribens ad discipulum suum: Circa omnes teipsum bonorum operum praebens exemplum. (Tit. 2. 7.) Opera salutis sine fama boni odoris, ait S. Hieron. c), non satis relucent auditoribus. Fama bona suavior est animae, ait S. Gregor. Naz. d), quam oleum corpori.

Non despiciamus igitur, fratres, quid de nobis unusquisque et maxime vir optimus sentiat; nam negligere bonorum judicia vel arrogantiae est, ut ait S. Ambrosius e), vel dissolutionis, quorum alterum superbiae adscribitur, alterum negligentiae. Studeamus bonae famae, sicque, secundum S. Augustini f) consilium, bonam eligamus vitam, ut etiam bonam non negligamus famam; caveamus omnes suspiciones, et, quiquid probabiliter fingi potest seu dici, ne fingatur, ante devitemus, observantes monitum Pauli (I. Thess. 5, 22.): Ab omni specie mala abstinete vos. Licet enim clerici non peccent, ait S. Prosper g), tamen malae suspicionis de se prae-

a) De bono viduitatis tom. 6. col. 386.
b) S. Aug. serm. 355. de vita et moribus cleric. Tom. 5.
c) Super illud Matth. 4.: Abiit opinio ejus.
d) Append. operum S. Greg. Naz. pag. 883.
e) De officiis minist. l. 1. tom. 2. col. 60.
f) De doct. christ. et l. de confess.
g) De vita contemp. l. c. 4.

bendo materiam vitam suam maculis sinistrae opinionis infamant. Sane interest tua, scribit S. Bernardus in libro de consideratione ad Eugenium Papam:, sane interest tua, et malas res et malas pariter species devitare; in altero conscientiae, in altero famae consulitur. Et in alio loco serm. 72. in Canticum Canticorum: Habent et mores colores suos, habent et odores. de colore conscientia consultetur, de odore fama. Colorem operi tuo dat cordis intentio. Quod ex corde puro et conscientia egreditur bona, candidum est et est virtus; si autem et bona fama secuta fuerit, et lilium est, quippe cui nec candor lilii desit, nec odor. Ante omnia autem, uti monet Concil. Burdigalense a), munditiam cordis et castitatem corporis omni studio servare studeamus et ab omni incontinentiae suspicione famam nostram integram liberemus custodiamusque; tum (missis aliis argumentis), quia hocce in puncto severissime laici nos dijudicant et facile in minimis gravissima suspicantur; tum, quia exempla luxuriae, a clericis data, maximum praebent scandalum funestissimasque post se trahunt sequelas. Fermentum, ait Petrus Blesensis b), cujus admixtione tota massa corrumpitur, incontinentia est ecclesiasticorum; quid enim faciet laicus, nisi quod patrem suum spiritualem viderit facientem? Cum vero, ut ait s. scriptura (Sap. 8, 21.), nemo possit esse continens, nisi cui Deus dederit, ante omnia de divinis castris auxilium petamus c). Adeamus Dominum illumque deprecemur et ex totis praecordiis nostris dicamus ei cum S. Augustino d);

a) An. 1583. tit. 21. de vit. et morib. cleric.
b) Serm. 57. in v. 11. c. 2. Levit.
c) S. Cyprianus l. de bono pudicitiae.
d) Lib. 10. conf. c. 29.

Charitas, Deus noster, accende nos! Continentiam jubes; da, quod jubes, et jube, quod vis! — Recurramus ad vulnera Christi; in iis enim magna est, ut S. Augustinus ait a), multitudo dulcedinis, plenitudo gratiae, perfectio virtutum. Custodiamus diligenter oculos et linguam, vitemus societates pravas, accessus, congressus, colloquia mulierum. Non decet, ait S. August. b), clericum cum mulieribus sedere vel fabulari vel domum frequentare, ne suspicio mala inde progrediatur. Te cuncti in populo, teste S. Hieronymo c), te in agro rustici, aratores ac vinitores quotidie graviter lacerabunt, si contra dispositum fidei cum feminis habitare contendis. Oportet autem, ut ait S. Chrys. d), ut malas opiniones non solum, dum erumpunt, divellamus, sed et procul, unde erumpere possint, prospiciamus atque adeo causas ipsas, e quibus enascantur, longo ante tempore interimamus.

Studeamus etiam, dilectissimi, sollicite bonae fratrum nostrorum famae. Moneamus illos, si a via virtutis deflectant; defendamus illos, si inique ab hominibus lacerati fuerint, et si veritas id non permittat, saltem excusemus, ne blasphemetur nomen Domini, ne vituperetur ministerium nostrum, ne scandalizentur fratres, sed ut in omnibus glorificetur Pater, qui in coelis est, benedictus in saecula.

XII. Sancti Thomae vita domestica.

S. Thomam a Villanova primas in archiepiscopatu suo Valentino curas ad clericos vitiorum reos

a) Manual. c. 22.
b) Serm. 37. ad fratr. erem. Tom. 6.
c) Ep. ad Ocean.
d) Lib. 6. de sacerd. c. 9.

e squaloribus carceris liberandos et miti ac humano modo ad meliorem frugem reducendos convertisse, audivimus, fratres dilectissimi, ac simul dilaudavimus. Quoniam autem, secundum effatum Apostoli (I. Tim. 3, 5.), qui domui suae praeesse nescit, vix ac ne vix quidem Ecclesiae Dei, quae est domus Dei, diligentiam habebit: supervacaneum haud fuerit, in vitam Thomae domesticam paucis inquirere, antequam officia boni pastoris fusius exponamus. Videamus itaque, quomodo illa, quae necessaria corporis sui, vestitum ac victum, supellectilem domus, familiam attinebant, disposuerit. —

Ex iis, quae de vita divi Thomae jam percepimus, sat firmam nancisci poteramus persuasionem, eum paupertatis, quam voverat, observantissimum fuisse, et charitate in pauperes plenum. Haec paupertatis religiosae observantia et effusa in pauperes liberalitas modum quoque vestitus, victus totiusque supellectilis domesticae definiebant.

1. Hinc *vestimenta*, quibus indutus a monasterio recessit, Archiepiscopus retinuit et gestavit, neque earum formam umquam immutavit, usu lacera sarciri curavit, donec vetusta et nimium detrita usui esse non possent; putabat enim affirmabatque s. antistes ipse, divinis oculis magis acceptas esse in paupere religioso vestes obsoletas ac detritas, quam novas et pretiosas. Bis tantum, undecim annorum spatio, quibus fuit Archiepiscopus, habitum novum ex rudi panno secundum ordinis sui statuta sibi parari permisit. Cuidam amicorum suadenti, ut vestiret se panno, quod cariori pretio constabat, magisque judicio Thomae exquisitum erat, respondit vir sanctus: Tibi, qui dives es et honorum tuorum

dominus ac saecularis, fas erit, hocce panno induere te; ast pauperi monacho, qualis ego sum (nam quidquid habeo, pertinet ad pauperes), non licet, vestiri re tam pretiosa et exquisita.

Jam paupertas haec sancti antistitis non potuit non offendere aliquos et displicere oculis eorum, qui res dimetiebantur secundum usum vanosque mores ac leges hujus mundi. Hinc quidam ex canonicorum collegio, judicantes, Archiepiscopum non esse vestitum secundum decorem debitum, conformiter dignitati suae ac honori Ecclesiae, miserunt ad Praesulem, qui supplicarent, ut vestibus ex panno subtiliori sese indueret, nec immodico paupertatis studio archiepiscopalis dignitatis splendorem labefactaret. Quibus subridens, alacri at gravi vultu respondit: Dicite dominis istis, me gratias eis habere plurimas pro cura, quam de me gerunt; sed ignorare me plane, quid obsit vel detrahat dignitati Archiepiscopi, indutum me esse instar monachi, qui paupertatem professus sum, quandoquidem hujus muneris auctoritas et inde enascens obligatio minime consistat in vestitu atque subtilitate panni, sed in morum sanctitate et perpetua pro grege commisso vigilantia; caeterum paratum me esse, eorum postulationibus morem gerere, dummodo honestiores, quas illi optassent, vestes monasticae professioni, quam idcirco non dimissam vellem, minime adversarentur. Ad responsum hoc reponere nihil ausi sunt; tantum rogavere, ut laneum pileolum, quo tegebat caput tempore aestatis, in sericum comutaret. Hoc se facturum spopondit, ne eorum consilium parvi pendere videretur. Serico propterea tectus pileolo exinde apparuit, in quem nonnumquam

digitum intendens, modesto lepore, quo valebat plurimum, ajebat: En meum archiepiscopatum!

2. Vestium paupertatem *lectuli* forma imitabatur, cui praeter stramenta duo totidemque lanea lectisternia nihil aliud, nisi affecto aegritudine corpore, umquam adjectum est.

Non patiebatur umquam in *aedibus* suis esse pannos ullave tapetia aut mensarum tegumenta serica. Oeconomus, quum aliquando emisset velum, bombyce et subtili lana intextum, in quo expressa erat Christi Domini de cruce depositio, parvum item opere turcico tapetem, intelligenti id Thomae multum displicuit atque retentis quidem, quae jam emta erant atque ad usum in Ecclesia et in sacello suo destinatis, oeconomo dixit: In posterum noli mihi supellectilem aut rem curiosam coëmere, nam sufficienter tibi dictum fuit, esse me monachum et professum paupertatem, atque exceptis necessariis ad mei ac domus sustentationem, reliquum omne pertinere ad egenos.

Eadem de causa nec habuit nec habere voluit unquam convivalia ex argento vasa, praeterquam duodena cochlearia pro invitatis ad mensam et bina vascula imponendo sali.

Oeconomus, considerans, sumtum catinorum ac scutellarum, quae cotinuo rumpebantur in manibus epheborum, suggerebat ei saepius, conflari potuisse supellectilem mensae argenteam ex eo, quod in dies insumebatur in catinos et scutellas. Respondit S. Antistes: Putasne me non vidisse id, de quo me mones? Erras, si credis hoc; probe adverti. Sed monachus sum, et quod honori est aliis, mihi probro esse censeo.

3. His omnibus par fuit *mensae* conditio. In victu adeo temperans erat, ut nihil umquam haberet amplius, quam quod communiter in Castellana provincia, unde venerat, dari solet religiosis in amplis Ordinis conventibus; adaucto duntaxat festis majoribus in gratiam solemnitatis vel hospitum causa epularum numero, intra tamen ecclesiasticae moderationis limites. — Conscientiae vestrae committo, solebat dicere domesticis, ut magna sollicitudine attendatis, ne quid extra necessarium impendatur vel pro me vel pro domo; nam ubi secus fit, praeterquam quod Deus graviter offendatur, pauperibus, ad quos pertinet, subtrahitur atque restitui debet. Tempore Adventus et Quadragesimae feriis quarta et sexta, in pervigiliis item per annum seorsum comedebat, quoniam pane tantum et aqua se reficiebat.

Ex his omnibus patet, S. Thomam ab omni *luxu* alienissimum fuisse, tum propter votum paupertatis emissum, tum propter amorem in pauperes. Utinam omnes clerici et sacerdotes hoc S. Antistitis exemplum imitarentur! Utinam omnes, sanctae vocationis suae conscii, etiam in cultu corporis externo, mensa, suppellectili, modestiae studerent, sobrietatemque sectantes, populum fidelem aedificarent! Utinam necessariis contenti superflua rescinderent ac in usum pauperum converterent! Utinam leges hocce respectu ab Ecclesia toties latas et de novo inculcatas sanctas haberent et monitis sanctorum Patrum obtemperarent!

Omnis luxus et ornatus corporum, ait jam Conc. Nicaenum II. *), est a sacerdotali statu alienus; ...

*) Canon. 16.

a superioribus enim usque temporibus omnis vir sacerdotalis cum modesto et honesto indumento versabatur. Quidquid enim non propter usum, sed ostentatorium ornamentum assumitur, in nequitiae reprehensionem incurrit, ut ait Magnus Basilius. Vitentur in vestibus superfluitas et sumptuosus ac pretiosus omnis ornatus, ait Conc. Senonense an. 1524. a); quae enim, teste Basilio Magno, propter venustatem et fastum, non ad necessitatem, commoditatem aut honestatem deferuntur a clericis vestimenta, elationis et jactantiae habent calumniam. In omni vita, ait Conc. Mediolan. IV. b), a fastu, luxu, ambitu ambitioneve et a vanitate longe refugite. Ab omni splendido apparatu pompaque seculari abstinete. Supellectili modesta ac tenui contenti sitis! Conc. Med. I. c): In ejus (episcopi) supellectili nihil aureum aut argenteum sit, praeter levissima ac tenuissima quaedam instrumenta ad cibum ori admovendum comparata; nihil auro argentove ornatum; nihil sericum aut serico distinctum; nihil acu pictum, nihil varie textum, nihil studiosius elaboratum. Caveat denique, ne quid in ejus domo appareat, quod non simplex ac purum sit, quod non Dei zelum et omnium inanium rerum contemptum testetur. — Homini ecclesiastico, ait Conc. Cameracense an. 1565. d), quacumque dignitate fulgeat, plus laudis affert frugalitas in mensa, quam sumptus; plus dedecoris exquisitus apparatus, quam

a) Tit. de vit. et mor. Cleric.
b) Tit. Monitiones.
c) Tit. de episc. supell.
d) Tit. de vita et honest. Cleric. c. 2.

simplex. Sit ergo cultus in mensa et conviviis potius in gravitate et sobrietate, quam in pompa et deliciis.

Ast absit, inquiunt quidam, talia observemus; non decet, tempori nostro non congruit; dignitati adversatur. Nisi habuerimus fulgorem status, contemnemur ab omnibus. Splendore vitae et pompa opus est nobis, ut auctoritatem apud subditos consequamur, ipsosque in officio contineamus.

Ergo honori totum datur, sanctitati parum aut nihil. De placito Dei ultima mentio est. S. Bernardus a). Si haec ratio (contemnemur ab omnibus) urget, cur Dominus venit in humilitate status, cum sciret, se per hoc a reprobis contemnendum b)? Falsum est, auctoritatem clericorum, ipsorum honorem splendore externo niti huncque efficere, ut cum fructu in vinea Domini laborent. Ministerium vestrum honorificabitis, ait S. Bernardus c), non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis aedificiis; sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis.

In quo gloriatur Apostolus? (II. Cor. 11.) In laboribus plurimis, in carceribus, in plagis supra modum, mortibus frequenter, itineribus, periculis, vigiliis, jejuniis multis, fame et siti, frigore et nuditate, sollicitudinibus omnium Ecclesiarum. In his, ait Petrus Bles. d), gloriandi forma tibi praefigitur; non in veste pretiosa, non in supellectili multa, non in congregatione pecuniae, non in aedificiis aut culturis, non in dilatandis possessionibus, non in

a) De consid. ad Eug. l. 4. c. 2.
b) Stim. past. p. 2. c. 6. de humil. et modest. Praelato.
c) Epist. 42. c. 2.
d) Tract. de inst. episc.

equorum multitudine, non in ornatu pompabili, non in frequentia clientelae. Nam haec omnia gentes inquirunt. — O miserandam *stupiditatem*, exclamat Archiepiscopus Braccarensis a), ardet vitiis Ecclesia, flammis vitiorum uritur sponsa tua; vix reperitur unus aut alter, qui in toto corde suo Dominum quaerat; et Episcopus vacabit splendori status ac deliciis, cum oporteret sacco et cinere indutum gemere, vociferari, jejunare et nudis pedibus cum Isaia incedere? Non potest, inquit Dominus, satanas satanam ejicere i. e. homo habens spiritum mundi, non potest ab aliis expellere eundem spiritum mundi. Christus mediantibus hominibus, plenis spiritu suo, i. e. spiritu humilitatis et paupertatis mundum subegit ac spiritum carnis et mundi expugnavit; modo vero dicitur, spiritum mundi non posse expugnari, nisi mediante spiritu mundi. Quid magis praeposterum potuit excogitari?... Fides ac vitae merita, haec sunt arma Christi et Apostolorum, quibus mundi regnum cum suo Goliath expugnandum est. Non eget Christus armis Saulis ad sua bella gerenda; non eget pompis et splendore saeculi. Hic (splendor) scandalizat plus, quam aedificat. Nobiles irrident potius, quam revereantur fastum hunc; pauperes non audent ad tales clericos accedere; populus murmurat, indignatur, invidia tabescit. — *Exemplum* vanitatis, a pastoribus datum, subditos ad similia perducit, invitat ad mundum potius diligendum, quam negligendum. Quomodo dehinc, ait S. Bernardus b), saeculares non expenderent substantiam

a) Stim. past. p. 2. c. 6.
b) Ad pastores in synodo.

suam vivendo luxoriose etiam in praesentia sacerdotum? Quomodo non intenderent vanitatibus et lenociniis hujus saeculi? Quomodo non essent insolentes et elati, cum tantum fastum, tantam insolentiam videant clericorum? a) Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur et dicunt: Dicite, Pontifices, in freno quid facit aurum? Nostrum est, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis b). Timeant clerici, timeant ministri Ecclesiae, qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quae sufficere debeant, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retineant et in usus suae superbiae atque luxuriae victum pauperum consumere non vereantur. Duplici profecto iniquitate peccantes, quod et aliena diripiunt, et sacris in suis vanitatibus et turpitudinibus abutuntur!

Ecce quam funestas sequelas luxus clericorum post se trahat; quam alienos a forma Christi et Apostolorum eos efficiat; quantum vero ipsorum honori atque auctoritati noceat, quantam morum corruptelam causet, quam strictum eis judicium in die irae Dei paret! Caveamus igitur nobis, fratres dilectissimi, ab omni luxu, pompa et ornatu saeculi; habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus (I. Tim. 6, 8.), nihil amplius desiderantes. Sit frugalis mensa nostra, alimentum simplex, nec esus nec potus limites temperantiae excedat; habitus noster sit vere ecclesiasticus, honestus, modestus, ab omni mollitie animi, luxu ac fastu alienus!

Nostris temporibus non desunt, qui ordinatio-

a) Epist. 42. tract. ad Henr. Sen. c. 2.
b) Serm. 23. in Cantic.

nes Episcoporum, habitum clericalem concernentes, hisce in terris etiam a Summo Principe inculcatas, parvi pendant, negligant, imo nec Episcopis convenire arbitrentur, ut in talibus minutiis leges ferant, speciem, modum imo et colorem vestium definiant atque in transgressores legum harum tam severe animadvertant. Nostrum itaque fuerit, fratres dilectissimi, ut proprio exemplo, alterius nos sententiae esse, demonstremus, ut et in minimis obedientiam atque reverentiam Ordinariis nostris praestemus, bene perspicientes, Antistites Ecclesiae nonnisi gravissimis rationibus ductos ejusmodi leges ferre. Dic enim, quaeso, an non modestia interior hominis habitu quoque honesto se prodat? An non saepe *mente* gerant homines, quod habitu profitentur? An non, ut observat S. Bernardus, saepe forma vestium indicium sit deformitatis mentium et morum? Etsi habitus non facit monachum, ait Conc. Trid. ss. 14. a), oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Exterioris clericorum habitus modestia signum est et indicium compositionis et ornatus interioris hominis (Synod. Aleriens. an. 1571). Clericalis sinceritas et modestia ecclesiastica non minus ex honesto habitu, quam ex honestis moribus ostenditur, et talis quis esse praesumitur, qualis ex habitu judicatur (Syn. Veron. an. 1542. b). Homines oculis magis credunt, quam auribus; necesse est igitur,

a) Dec. de ref. c. 6.
b) Tit. de vita et honest. cleric. c. 2.

ut sacerdos bonum praebeat exemplum, tam in suo vestitu, quam in reliquis suis actionibus a).

Voluit dein Ecclesia, ut Christi militia, laudibus deputata divinis, sicut vita et moribus, ita et habitu, veste a militia *secerneretur* humana, ad populi aedificationem procurandam, ad reverentiam ordini clericali conciliandam, ad mores clericorum ab omni corruptionis periculo immunes servandos. Sicuti clericorum honestas intus per morum compositionem in animo esse debet, ait Syn. Hostuntensis an. 1686. b), ita quoque in habitu exteriori ad populi aedificationem, et ad sui etiam ipsorum atque totius clericalis ordinis reverentiam et dignitatem elucere ipsam maxime oportet. Et constitutiones provinciarum Spalatensis et Jadrensis c), jubent clericos uti veste longa et nigri coloris, ne a populo contemnantur. Quanto honestioribus poterunt indumentis utantur Clerici, ait Conc. Veron. an. 1542. d), ut ex illis, quales sint, non modo cognosci, sed etiam honorari possint. — Clericus, quem oculus respiciens a laico non discernit, fit omnibus vere fidelibus in scandalum et in despectum. Quare enim, quod est, videri non vult? Pudetne ipsum status sui tam excelsi ac sublimis, ad quem pertinere Salvator ipse dignatus est? O miserum hominem, quem pudet, sectatorem ac discipulum *ejus* esse, coram quo tremunt potestates, quem coeli et terra adorant et sancta confitetur Ecclesia! Aut mala meditatur sive

a) Forma Cleri. Tom. II. p. 22.

b) Tit. de vita et honest. cler. c. 1.

c) An. 1578. prom. tit. de iis, quae ad Can. et cler. in univ. pertinent.

d) De vita et honest. cleric.

talia, quae clericum non decent, quae legibus Ecclesiae vel dioeceseos sunt prohibita, quae tamen, veste clericali indutus, non audet patrare, vel ex reverentia erga statum vel ex timore poenae, delationem ad superiores secuturae? Ast quam pretiosa vestis, quae nobis continuo sanctitatem status in memoriam revocat, morum inculcat puritatem, cujus momentum tale est, ut de ejus occursu vitia suffundantur et mores improbi erubescant! Hanc non licet contemnere, oportet potius in continua veneratione habere.

Caeterum sordes, immunditiem eadem sollicitudine, qua inanem splendorem, evitemus, mediam hac in re quoque tenentes viam. In nimio enim cultu vanitas, in abjecta incuria rusticitas accusatur. Conc. Narbon. an. 1609. a). Ideo decreta Conciliorum b) jubent clericos simul cavere, ne pannosi, sordidi aut laceri vestibus incedant, cum secundum monitum D. Hieronymi neque affectatae sordes, nec exquisitae deliciae laudem pariant.

Audiamus nunc, quomodo sanctus Pater *familiam* suam instituerit.

1. Sanctus hic Antistes *paucis* familiam suam hominibus constare voluit; hinc praeter famulos, qui variis explendis muneribus necessarii credebantur, neminem honoris causa familiae annumeravit, exceptis ephebis, quos alebat, ut ad studia unice incumberent, quibus ob paupertatem valedicere debuissent.

2. Praeter duos pro sacris ministeriis delectos clericos ac tertium, qui praeesset ephebis, caeteri

a) Tit. de vita et honest. cleric. c. 41.

b) Forma Cleri. Tom. II. p. 39.

omnes famuli ex *laicorum* coetu erant assumpti, matrimonio juncti, omnesque in palatio archiepiscopali habitabant, cum uxoribus et filiis.

3. Quoniam autem famulus turpius ejicitur, quam non admittitur, optime cavit S. Praesul, ne in necessitatem, ullum in obsequium suum semel admissorum dimittendi, veniret; ideo nullum umquam familiae suae adscripsit, nisi morum probitate non tam alieno testimonio, quam proprio dierum aliquot experimento *comprobatum*. Quem in finem Antistes ipse diligenter in suscipiendi conditionem, mores, vivendi normam inquirebat et cum ipso colloquebatur, ad detegendum, quo esset ingenio, quaque dignus fiducia.

4. Intrantibus *leges* exponebat sollicite observandas, commendabatque imprimis hasce quatuor:

a) Ut mutuae charitatis rationem haberent maximam, sublato quovis aemulationis studio, scirentve, herum quaecumque in se ipsum commissa, i. e. quae commiserint vel omiserint in obsequio ipsius, facile toleraturum; dummodo non interveniat aliqua Dei offensa, aut res, quae noceat tranquillitati ac paci domus suae. Quo vero facilius dissidiorum semina tollerentur, mandato sanxerat, ne quis alieno se immisceret officio, nisi ad id requisitus ab eo, cujus curae commissum erat.

b) Ut silentii valde observantes essent; hinc res novas nec inter sese pertractarent, nec ad ipsum (Antistitem) deferrent, inanibus confabulationibus tempus non tererent, ab aliis audita non circumferrent susurronum more.

c) Ut solitudinem amarent, hinc cursitationes per urbem summopere vitarent, cum non deceat Ar-

chiepiscopum, monasticae solitudini addictum, habere familiares otiose vagantes; propterea absque domini venia e domo pedem efferre non auderent, quam (veniam) nonnisi diurno tempore impetrarent. Ideo etiam singulis noctibus, dato ad silentium signo, cum ephebo facem praeferente totam domum suam ac cubiculorum tum superiorum tum inferiorum portas omnes obire solebat, inspecturus, an, ut oportebat, omnes in cubicula se recepissent.

d) Ut orationi essent dediti, mysteria religionis statutis horis recolerent, officium parvum B. M. V. aliasque preces recitarent, ac praecipuis festis Domini, B. V. et Apostolorum singuli peccata sua confiterentur et ad sacram mensam accederent. Haec omnia religiose observari crebris hortationibus ad omnes convocatos habitis mandabat, paterne corripiens, si quemquam ea minus sollicite implentem nosset.

At quemadmodum promptam integramque domesticarum legum executionem severe ab omnibus exigebat, ita omnes summa prosequebatur *benevolentia* ac charitate.

a) Numquam visus est verbo acerbo aut vultu irato alloqui famulum, etiamsi objurgaret.

b) Non obstantibus tot ac tantis occupationibus et curis officio archiepiscopali adjunctis, omnibus famulorum suorum invigilabat necessitatibus. Congruae quotidiani victus distributioni prospiciens saepe, num aliquid deesset, anxie inquirebat, monens idcirco oeconomum tanta sollicitudine, ac si ab omni alia liber fuisset.

c) Si cui suorum infortunium aliquod obtigisset, si quis aegrotasset vel plane in vitae discrimen incidisset: affligebatur vehementer, visus non raro

ea de causa lachrymas profundere. Aegrotantem quemlibet, licet infimum totius domus, invisebat et consolabatur, paterna sollicitudine interrogans, an ipsi omne, quod praescriptum erat a medico, subministretur, an socii inserviant etc.; medicum autem, quotiescumque visurus infirmum accedebat, vocabat ad se indagans, quomodo infirmus se haberet, ac ei commendans, ut infirmi, sicut sui ipsius curam gereret.

d) Praeterea tam gratus erat in amantes virtutem ac bene famulantes, ut eis praeter statutam mercedem identidem praemia largiretur.

Benevolae cum domesticis agendi rationi juncta erat *prudentia.* Plurimam temporis partem in solitudine orationi et librorum lectioni impendens, a sermonibus vanis et inutilibus abstinebat, ad praescindendos prolixiores sermones negotia occurrentia stans conficiebat, dictis et peractis, quae res exigebat, mox sermonem obrumpebat et famulum dimittebat, vade, inquiens, comite Dei gratia.

Caeterum ipse insigni *exemplo* suis praelucebat, quod effecit, ut res fere impossibilis esset, existere in domo tam sancti Praesulis servum nequam, hominem moribus corruptum, irreligiosum, elatum, superbum, nemini parcentem. Quotidie enim prae oculis habebant religiosam illam patris familias animi ad Deum conversionem, gravitatem et modestiam humilitati ac simplicitati conjunctam, devotionem, benignitatem et humanitatem, veram christianam charitatem, omnes tolerantem, mira patientia ac mansuetudine imperfectiones singulorum sufferentem, in cujus colloquio nullum verbum vel noxium vel inutile, in cujus ore ac vita cuncta sancta, religiosa,

ad virtutem incitantia. Qui aliter fieri poterat, quam ut domestici haec sancta exempla imitarentur et religiose viverent!

Ast qui fit, ut domus personarum ecclesiasticarum nostris temporibus saepe longe aliam, quam domus divi Thomae, formam referant; ut domestici ecclesiasticorum sint inhumani, superbi ac elati, avari, garruli, pacis osores, susurrones, qui nec hero suo nec Domino altissimo fideliter serviant, qui cultum divinum publicum, praesertim sacrum sermonem, preces matutinas et vespertinas negligant, sacra synaxi vix semel per annum reficiantur?

Causa primaria est, quod famuli saepe saepius *sine* praevio *examine* ad obsequium admittantur adeoque jam corrupti domum intrent. Perversi difficile corriguntur (Ecclesiast. 1, 15.). Difficile est, ut ait Hugo a S. Victore a), cor malitia induratum ad formam disciplinae et speciem honestatis incurvare, et teste S. Chrysostomo b) rerum natura sic est, ut, quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur. Hinc facile accidit, ut unus famulorum caeteros omnes pravis suis principiis imbuat, suoque exemplo corrumpat. Multos sollicitat societas nefanda (S. Chrysostomus) c).

Ast fors oppones: Talibus in adjunctis facile fuerit remedium. Pellatur affatim domo servus nequam, et sic tollatur scandalum! Recte judicasti. Aliis remediis, uti sunt monitiones, exhortationes,

a) In lib. de institut. novitior.
b) Super Matth.
c) Super Matth.

correctiones, frustra adhibitis, durissimum quoque adhibeatur. Gravissimus nodus in ligno non potest expelli, nisi gravissimo oppressorio, ait S. Ambrosius a), et Hugo a S. Victore b): Necesse est, ut dura materia, quum facile ad formam non flectitur, ei acrioris flammae incendium et mallei gravioris percussio adhibeatur. Ipsissima s. scriptura (Matth. 18, 8.): Si manus tua vel pes tuus, ait, scandalizat te, abscide eum et projice abs te. Ast eruntne hoc extremo remedio omnes mali prioris cum iniquo conversationis effectus jam sublati, mala principia e cordibus reliquorum evulsa, omnes funestae impressiones deletae? Si minus, ergo unus post alterum pellatur? et quovis mense vel quavis fere hebdomade fiat renovatio famulitii? Quantum e tanta mutatione rei domesticae enasceretur detrimentum! Quantum interna sacerdotis tranquillitas, quantum fama ejus pateretur! Ergo, ne ejusmodi saepius iteratae mutationes necessariae fiant, cautio adhibenda, ut nonnisi tales, qui praevio examine qua probi, religiosi, veritatis amantes inventi fuerint, ad obsequium admittantur.

Altera causa, cur familiae ecclesiasticorum abhorreant saepe ab illa divi Thomae, est defectus certi ac fixi negotiorum domesticorum *ordinis*, atque debitae *inspectionis*. — Ubi nullus ordo, ibi horror perpetuus, otium, superfluae cursitationes, inanes confabulationes, joci, rixae continuae ac discordiae. Ubi nulla inspectio, ibi nullus timor, nulla obedientia, nulla disciplina, ibi ruina pietatis ac morum Cuilibet igitur famulorum domum ingredienti mox negotia quotidiana assignentur et officia, praepri-

a) Super Matth.
b) In l. de instit. novit.

mis pietatis erga Deum et fraternae charitatis in socios, inculcentur, et num illis satisfiat, inspiciatur; cursitationes, praesertim nocturno tempore, prohibeantur et num certa hora vespertina omnes domi sint ac porta clausa, videatur. Caeterum, ut bene observat S. Gregorius a), exhibeatur cum mansuetudine disciplina; sit correctio cum discretione, iram benignitas mitiget,... ut nec immoderata ultio plus, quam oportebat, affligat, nec iterum frangat rectitudinem disciplinae remissio.

Quodsi insuper sacerdos pater familias etiam necessitatibus domesticorum suorum corporalibus honesta mercede imo et praemiis accommodo tempore dandis providerit, stante benevolentia et charitate, nimiam familiaritatem, praesertim cum personis alterius sexus, devitaverit, et in omnibus viri probi, pii, honesti exemplo praeiverit: profecto pace domestica fruetur, servos morigeros, laboriosos, pios et fideles habebit. Merces enim exigua variis defraudationibus ansam praebet, nimia familiaritas auctoritatem imminuit, occasiones peccandi multiplicat, propria vitiositas domesticorum culpas tegit atque excusat.

Imitemur itaque, fratres dilectissimi, et quoad vitam domesticam exemplum nostri S. Antistitis! Simus, ut S. Chrysostomus b) vult, circa vitam nostram austeri, circa aliorum benigni. Audiant nos famuli parva mandantes et gravia facientes! Sit secundum S. Gregorii monitum c), erga subditos sollicitudo nostra laudabilis! Si quis enim suorum et ma-

a) In regist.
b) In illa Matth. 23, 4. digito etc.
c) In regist.

xime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior (I. Timoth. 5, 8.).

XIII. Zelus pastoralis S. Thomae.

Jam tunc, quando de electione divi Thomae in Archiepiscopum Valentinum egimus, fecimus mentionem momentorum, quibus Philippus princeps, Imperatoris filius, Thomae voluntatem flectere, ipsumque ad suscipiendum archiepiscopatum pronum reddere conabatur, inter quae haud ultimum locum status dioeceseos Valentinae obtinuit, utpote qui tanti viri tum doctrinae praesidia tum vitae exempla postularet. Et revera status dioeceseos Valentinae tunc temporis, cum divus Thomas ejus regimen susceperat, erat tristissimus. Diuturna enim Archiepiscoporum absentia, quorum subinde tantum aliquis isque non diu Valentiae vel in dioecesi commoratus est, innumeris malis iisque gravissimis habenas laxaverat, quae eo licentius debacchari consuescunt, quo diutius, sublata pastoris virga, impune agere permittuntur. Collapsa cleri disciplina, sacris rebus detractus honos, graviora laicorum crimina, divortia praesertim et adulteria publica, concubinatus ecclesiasticorum, eorumque mores efferati antiquum Valentinae Ecclesiae decorem mirum in modum deturpaverant.

Novit mala haec eorumque longa obfirmatam consuetudine vim S. Praesul; nihilominus tamen animum non despondit, sed potius implorata ope divina malis illis radicitus evellendis validam manum opposuit.

Ideo mox de urbis atque universae dioeceseos *lustratione* cogitavit. Quo feliciorem vero visitatio

haec successum haberet, pastorales litteras in antecessum vulgavit, quibus omnes ad morum reformationem et christiana studia hortabatur, delinquentibus quibuscumque criminum, quae hactenus commisissent, veniam ultro offerebat, ut hoc modo non judicem, delictorum vindicem, pertimescerent, sed medicum vulnera curaturum ad se accedentem laeto animo complecterentur.

Dein viros quosdam, doctrina, pietate, prudentia ac virtute insignes atque indigenas, qui incolarum indolem sat exploratam habebant, ministros et in munere suo adjutores, Visitatores nuncupatos, sibi delegit et tandem exeunte mense Februario ejusdem anni, quo advenerat, visitationem urbis Valentiae et dioeceseos universae inchoavit et exeunte mense Septembri ejusdem anni adjuvante gratia divina, assiduo labore, incredibili diligentia, feliciter absolvit.

Ante omnia paroecias ipsius civitatis visitavit; dein omnia dioeceseos loca, nullo, tametsi obscuri nominis, oppidulo praetermisso, adiit; ubique sermones, tum publicos, tum privatos ad populum et singulos habuit tali spiritu tantoque ardore pro salute animarum ac zelo, ut omnia ejus verba (siquidem S. Hieronymi de Paulo scribentis phrasi uti licet) totidem essent tonitrua, atque auctoritate et efficacia conciones, incredibili cum fructu antea habitas, multum superarent et non humanae voces, sed missi e coelo radii, flammaeque igneae viderentur. Et quid mirum? Archiepiscopus enim erat; ideo non ut extraneus ad extraneos, sed ut Pater ad filios proprios, ut pastor ad oves suas, ut sponsus ad sponsam suam verba faciebat, paratissimus, pro honore

illius ac salute exigente necessitate vitam suam devovere et sanguinem.

Publicis hisce privatisque sermonibus pro circumstantiarum varietate multiplicatis stupentes homines, nihil tale umquam experti, mirifice trahebantur, praeprimis cum s. Antistes in locis singulis tum ecclesiasticis tum saecularibus eorum omnium, in quibus hactenus deliquerant, gratiam faceret, magno affectu et ardentibus lachrymis obsecrans, ut sese emendarent et magno ac serio conatu Domino deservire vitamque novam instituere satagerent. Hinc sublatae seditiones, milleni discordiarum ac dissensionum ignes extincti, via criminibus multis publicis et occultis praeclusa, amota scandala, reddita Ecclesiae jura, cleri populique mores ad christianae vitae normam feliciter evocati, multi interioribus molestiis ac tristitia spiritus afflicti salutem suam desperantes erecti, recreati, consolatione coelesti perfusi.

Quamvis autem hac via multi ad meliorem frugem reducerentur, plures tamen ex prava consuetudine in peccatis perseverabant. Hinc post peractam universae dioeceseos visitationem Valentiam reversus Thomas valde necessarium esse duxit, celebrari *synodum*, hanc fore idoneam confisus ad tollenda peccata, saltem publica. Itaque secundo mense a reditu Valentiam (mense Novembri 1545) convocavit ad celebrandam Synodum dioecesanam rectores ecclesiarum omnes caeterosque, qui vel de jure vel de prisca consuetudine ei debent assistere. Advenere omnes perlubenter, parati obsecundare votis ejus ex amore ac reverentia, qua in ipsum ob famam sanctitatis ac doctrinae nec non ob insignem charitatem ac

benignitatem, quam in visitatione in eo conspexerant, ferebantur. Detinuit convocatos per unam hebdomadem Archipraesul, audiens omnes magna cum patientia, recolligens dein tum ea, quae viderat ac compererat ipse per decursum visitationis, tum ea, quae quisque isthic suggerebat ac dicebat, ordinavit leges, constitutiones ac mandata, quae maxime necessaria videbantur ad restaurationem morum, tam ecclesiasticorum, quam saecularium omnium et tamquam remedia abusuum ac vitiorum, quae in regione illa vigebant.

Etsi autem omnia, quae s. Praesul post frequentem considerationem et orationem in ea synodo constituit pro correctione omnium istius regionis ordinum, praeprimis ecclesiasticorum, hominibus Deum timentibus ac de salute animarum sollicitis visa sint semper valde congrua et necessaria: nihilominus magnam (praesertim apud ecclesiasticos) nacta sunt repugnantiam et contradictionem, invicta autem Thomae constantia et prudentissima in omnibus agendi methodo omnes difficultates superatae fuerunt. Audiamus exemplum!

Cathedralis ecclesiae Canonici, urgentibus eorum nonnullis, improbe viventibus, quorum perversis moribus ac vitiis per decreta synodi obstaculum ponebatur, convenerunt ac de communi judicio per mandatarium cum aliquibus ex Capitulo Archiepiscopo intimari fecerunt litteras quasdam a Pontificibus obtentas, quarum beneficio, ab Archiepiscopi disciplina subducti, Conservatoris (ut ajebant) curae commendarentur, addentes, quod virtute istarum bullarum reclamarent adversus Episcopi in Synodo statuta, ad suas personas pertinentia et ad sedem

Apostolicam provocarent. Mandatarius accessit ad Archiepiscopum (comitantibus aliis) tanto clamore ac furore, adeo turbulentus ac perturbatus, ut nihil distincte proferret, ac necesse esset, ut s. antistes insigni sua modestia ac mansuetudine animum ejus sedaret. Auditis dein omnibus absque ulla perturbatione vel commotione, manibus tantum junctis et in coelum elevatis, reposuit: Vos ad sedem Apostolicam appellatis, et ego ád Deum coeli, qui renes et corda scrutatur, appello, qui novit ac videt, quae sit necessitas, ut fiat inter vos correctio, utque occuratur damnationi animarum vestrarum, atque ingenti scandalo ac detrimento, quod pravo vestro exemplo procreatis hacce in civitate; qui novit ac videt, quidquid in Synodo decretum fuit, justum esse ac legitimum, meque in toto isto negotio nihil intendere praeter ipsius obsequium et bonum animarum, quas mihi commisit, ut conscientiae meae satisfaciam et muneris obligationi; spéro autem fore, ut ipse sua bonitate et aequitate de re prospiciat. Ite felicibus auspiciis, provocate, quantum lubuerit a mea jurisdictione ac judicio; divinum non effugietis!—

Providit etiam Dominus. Nam paucos post dies unus e canonicis ad laicum tribunal trahebatur, eo quod satellitum ducem, illato pugione vulnere, in vitae discrimen adduxisset. Insolentis facti vindictam meditabatur provinciae Gubernator, in furias actus, reo interim carceri, quem turrim vocabant, palam atque ingenti cum ignominia mancipato. Canonici, cum socii periculo territi, tum collegii honore moti, Archiepiscopum adierunt, magno cum affectu ipsum rogantes, ut injuriam, ecclesiastico juri manifeste inflictam, auctoritate sua propulsaret atque

Canonicum manibus ac potestati fori saecularis subtraheret.

Audivit illos s. Praesul consueta sua mansuetudine et benignitate, et subridens dixit: Quomodo ego vobis opitulari queam et reclamare Canonicum, de quo sermo est, si subditi mei non sitis nec oves meae, nec me pastorem vestrum ac judicem agnoscatis! Non vultis admittere meas constitutiones, quas pro animarum vestrarum salute dedi; denuntiastis, vos esse exemptos. Qui possim ego repetere personam, quae mihi subdita non est, vel cui ego non sum superior! Vos ipsi contenditis, superiorem ac judicem personarum vestrarum esse conservatorem vestrum. Ad hunc recurrite, neque enim consequenter his, quae egistis, ad me vel munus meum pertinet, defendere vos contra tribunal saeculare; defendat vos conservator vester. Et in hac sententia immotus perstitit, quamquam crescente in dies periculo preces ad importunitatem usque multiplicarent Canonici, mirantibus nonnullis s. Praesulis consilium, quod a pertinaciae nota vix possit excusari. His porro respondit Thomas, non sibi, sed Canonicis id vitio vertendum, quippe qui promptam haberent viam, unde ex angustiis, in quas sponte sese conjecissent, nullo negotio emergerent. Dimisso Conservatoris subterfugio Archiepiscopi jurisdictioni, quemadmodum decebat, seipsos subjicerent, atque inde agnoscerent, Archiepiscopo tuendi a laicorum potestate subditos suos nec voluntatem deesse nec modum.

Jam vero cum Canonicis satis superque explorata esset Thomae auctoritas animique constantia, cui parem tanto in discrimine frustra expectassent: con-

sultius judicarunt privilegio cedere, quam imminente obrui tempestate. Itaque per instrumentum rite conscriptum Archiepiscopi Thomae jurisdictioni se prorsus subjecerunt illumque legitimum ac verum suum judicem agnoverunt.

Provida haç rerum dispositione archiepiscopale regimen auspicatus totus exinde fuit in singulis instaurandis, quae ad Dei honorem atque animarum salutem magis conducere in dies agnoscebat.

Omnium mores, vivendi modum, infirmitates spirituales et iis applicandum medicamen diligentissime *explorabat*, ac si quos ad vitia proniores deprehendisset, horum nomina et locum habitationis, nullo vidente aut conscio, in peculiarem librum referebat, ut exquisitiorem iisdem curam adhiberet. Tales erant praeprimis foeneratores, concubinarii, ab uxoribus digressi. Sollicitus mirum in modum, ut *matrimonio* juncti pacifice viverent et invicem amarent, prout lege divina obligantur, divortia summopere oderat et pro viribus laborabat, ut remedium illis afferret. Ut vero res omnis majori secreto committeretur, ac melius fama uniuscujusque, maxime feminarum, conservaretur; generali suo Vicario ac provisoribus mandaverat, ut lites omnes et causas conjugales ad illum ipsum remitterent.

Ipse dein, dum dissidium aliquod maritum inter et uxorem esse intelligeret, utrumque seorsum arcessebat primum, quaerelas excipiebat, praesentem corrigebat, partem alteram defendebat; dein ambos simul convocabat, pacem et concordiam restaurabat, re prius Domino enixe commendata. Si autem hoc remedio (monitione, correptione, precibus, lachrymis, minis) duritiam flagitiosorum non frange-

bat, quandoque si noverat id profuturum, jure sibi tunc temporis concesso usus concubinarios vel ab uxoribus disjunctos mulcta vel etiam carcere plectebat, inemendabiles autem Proregi, qui eos in exilium pelleret, tradebat ea intentione, ut timore perculsi se corrigerent ovesque sanas et bonas non inficerent. Dolebat persaepe s. Antistes nimiam dioecesis amplitudinem, quae in causa foret, cur episcopi vigilantiam nonnulla effugerent; neque enim in tanto animarum numero singulis eam impendere poterat pastoralis sollicitudinis mensuram, quam ipse caeteroquin necessariam judicabat. Qua de re serio apud Caesarem egit, ut Valentinam dioecesim in duas dividi pateretur; sic enim fore, ut episcopi duo, partito inter se labore, quae sui essent muneris, diligentius exequerentur; paratum se esse, Summo Pontifici ea de causa preces porrigere, ut facultatem operi perficiendo necessariam concederet, nec grave sibi futurum, archiepiscopalium redituum portionem cedere in novi Episcopi subsidium convertendam.

Verum spe frustratus integrum onus sustinuit, multiplicatis vigiliis assiduoque labore auxilii inopiam levans. Inde *parochos* ad operam sibi, ut par erat, conferendam alacriores reddere conabatur; alios quoque excipiendis confessionibus aut concionibus habendis incumbentes identidem ad se vocatos fervido sermone excitabat, ut animarum salutem, nullis parcentes incommodis, strenue procurarent. Tempore Quadragesimae singulis annis concionatores et confessarios in ecclesia S. Stephani et S. Thomae convocabat sermone prolixo illos instituens, qua ratione sacro isto tempore munus suum obire tene-

rentur. Concionatoribus exponebat peccata magis dominantia ac prae caeteris perniciosa, magnoque animi affectu orabat, ut omnes uno consensu in suis sermonibus in ista inveherentur quaesita occasione opportuna, quae non defutura esset, dummodo studia sua conjungerent cum frequenti oratione, peterentque a Domino, ut illos dirigeret et, quid pro concione dicendum, edoceret, ac Spiritum suum ipsis impertiretur; scirent autem, se ad suggestum non conscendere, ut ostentarent eruditionem suam et conciliarent sibi aestimationem et applausum populi, sed ut tamquam milites Jesu Christi verborum suorum acumine bellum gererent adversus peccata hominum hosque daemonis unguibus eriperent. Confessarios monebat, ne absolventes inconsiderate quemcumque prodigant sanguinem Jesu Christi, ac clavibus sibi a Domino concreditis abutantur; igitur tantum eos, qui recte dispositi advenerint, absolvant, frigidos excitantes, ut per aliquot dies domi suae vel in templo summa devotione notitiam ac dolorem peccatorum a Deo petant, idem poscentibus confessariis, dein ut, licet gravissima patefiant crimina, cum patientia et charitate auscultent.

Maurorum, quorum non tenuis copia in Hispaniarum regnis dispersa erat, conversionem anxie prosequebatur; quae res, cum difficillima videretur, in magnas animi angustias S. Praesulem conjecerat, e quibus, ut tandem emergeret, archiepiscopali dignitate se abdicare constituit tentavitque non segniter. Sed cum neque id ad votum cessisset, aliam iniit viam; Caesari nempe instanter per epistolas insinuavit, ut in Maurorum pagis parochi constituerentur, qui vitae integritate, prudentia ac zelo eorum con-

versionem promoverent, congruis ad hoc assignatis reditibus, unde eleemosynas quoque indigentioribus largiri possent. Collegio insuper educandis recenter ad fidem conversorum filiis erecto bis mille aureorum summam annuatim solvendam ex archiepiscopalis mensae censibus constituit.

Pari dein sollicitudine invigilabat S. Praesul in *cultum divinum* et ornatum domus Dei. — Cathedrali in templo instituit aliquot beneficia cum obligatione, Missam celebrandi primo diluculo, ut operariis sub initium diei in forum convenientibus ad lucrandam apud eum, qui conducturus esset, diurnam mercedem, copia esset, Missae sacrificio assistendi et sese Domino commendandi, priusquam ad labores suos se conferrent. Quo magnificentius divina officia cathedrali in templo celebrarentur, cleri in odeum convenientis numerum adauxit, constituta ad hoc mille aureorum summa; duas capellanias in ecclesia Valentina a fundamentis extruxit. Dein ad ornatum ecclesiae cathedralis confici jussit in Flandria octo admodum pretiosos ex bombyce et lana subtiliore tapetes, gaudia beatae Mariae inter ejusdem Virginis in templo oblationem exhibentes, archetypos autem imaginum in iis exprimendarum in tela depictos per pictorem civitatis Valentinae valde celebrem.

Caeterum quotcumque et quacumque hora homines ad ipsum recurrebant, *nullus molestus* ei videbatur, nullum tempus importunum. Ideo mandaverat famulis suis, nominatim janitori, ut neminem dimitterent, nemini molesti essent, omnes exciperent cum amore et humanitate ac episcopum vocarent extemplo, quoniam haec sua esset consolatio, haec sua voluptas et pars vitae optima, dum oves

suae advenirent petiturae consilium in negotiis vel solatium et subsidium in miseriis. Communiter autem missa finita aures praebebat et responsum reddebat omnibus, qui ipsum praestolabantur vel ad eum accedebant. Qua in re adeo indefessus et irremissus fuerat, ut saepe hora prandii praeterlaberetur. Absolutis demum negotiis et omnibus convenienter dimissis, comedebat (hocce in casu solus) non curans, serum esse et statam horam praeteriisse; ajebat quippe, sua pluris interesse, audire et expedire causas ad se propter negotia venientium, quam comedere, imo fore, ut cibus nec saperet nec prodesset sibi, si quis, postquam expectasset, absque solatio et convenienti responso recederet.

An non, hisce auditis, laetabundos exclamare nos oportet, fratres: Thomas zelosus erat animarum pastor, verus discipulus Domini nostri ac Salvatoris Jesu Christi, et imitator divi Pauli, Chrysostomi, Gregorii, aliorumque, quorum nomina scripta sunt in coelis et fulgent sicut stellae coeli in perpetuas aeternitates (Daniel. 12, 3.)?

Zelosus animarum pastor non deserit gregem suum, amat omnes et singulas oves, pascit et regit eas, non quaerit proprium commodum vel lucrum, non refugit labores maximos, quotidianas sollicitudines, continuas aerumnas, non aemulatur, nisi, ut S. Bernardus ait, fraternam salutem, decorem domus Dei, incrementa frugum justitiae ejus, laudem et gloriam nominis ejus. Haec omnia Thomas praestitit.

Pravum illorum exemplum, qui (ut ait Conc. Trident. *), propriae etiam salutis immemores, ter-

*) Sess. 6. de ref. c. 1.

renaque coelestibus ac divinis humana praeferentes in diversis curiis vagantur aut in negotiorum temporalium sollicitudine (ovili derelicto atque ovium sibi commissarum cura neglecta) se detinent occupatos, praesulem tam pium ac sanctum non infecit; optime enim sciebat, quod Cardinalis Bellarminus in epistola ad Clementem octavum scribit: nihil prodesse, idoneum (pastorem) eligi, si non *resideat;* pastores animarum praecepto divino teneri a), oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbi divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere et in caetera munia pastoralia incumbere, quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt. Sciebat, quaestionem esse non posse (ut Dom. Soto observat b), utrum janitor, cui cura claudendi recludendique commissa est, ad januam assistere debeat, et cui navis gubernatio incumbit, ad clavum sedere, et utrum dux in bello, dum geritur, et miles in acie debeat existere? A primo igitur momento, quo ingressus est ecclesiam suam cathedralem divus Thomas, ad finem usque dilexit sponsam suam neque dereliquit eam; a primo momento ad finem usque *dilexit* bonus pastor omnes oves sibi commendatas nulla excepta; omnes volebat agnoscere, pascere omnes, omnibus prodesse, imo et illas, quae nondum erant ex ovili Christi, in illud adducere easque, quae in vias pravas abierant, re-

a) Conc. Trid. sess. 23. c. 1.
b) Lib. 10. de justitia et jure quaest. 3. art. 1.

ducere. Ideo sine mora universam lustrat dioecesim, quodvis oppidum visitat, ubique locorum praedicat, instruit, arguit, obsecrat, increpat in omni patientia et doctrina (II. Tim. 4, 2.); mira oris dulcedine morumque suavitate omnes allicit, neminem repellit ac omnes vocat, gratiam offert omnibus, omnibus omnia factus. Non curat incommoda itineris, corporis defatigationem, aëris mutabilitatem. Omnia suffert, omnia sustinet (I. Cor. 13, 7.) propter amorem Domini sui Jesu Christi et salutem animarum.

Novi, ait S. Carolus Borrom. orat. 11. ad Clerum a), novi, quid multi dicant. Et quis illuc se conferat, ubi est summa rerum omnium inopia, ubi nonnisi praerupti montes et dificillima loca, ubi diu noctuque laborandum et incommoda maxima sustinenda? — Anne autem hi veri nominis pastores sunt, charitate fervidi, zelo Christi repleti? — Si pastoralibus visceribus praediti sumus, ait S. Augustinus b), per sepes et spinas nos coarctare debemus; membris laceratis ovem quaeramus et pastori principique omnium cum laetitia reportemus. — Quam multa propter hunc gregem passus est Christus! S. Chrysost. c) Homo factus est, servi formam assumpsit, consputus est, alapis caesus est, postremo ne mortem quidem recusavit et quidem ignominiosissimam, quin et ipsum sanguinem suum effudit. Itaque si quis voluerit Christo commendatus esse, curam habeat ovium illius, fratrum suorum saluti prospiciat, nullas attendens difficultates, nulla respiciens incommoda! Qui pascit oves Christi (ait

a) Act. Eccles. Mediol. car. 1182.
b) De gestis cum Emerico.
c) Orat. de B. Philogonio.

S. Augustinus a), illius amor in tantum debet crescere spiritualem ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem.

Novit S. Praesul, duram esse peccatorum cervicem, magnam inveteratae consuetudinis vim adeoque unica monitione, allocutione, exhortatione non omnia confici, *continua* institutione, monitione, correptione opus esse; ideo celebrata synodo dioecesana sapientissimas leges, morum disciplinam concernentes, tulit, flagitiosos speciali in scheda notavit ac saepius admonuit, imo quandoque et severioribus poenis coërcuit, parochos, concionatores, confessarios institutione publica et privata ad fortiter ac prudenter simul gerendum munus pastorale excitavit.

Fratres perdilecti! Omnium divinorum divinissimum est, Dei cooperatorem fieri in conversione animarum (S. Dionys. b). Jam cur nos, in sortem Dei vocati, non cooperaremur ei in salutem animarum? Cur otiosi staremus in vinea Domini? Cur essemus sicut canes muti non valentes latrare? (Isai. 56, 10.) Cur erubesceremus Evangelium (Rom. 1, 16.)? Quare non annuntiaremus populis vitia et scelera eorum? Nihil in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, ait S. Ambrosius c), quam, quod sentiat, non libere denuntiare. Si ita res est, ait S. Cyprian. d), ut nequissimorum timeatur audacia: actum est de Episcopatus vigore et de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate, nec Christiani ultra esse possumus. — Ne timeas a facie eo-

a) Tract. 123. in Joan. tom. 9.
b) De coel. Hierar. c. 5.
c) Lib. 5. ep. 29.
d) Lib. 1. ep. ad Cornel.

rum, ait Dominus ad Jerem. (Jerem. 1, 8. 17. 18.), quia tecum ego sum et eruam te.... Ego dedi te hodie in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum super omnem terram. — Maluit, ait Petrus Bles. a), Joannes Baptista periclitari apud regem, quam divinae legis silere justitiam. Maluit divus Thomas a Villanova omnium redituum, quos ecclesiae suae nomine possidebat, jacturam subire, atque ad monasterium, a quo nonnisi moerens lacrymansque recesserat, remeare, quam, Gubernatore regni Valentini jura Ecclesiae invadente, aliisque altioris quoque ordinis hominibus inordinate viventibus, silere et non potius, necessitate urgente, etiam ad arma ecclesiastica confugere; sciebat enim Deo magis esse obediendum, quam hominibus (Act. Apl. 5, 29.), et bonum pastorem animam suam dare pro ovibus suis (Joan. 10, 11.).

Ast quantopere dolendum, si ecclesiastici ipsi, quorum tamen esset, Episcopum in omnibus salutem fidelium concernentibus juvare atque non modo doctrina, sed et operum bonorum exemplo, ut ait Conc. Trident. b), populum fidelem pascere, zelum Praesulis sui non agnoscant, atque disciplinae impatientes finisque sui immemores legibus, nonnisi gloriam Dei, emendationem morum, justitiam ac sanctitatem concernentibus, sese subducere conentur, et sic publico inobedientiae erga Episcopum exemplo populum fidelem scandalizent! Si satanas satanam ejicit, quomodo stabit regnum ejus (Matth. 12, 26.)? — Omnis ordo ecclesiasticus, ait S. Hieron. c), suis

a) De instit. episc.
b) Sess. 23. dec. de ref. c. 1.
c) Ep. 4. ad Rustic.

rectoribus nititur. Laici diaconis subjiciantur, scribit S. Ignatius Mart. a), diaconi presbyteris, presbiteri Episcopo, Episcopus Christo. Quicumque Episcopis non obediunt, scribit S. Clemens b), indubitanter rei et reprobi existunt. Nefarium scelus est, ait S. Cyrill. Alex. c), et apud Deum capitale crimen, insurgere adversus caput ac praepositis et iis, qui Dei voluntate atque arbitrio principem honoris locum tenent, nolle subjacere. Primum et maximum vitium tumoris, ait S. August. d), inobedientia.

Reprobemus, rejiciamus, condemnemus igitur, fratres dilectissimi, exemplum illud Canonicorum ecclesiae Valentinae contra sanctissimum Praesulem, nonnisi salutem ipsorum desiderantem, aperte rebellantium; sequamur, amemus, diligamus potius exemplum ecclesiasticorum illorum cum optimo Praesule in Synodo congregatorum; simus et nos (Philip. 2, 2 — 4. Rom. 12, 16., Ephes. 4, 3.) eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum invicem sentientes, nihil per contentionem, nihil per inanem gloriam (facientes), sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, si interrogati aut in consilium adhibiti fuerimus, nonnisi, quae bona et recta sunt, proponentes ac suadentes atque superioribus, praeprimis Episcopis, reverentiam atque obedientiam in omnibus, quae non sunt contra voluntatem divinam, exhibentes. Simus fervidi Episcoporum

---

a) Ep. ad Smyrn.

b) Epist. 3.

c) De adorat. in spir. et ver. l. 13.

d) Lib. 8. de Gen. ad lit. c. 6.

in vinea Domini adjutores et cooperatores. Praedicemus verbum (II. Tim. 4, 2. Act. Ap. 20, 20.) oppurtune, importune, publice et per domos; instituamus parvulos et adultos in doctrina Christi, non applausum, ut bene monet S. Thomas, potius lachrymas et gemitus, ut vult S. Hieronymus a), auditorum quaerentes sanctumque gerentes bellum, ut oves nobis concreditae vitam habeant et abundantius habeant (Joan. 10, 10.). Excipiamus libenter confessiones fidelium; simus fideles dispensatores mysteriorum Dei! (I. Cor. 4, 1.) Diligamus quoque decorem domus Dei (Psalm. 25, 8.); videamus, si b) niteat altare, si parietes sint absque fuligine, pavimenta tersa, si sacrarium mundum, si vasa luculenta; satagamus c) emendare, corrigere, quae forte fuerint perversa, ne et nobis exprobretur a Salviano, quod templa atque altaria Dei minoris reverentiae habeamus, quam cujuslibet minimi ac municipalis judicis domum. Sacerdoti enim (S. Ambros. d) maxime hoc convenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Domini respondeat. Nemo dicat (Gregor. Magn.), admonere non sufficio, adhortari idoneus non sum; quantum potes, exhibe, ne male servatum talentum, quod acceperas, in tormentis pendere cogaris.

Zelum divi Thomae universalem, constantem et perseverantem, discretum, benignum et suavem

a) S. Hieronym. ad Nep. ep. 34. alias 2.: Docente te in Ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrymae auditorum laudes tuae sint.

b) Secund. S. Hieronym. ep. 3. ad Heliod.

c) Sec. S. Aug. tract. 10. in Joan. c. 2.

d) Lib. 2. Offic. c. 21.

potius quam austerum fuisse, ex usque dictis luculenter patet. Thomam autem in omnibus non lucrum vel commodum proprium, sed gloriam Dei et salutem animarum quaesiisse, sat demonstrant insuper litterae ad Imperatorem datae, quibus dioecesim tam amplam in duas partes dividi flagitaverat et animum suum, partem redituum suorum ad dotationem novi episcopi necessariam cedendi sincere significaverat; demonstrant quotidianae, quas dabat, audientiae, diligentia in negotiis tractandis indefessa. Studeamus igitur et nos, fratres, huic zelo purissimo, et cum fons zeli amor sit, amor scilicet Dei et proximi, studeamus huic amori; tunc zelus noster nullo timore, nec vitae periculo frangetur, sed semper firmus persistet; hocque modo nosmet ipsos salvos faciemus, et in die judicii tamquam Dei adjutores mercedem reportabimus.

XIV. Aliae virtutes divi Thomae,

a) Pietas ejus.

Gratia Dei ad omne opus bonum summopere necessaria est. Deus operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate, neque sufficientes sumus cogitare aliquid boni a nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. (Philip. 2, 13. II. Cor. 3, 5.) Deus autem gratiam suam concedit omnibus, qui petunt ipsam. Hac de veritate firmissime persuasus erat D. Thomas adeo, ut in omni vitae suae statu, praecipue autem in Archiepiscopatu, plurimum addictus fuerit *orationi*, tum ad obtinendas, quas munus pastorale exigebat, vires, dotes ac virtutes, tum ad propulsandas, quas munus pastorale secum ferebat, tempestates ac molestias, tum

ad negotia quotidiana rite atque ad honorem Dei et salutem animarum expedienda. Nulla res obveniebat S. Praesuli, quin mox (tamquam alter Moyses) confugeret ad tabernaculum oratorii sui, ad sacram Crucifixi imaginem, rem illam cum Deo communicaturus atque consilium efflagitaturus, quid sibi talibus in adjunctis agendum, dicendum, respondendum. Tam parnm sibi fidebat s. vir (licet judicio admodum perspicaci, multa experientia ac scientia et insigni eloquentia praeditus), tantamque in oratione ac providentia divina fiduciam reponebat, ut nullum umquam negotium, praesertim gravius, extemplo, sed nonnisi praemissa fervida ac humili oratione, atque petito precibus, lachrymis, celebrato saepius speciali cum hac intentione Missae sacrificio, coelesti lumine ac benedictione decreverit. Maximam atque optimam temporis tam diurni quam nocturni partem orationi impendebat, genuflexus ante imaginem Crucifixi vel etiam humi extensus, corpore in crucis formam composito. Si res die postero pertractanda vel exequenda magni erat momenti, maxime si dicendum sibi erat pro concione vel aliquis ob improbam vitam corripiendus, totam noctem, nihil somno concedens, meditationi tribuebat. Insuper ad horas singulas, etiam studiis occupatus, vel cum accedentibus agens variaque negotia pertractans, animam Deo praesentem habebat, in eumque cor et cogitationem suam dirigebat, commendans illi actiones suas omnes et necessitates ovium suarum; vir profecto orationis, ad exemplar Salvatoris sui conformatus.

Et Deus, qui exaudit humiles, placido cum vultu respexit preces servi sui, dedit ei scientiam et lumen

intellectus; ut, quaecumque aggrederetur, recte succederent; elargitus est ei praeter multa alia dona donum quoque *consilii*, ut non modo sibi, sed et aliis ipsum consulentibus, imo bono communi prospiceret; aperuit quandoque et occulta cordium, abscondita tenebrarum, varias hominum necessitates, spirituales et temporales, quibus ut Thomas subveniret, Dominus cupiebat. In confirmationem dictorum sunto sequentia:

Defuncto episcopo Estanna, qui tunc temporis, quando D. Thomas ad ecclesiam Valentinam pervenit, in ea suffraganei munus obibat, magistro Joanni Segrian secum habitanti ac visitatoris munere fungenti dixit archipraesul: Attende, suffraganeo opus est, qui me adjuvet; in te autem cogitationem conjeci. Tu pro hac re tres missas celebres de Spiritu Sancto, ego faciam similiter; Domino eam rem commendemus, ut lumen nobis indulgeat. Magister Segrian pro illa, quam prae se ferebat, humilitate respondit, se incapacem esse nec instructum necessariis ad tale munus dotibus oravitque enixe, ut alterum deligeret. Ne hoc dixeris, reposuit archiepiscopus, nam ego ad episcopatum minus aptus eram, minusque sum hodiedum et Deus, qui me, sicut probe novisti, vocavit minime appetentem, per suam clementiam me ducit ac juvat. Fac, quod dixi tibi et si illi placuerit teque elegerit., ipse suppeditabit, quod tibi deest. Post peractum secundum missae sacrificium: Credo, inquiebat, te fore episcopum; post tertium vero: Certum est, Dei voluntatem esse, ut hac in ecclesia tamquam episcopus suffraganeus ipsi deservias; ipse te vocat et ego hodie desuper Romam perscribam.—Priusquam ma-

gistrum Joannem Porta visitatorem elegisset, totam fere noctem in oratorio transegit. Ad hunc modum fiebant omnes ejus electiones ad quodlibet officium, quamvis minimum.

Donum consilii, quo Deus praeter orationis frequentiam servum suum ornaverat, cuilibet cum ipso agenti perspectum erat adeo, ut omnes illum post obitum tamquam fontem consiliorum et remediorum in omnibus casibus ac necessitatibus tam temporalibus quam spiritualibus, quae cum ipso communicabantur, depraedicaverint simul ac deploraverint. Juris periti, qui cum ipso negotium aliquod pertractabant atque ii, quos ipse in consilia suâ adhibebat, affirmabant, se communiter, audita Archiepiscopi sententia, nihil firmius aut solidius in medium proferre potuisse. Saepenumero accidit, ut ipsum adirent rectores aliqui vel vicarii ecclesiarum, querelas de nonnullis clericis vel maleactis depositari, quibus praemissa oratione tale dabat consilium, ut audientes stuperent, illudque admittentes prosperum obtinerent successum. —

Tempore Pauli Pontificis Tertii, dum convocatum fuit s. Conc. Tridentinum, dolebat multum, non posse se propter infirmitates, quibus affligebatur, illuc proficisci et interesse Concilio. At litteras dedit ad omnes sibi notos episcopos, ut Valentiam venirent, communicaturus cum ipsis sua consilia et desideria et quae ipse tentaturus esset, si adire valeret. Tradidit quoque omnibus scriptam seriem quaestionum praecipuarum, quae pertractandae sibi videbantur, quae series (testibus quibusdam episcopis, ob grassantem pestilentiam redeuntibus) a Patribus Tridentinis valde fuit comprobata,

decreto sancitis plerisque in ea contentis. — Etiam Carolus V. Imperator Thomam dignum censuit, qui sibi non tantum a concionibus, sed etiam a consiliis esset. Equidem aulicorum aliorumque, quibus publicae rei cura inerat, constans fuit sententia, Caesarem difficilioribus in negotiis, quae in magna illa regnorum mole haud infrequenter occurrebant, sancti viri mentem secretiori via explorasse ac secundum habita inde consilia executionem imperare consuevisse. Et revera inter litteras ante obitum et ad mandatum ejus e scrinio, cui erant inclusae, extractas multae repertae sunt a Carolo V. Caesare ad Thomam destinatae, quibus gravia admodum negotia cum ipso communicabat ac breve omnino cum eodem cursore responsum expetebat, significans, nihil ea in re se decreturum, donec illius judicium intellexisset et consilium.

Quam grata Deo divi Thomae oratio fuerit, patet quoque ex illo notabili casu, quo ob non servatum a sacerdote quodam confessionis sacramentalis sigillum homicida quidam capitis damnatus est. Contigit nempe in loco quodam, ut homo alterum occideret adeo latenter et caute, ut nemini notum fuerit aut compertum, quis, quave hora aut quo modo interemisset. Erant defuncto fratres bini, quorum alter eundem locum inhabitabat, agricola ac notus homicidae, alter sacerdos, beneficio gaudens ecclesiastico et sacrae poenitentiae administer in quadam ecclesia Valentiae, quem ille homicida non noverat. Jam cum advenisset jejunium quadragesimale, Valentiam accessit homicida ille, sacra confessione delicta expiaturus. Accidit, ut ad eam ecclesiam se conferret, in qua sacerdos ille, demortui

frater, publice in sacello confitentibus aures praebebat. Ignoto delicta aperuit atque inter alia: occissum a se esse hominem in vico suo. Interrogatus de loco habitationis suae, de nomine suo et mox defuncti, de modo, hora, adjunctis homicidii, omnia sincere, quamvis non sine ingenti mentis et animi perturbatione, declaravit, unde confessarius cognovit, fratrem suum ab illo homine occisum esse. Post dies non multos fratrem suum laicum arcessivit sacerdos eique, quae sibi in confessione declarata fuere, aperuit, mandato addito, ut post unum alterumve mensem hominem illum tamquam homicidii reum comprehendi atque interrogari juberet. Rem ita exsecutus est frater. Judici singula rei factae adjuncta accusationis libello edocto atque his conformiter quaestiones ponenti singularis animi perturbatio accusati ejusque dictorum discrepantia sufficientia esse videbantur indicica et argumenta ad eum quaestioni per tormenta legitime subjiciendum, quod et factum est. Primo tentamine fassus est aperte homicidium, quomodo erat decretum et executioni mandatum. Secundum hanc confessionem tulerunt judices sententiam mortis.

Denuntiata reo mortis sententia adduxerunt confessarium, qui eum consolaretur, peccata confitentem audiret et ad mortem disponeret. Ille autem reposuit: Quid ego confessionem instituam? Ob confessionem mihi vita aufertur, non ob delictum. Nec erat, qui eum ab hoc dicto dimovere posset. — Hanc rem a Deo oratione edoctus s. Praesul misit Vicarium suum generalem ad judices petens, ut hominem illum (ne anima ejus periret) ad ipsum Archiepiscopum mittere dignentur, promittens fore

ut, si morte dignus sit, judicii executionem non impediat. Annuere judices. Adductum vocavit Archiepiscopus seorsum in oratorium, et ante sacram Christi crucifixi imaginem obtestatus est, ut indicaret, quam ob causam nollet per sacram confessionem delictis expurgare animam et assereret, se ob confessionem pertrahi ad patibulum. Erexit animum infelix homo, narravitque Antistiti suo totam rei seriem, in specie, quomodo, confessarium illum fratrem esse occisi, ex schedula primum didicisset a confessario accepta et loci sui parocho exhibenda, fierique non potuisse, ut humana via proderetur, nisi sacerdos ille indicasset fratri suo et hic judicibus. Esto tranquillus, inquiebat s. Praesul, si enim alia via in delicti tui notitiam non devenerint judices, confessio tibi vitam non tollet.

Dein mox vocari jussit sacerdotem illum confessionis proditorem ac includi cubiculo; judices quoque ad preces s. Praesulis fratrem occisi, qui accusationem instituit, comprehendi jusserunt et Archiepiscopo tradiderunt. Ille autem interea pro majori temporis parte in oratorio ante Christi crucifixi imaginem, solo prostratus, magna devotione et multis lachrymis petebat lumen coeleste et ut sacerdos ille una cum fratre culpam suam agnoscerent, verum faterentur, atque ita remedium afferretur casui tam insolito ac pernicioso piae aestimationi, in qua est apud omnes catholicos sacramentum poenitentiae. Exauditus fuit a Deo s. Praesul. Uterque frater, fervida Episcopi exhortatione permotus, veritatem facti candide confessus est. — Jndices itaque solutum hominem vinculis et custodia, qua tenebatur in palatio Archiepiscopi, integrac libertati restitue-

runt atque omnia actionis eidem intentae instrumenta combusserunt, nulla ejusdem eventus relicta memoria; sacerdoti autem beneficio privato Archipraesul auditione s. confessionis et celebratione Missae interdixit per vitam integram et ad perpetuum illum carcerem in arce de Chulilla condemnavit, qui (sacerdos) poenam cum omni humilitate susceptam tanta patientia ad mortem usque toleravit, ut omnibus bonum animi ad coelestia conversi exemplum praebuerit.

Ita orationis praesidio adjutus difficillimas res aeque ac communes felici cum successu tractavit Thomas. Omnia, quaecumque petiit orans, accepit.

Utinam et nos, fratres, ad exemplum divi Thomae diu noctuque orationi instantes essemus (Coloss. 4, 2), benedicentes omni tempore Deum, et petentes ab eo, ut dirigat vias nostras (Tob. 4, 20.) et gressus nostros, genua flectentes ad Patrem Domini nostri Jesu Christi hujus rei gratia (Ephes. 3, 14.), ut in omnibus necessitatibus mentis et corporis, propriis et alienis, nobis subveniat auxilio suo potenti, ut cuncta nostra actio et operatio ab illo semper incipiat, et per ipsum coepta finiatur in laudem et gloriam nominis ejus et in salutem animarum. — Oratio justi est, ut S. August. ait a), clavis coeli; thesaurus perpetuus, parens, fons et radix bonorum omnium et innumerabilium, ut ait S. Chrysost. b), utpote per quam omnia bona recipimus cunctaque mala declinamus. Et quam facili modo? Si hominem rogare volueris, ait S. Chrysost. c), interrogas

a) Serm. 226.
b) Hom. 5. de nat. Dei incomp.
c) Hom. 17. de mul. chan. In psalm. 4. Orat. de B. Philog.

(ministrum): Quid facit (dominus)? Et dicit tibi: Prandet, coenat, dormit, cum amicis agit, non vacat, aut certe minister respondere tibi non dignabitur; ad Deum autem cum accesseris, nihil horum opus est, sed ubicumque fueris aut invocaveris, audit te; non enim quaeritur locus, sed devotio mentis; sed neque assistit miles, qui expellat; non satelles, qui dicat: non est nunc tempus accedendi; nec opus est janitoribus, qui te introducant, non dispensatoribus, procuratoribus, custodibus aut amicis, sed quando ipse per teipsum accesseris et tunc maxime exaudiet. Adde, quod et ipse modus rogandi sit admodum facilis. Quid enim facilius mendico, quam suas miserias aperire et exaggerare? Quid facilius laeso, quam de injuriis judicem interpellare? Quid facilius amanti, quam in amati laudes se effundere, aut alios amantibus proprios affectus elicere? — Sed et ipsa quoque impetratio ex parte Dei non est difficilis; quia quemadmodum parturiens cupit emitti foetum, Deus cupit misericordiam effundere et quia, prout S. Brigittae revelavit a), paratior est dare, quam aliquis petere; nec enim, teste S. Cypriano b), ullis finibus premitur, nec coërcentibus claustris intra certa metarum spatia frenatur; manat jugitur, exuberat affluenter.

Oratio autem est duplex, vocalis et mentalis. Vocalis, quae non animum tantum, sed et linguam occupat, mentalis, quae lingua silente cor evocat ad sanctum cum Deo colloquium c). Ad vocalem pertinent *horae* (ut ajunt) *canonicae*, quarum accuratam

a) Lib. 5. revel. c. 15.
b) Lib. 2. epl. 2. de Donat.
c) Drexel. in rosis mar. p. 1. c. 9. §. 1.

persolutionem nostris temporibus non pauci sacerdotes, perverso aetatis genio inflati, vel parum curant, vel plane negligunt, imo mordacibus verbis perstringunt atque hac in re conscientiosiores non raro risui exponunt. Verum quidem est, nullum dari praeceptum divinum speciale recitandi officii divini, neque clericos ad recitationem horarum ex natura rei aut vi status clericalis, sed solummodo ex praecepto Ecclesiae obligari. Anne autem licitum fuerit clericis, Ecclesiam Dei contemnere, parvi facere mandata ejus? Quis honoraverit clericos, qui propriam matrem inhonorant? Quis audierit Clericos, qui propriam Ecclesiam non audiunt? Ecce quantum vilipensio hujus praecepti ecclesiastici faciat ad labefactandam Ecclesiae et clericorum auctoritatem, ad fovendum falsae libertatis spiritum!

Ast fors recitatio officio divini clericis in majoribus ordinibus constitutis, vel ad beneficium actu promotis ab Ecclesia solummodo *commendata*, adeoque privatae cujusvis devotioni relicta, non stricte et sub gravi (ut ajunt) praecepta est? — Praecepta omnino. Patres enim Conc. Lateran. IV. sub Innocentio III. habiti districte praecipiunt a), in virtute obedientiae clericis, ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote. Jam cum hanc obligationem praetextu pastoralis officii quidam subterfugere praesumserint: Concilium Lateran V. sub Leone X. habitum addidit b) onus restitutionis fructuum pro rata omissionis officii relate ad eos, qui titulo beneficii ad horas tenerentur, si elapsis

a) C. Dolentes.

b) An. 1514. sess. 9. can. 2.

6 mensibus post adeptam possessionem culpabiliter officium non recitaverint, quam ordinationem Pius V. Pontifex speciali bulla a) confirmavit. — Voluit hocce praecepto Ecclesia militans triumphantem, cujus est, Deum perpetuo adorare, laudare, exaltare et debitae gratitudinis officiis prosequi, imitari; voluit continuum contra assultus hostium tam externorum quam internorum auxilium a Deo implorare, voluit sacerdotes suos Deo magis magisque adstringere ac unire. Annon hic finis sanctus, utilis omnique veneratione dignus? Qui fieri potest, ut sacerdotibus nonnullis recitatio officii onus videatur intolerabile, ut cum nausea breviarium incipiant, cum taedio percurrant, acsi absolutum est, summopere gaudeant? Quantum distant isti a magno illo Ecclesiae Doctore, divo Augustino, qui psalmorum recitatione miro pietatis in Deum sensu accensus, novum ad illos recitandos stimulum in se persentiscebat. Quantum flevi (Deus), sincere confitetur b), in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter! Voces illae influebant auribus meis, et eliquabatur veritas in cor meum et exaestuabat inde affectus pietatis et currebant lachrymae et bene mihi erat cum eis. c) Quas tibi voces dabam in psalmis illis et quomodo in te inflammabar ex eis et accendebar eos recitare, si possem, toto orbe terrarum! — Tot considerationes perfectionis, immensitatis atque ineffabilis excellentiae et magnitudinis divinae, tot commemorationes bonitatis Dei in genus humanum ac

a) Ex proximo Later. Conc. an. 1571.
b) Lib. 9. confess. c. 6.
c) Lib. 9. confess. c. 4.

persolutionem nostris temporibus non par
dotes, perverso aetatis genio inflati, vel
rant, vel plane negligunt, imo mord
perstringunt atque hac in re consci
raro risui exponunt. Verum quidem
praeceptum divinum speciale reci
neque clericos ad recitationem
rei aut vi status clericalis, sed
cepto Ecclesiae obligari. An
clericis, Ecclesiam Dei c
mandata ejus? Quis hono
priam matrem inhonor ...igi-
qui propriam Ecclesi *causa* hu-
tum vilipensio hujus
labefactandam Ecc
ad fovendum fal ...nt, inter quas de-
...um cognitionis, debitae
Ast fors re ...is, nimia praecipitantia in
ribus ordinib ...numerari merentur. — Qui enim
promotis al ...um ignorat, nihil legendo cogitat,
que priva ...t, mentis distractiones patitur, labiis tan-
et sub ... *Deum* honorat, nullamque utilitatem percipit.
omnino ... *valet* de eo, qui sine attentione et devotione
centi ... *nimis* festinanter breviarium recitat. — Ast suntne
ob ... *causae* hae ejusmodi, ut sint inevitabiles? An igno-
rantia studio, distractio mentis temporis et loci apti
electione, praemissa quadam mentis praeparatione,
renovato saepius stabilis attentionis proposito, ite-
rata bona intentione, diligenti sensuum externorum,
praesertim oculorum, custodia, decenti situ corporis;
defectus devotionis firma fide, viva praesentiae di-
vinae recordatione, vera propriarum indigentiarum
sensione, spiritu ferventi; nimia praecipitantia sola
bona voluntate, decentiae ac Deo debitae reveren-

tiae recordatione removeri non potest? Quot exstant desuper a Conciliis, Patribus et Doctoribus Ecclesiae datae instructiones ac monitiones! — Omnes ecclesiastici, etiam beneficiati, ait Conc. Bituric. an. 1584. a), horas canonicas attente ac distincte dicant, deposita omni sollicitudine saeculari, nullaque colloquia intermisceant ac Deum precaturi locum hujuscemodi sibi deligant, in quo a pietate ac devotione non abducantur. Nec clamans, sed amans cantat in aure Dei, ait Conc Trevir. II. an. 1549. b), audit enim ille vocem cordis, sine qua sonum oris contemnit; quare videndum est, ut qui spiritu psallunt, et mente psallant. Quid prodest psalmus, nisi devotione comitetur? ait Petr. Bles. c). Si psallitis, psallite sapienter d). — Non suffecerit, ait Conc. Colon. II. an. 1536. e), preces istas horarias utcumque praemurmurasse; sed presbyter ex intimo affectu elevataque mente in solum Deum — nocturnum hoc diurnumque suae servitutis pensum exsolvat; maledictus enim, qui facit opus Dei negligenter. Verba singula notet, ait Conc. Mediolan. V. an. 1579. f), interpretationem studio assequatur, unde mens animusque ad aliquem salutarem affectum incendatur. Magna animi attentione se ad verba sententiasque psalmi accommodet, ita ut laudet, gemat, extimescat, sicut psalmorum voces indicant. Si de virtute verba psalmi profert, desiderio accendatur imita-

a) Tit. 12. de celeb. div. offic. can. 12.
b) C. 6. de horis canon.
c) Serm. 56. ad sacerd. sup. v. 12. c. 6. Levit.
d) Serm. 12. de vita, moribus et off. Prael. et Cleric.
e) Part. 2. c. 8.
f) Part. 3. tit. quae ad div. offic. pert.

tionis; si de peccatis, intime doleat et sic de aliis item, quae psalmo significantur. Paret se propterea etiam atque etiam diligenter sancta intimi animi meditatione et religiosa oratione, ut exteriorem quoque cultum divinorum officiorum salubriter exequatur.

Magna abusio est, ait S. Bernardus a), habere os in choro et cor in foro. Et S. Bonaventura b): Stude intelligere ea, quae dicis, si potes; si vero non potes intelligere, reverere, quia, sicut dicit sapiens, per reverentiam accedet tibi bona gratia.... Debent (ministri Ecclesiae) dicere officium distincte, continue, integre et ordinate; distincte, ne verbum masticando vel exiliter proferendo vel nimium festinando dicenda confundant; continue, ut interruptiones in eo non fiant interloquendo, nisi urgente necessitate; integre, ut de dicendis nihil omittant; ordinate denique in substantia, tempore et modo; postpositiones, implicationes, variationes facile non admittant.... Gravitas inquietudinem, dissolutionem, tumultum excludit, inquietudo in motu membrorum consistit, sive capitis in circumagendo, sive oculorum in circumspiciendo per chorum vel alibi, sive manuum in fricando vel volvendo curiose librorum folia, sive pedum in discurrendo; dissolutio in verbis aut risu et in cantu considerari potest; tumultus per vocis sussurrum, per importunitatem spuendi seu excreandi seu per impetuosam elevationem et depositionem sedilium fieri solet. — Unde vos moneo dilectissimi, scribit S. Bernardus c), pure sem-

a) Apud S. Bonaventuram in Reg. Novit. c. 1.
b) Reg. Novit. c. 1. Et Specul. discipl. part. 1. c. 16. part. 2. cap. 15. de discipl. officii in choro.
c) Serm. 47. in Cant. n. 8.

per et strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicut reverenter, sic et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non praecidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes, sed virili, ut dignum est, et sonitu et affectu voces sancti Spiritus depromentes. Pure vero, ut nihil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis.

Caeterum distractiones mentis, quae non sunt voluntariae, quarum causa non propria nostra incuria est, sed daemonis conatus et humana infirmitas, a recitatione breviarii nos nequaquam retrahere debent; secus enim ab omni fere oratione abstinere deberemus, cum teste S. Bernardo a) debilitas nostra tanta sit, ut saepe vix semel orationem dominicam sine distractione recitare possimus et diabolus, teste S. Chrysostomo b), praeprimis tempore orationis nos tentet, quo auctiores damno quam lucro ex precibus abeamus.

Alii dicunt: *Impossibile* est, quotidie tot psalmos aliasque lectiones et orationes recitare, praesertim si in cura animarum constituti sumus vel publici Professoris munere fungimur vel iter facimus; tunc enim modo longe utiliori, studio nempe, lectione et scriptione, habendis concionibus, catechesibus, excipiendis confessionibus, visitatione infirmorum tempus consumere possumus et debemus, in itinere autem breviarium recitando contra omnem decentiam ageremus, sodales offenderemus, suspi-

a) Lohner Tob. instruct. Biblioth. man. conc. III. p. 237.
b) In Psalm. 145.

cionem hypocrisis nobis conciliaremus. Breviarium illis relinquendum, qui otio torpent, in claustris degunt, vel jam senio confecti et ad alia negotia minus idonei sunt. — Pudeat talia proferre! Anne Ecclesia ignoravit officia, ad quae animarum curatores et magistri publici incumbunt? Quare diserte ecclesiasticos quosque in genere sine restrictione et beneficiatos in specie ad recitationem Breviarii obstrinxit? Ecclesia postulat ministros pietate non minus quam doctrina eximios. Pietas et doctrina se invicem non excludunt. Oportet legere et scribere et ad studia aliaque munia se applicare, oportet autem etiam orare. Si praevideamus fore, ut hoc illo tempore, e. g. post prandium, impediamur horas recitare, praeveniamus oportet, vespere matutinum et laudes, summo mane horas recitando. Impossibilitas autem vel physica vel moralis, occupatio gravis, honesta, necessaria, quae non potest differri in aliud tempus sine scandalo, peccato, notabili damno proprio vel alieno, pernicie animae, vitae, honoris alioquin eximit ab obligatione, horas (in quantum praevenire non poteramus) recitandi. Quos vero pudet, coram aliis (per horam) orare, hos etiam pudeat ministros Ecclesiae esse, proventus Ecclesiae consumere; imo si timent orando hominibus displicere, timeant eo magis loquacitate sua atque cachinnis Deum, summum bonum, offendere. Insuper cum omnibus notum sit, clericos ad recitationem Breviarii lege ecclesiastica obstrictos esse, nulla ex hoc officio implendo hypocrisis suspicio orietur, e neglecto autem scandalum proveniet. Qui dein de substituendis aliis orationibus et meditationibus loquuntur, non tam alios quam se ipsos fallunt; qui enim,

ad quod sub gravi peccato ab Ecclesia obligatur, non adimplet, quomodo id, quod propria voluntas, adeo mutabilis et inconstans, dictat, adimplebit? Caeterum neque nos existimamus, recitatione Breviarii omne orandi officium absolvi. Praeter horas canonicas sunt preces aliae matutinae et vespertinae, preces ad pulsum salutationis angelicae, ante et post mensam, ante et post officia quaecumque, praesertim spiritualia, populi institutionem, verbi divini praedicationem, sacramentorum administrationem, sacrificii Missae celebrationem, studia etc. meditatio quotidiana, preces sic dictae jaculatoriae, quas devotio fervidis sacerdotibus propria suadet imperatque. Nos oportet semper orare, mane et vespere; atque ab oratione numquam desistere; nos oportet ortum solis oratione praevenire, in noctibus benedicere Domino ejusque nominis memores esse, manus nostras in sancta extollere. Quamquam autem secundum verba S. Hieronymi *) Apostolus (I. Thess. 5, 16.) orare nos semper jubeat et sanctis etiam ipse sit somnus oratio, tamen divisas orandi horas debemus habere, ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium (orandi) tempus admoneat.

Fratres, si horas canonicas quotidie secundum praeceptum Ecclesiae digne, attente ac devote recitaverimus, si reliquas preces non remisse, sed fervide persolverimus, si mente continuo oraverimus: quot in dies virtutum actus eliciemus, quantum nobis Deum sanctosque omnes coelites conciliabimus! Quantum in ipsa tremenda mortis hora solatium nobis erit! Quanta desolatio mentis, quan-

*) Epist. 22. ad Eustoch. c. 16.

tus tremor, si secus fecerimus! Quid proderit eruditio, scriptio librorum, immensitas laborum, si haec omnia non Deo et saluti animarum per orationem et bonam intentionem, sed vanae gloriae nostrae consecrata fuerint! Defecerunt dein in vanitate dies nostri (Psalm. 77, 33.). Recepimus jam mercedem, aliam sperare non poterimus. Imo persaepe et hacce in vita labor sine oratione etiam sine benedictione erit. Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam (Psalm. 126, 1.). Laboremus itaque, fratres, et oremus et Deus totius consolationis (II. Cor. 1, 3.) et omnis spei erit nobiscum; quod viribus nostris deest, gratia sua supplere dignabitur; quaecumque aggrediemur, feliciter succedent, et sin minus, tamen gratiam et meritum nostrum augebunt.

b) Prudentia.

Si quis vestrum indiget sapientia, ait S. Jacob. (12, 6.), postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei. Salomon rex optavit, et datus est ei sensus; invocavit et venit in eum Spiritus sapientiae (Sap. 7, 7). Thomas noster oravit et divina largitate collata est ei eximia in gerendo munere pastorali prudentia; qua jam, antequam ad Archiepiscopi dignitatem pervenisset, eminebat, quamque in omni dicto factove suo manifestabat, sicut omnes, qui noxas suas exosi ad pedes ejus accedebant pro conscientiae suae remedio ac solatio vel in aliis negotiis et causis gravibus ad eum tamquam consiliorum fontem recurrebant, testati sunt, quamque prae caeteris personae genere illustres in eo aestimaverant ac laudaverant.

Suffecerit ad veritatem asserti comprobandam illorum meminisse, quae jam narravimus, paucis additis, ex quibus omnibus luce clarius apparebit, Thomam ad obtinendum supremum muneris pastoralis finem media nonnisi optima atque valde congrua elegisse.

a) Probe sciens, nihil esse secundum effatum Conc. Trid. a), quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vitam et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, solamque virtutem teste divo Bernardo b) matrem gloriae esse et auctoritatis: in omnibus *se ipsum* praebuit exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate (Tit. 2, 7.), suamque domum ac familiam ita composuit, ut illa neminem scandalizans quasi lucerna lucens coram hominibus luceret.

b) Cumque vires unius Episcopi, licet zelosissimi, non sufficerent pascendis verbo salutis tot centenis ac millenis ovibus: *omnes ministros* et coadjutores suos ecclesiasticos formam gregis (I. Pet. 5, 3.) esse voluit, ideoque nonnisi viros egregios, firma fide, constanti virtute, omnique doctrina conspicuos visitatores constituit, illosque sacerdotes, qui vocatione sua minus dignos sese reddiderant, mira mansuetudine simul ac severitate in viam mandatorum divinorum reduxit.

c) Boni pastoris exemplum imitaturus sine mora universam dioecesim *lustravit* ovesque suas ipsissimus accessit, ut earum indigentias et defectus propriis oculis videret atque leges dehinc ovibus vere salutares habita Synodo conderet, plenus clementia

a) Sess. 22. Dec. de reform. c. 1.
b) In serm.

et miseratione indulgentiam delictorum ultro offerens omnibus, dummodo velint saltem in posterum emendare vitam suam, subditorum culpas dissimulans, morum comitate et sermonis affabilitate ac dulcedine quam plurimorum animos sibi concilians, omnibus omnia factus (I. Cor. 9, 22.), ut omnes lucrifaceret.

d) *Muneri* suo, non sibi, vivens, ac numquam animi tantum recreandi causa domo sua egressus vel rus petens, omnes vires suas in id intendit, ut publicis et privatis instructionibus populum suum in viam salutis dirigeret, corrigeret scelestos, dissidentes conciliaret, tristos solaretur, omnibus benefaceret. Ideo cunctis ad eum aditus patebat, nec difficilis famulorum fastu vel importunitate reddebatur.

e) Caeterum numquam *praeceps* erat in loquendo vel agendo; numquam illico decernebat, semper dilationem tempusque rem perpendendi ac Domino commendandi exposcens; numquam temere ac leviter quibuslibet hominum verbis credebat, maxime cum proximum, imprimis clericum, delicti accusarent, a novitatibus sine necessitate introducendis, et mandatis, quin conscientia exposceret, edendis, praesertim, quibus censurae ecclesiasticae annecterentur, abstinebat; tribus verbis nihil umquam faciebat sine consilio vel praemissa oratione et meditatione, quid sibi in his et illis rerum adjunctis agendum dicendumve, sequelas actionum suarum, adversas quoque, praevidens ac ponderans; in iis autem, quae matura consideratione ad gloriam Dei et salutem animarum promovendam vel muneris sui auctoritatem tuendam sibi videbantur necessaria, exe-

quendis firmus ac constans, quin damno apparente pertinaciter propriis sensibus inhaereret.

Horum illustrandorum causa audi adhuc exemplum:

Primis, quibus fuit Valentiae, annis Thomas intelligens, plures isthic esse concubinarios et valde publicos quidem, operam dedit ad corrigendum id crimen, redarguens id vehementer in suis concionibus. Quidam, attamen pauci numero, sese emendarunt. Caeteris minatus est, pro concione dicens, sibi notos esse et, nisi ad frugem redierint, fore, ut se coactum sentiat edere adversus illos, nominatim exprimendos, decretum cum censuris et excommunicatione. Cum nihilominus plures in peccato perseverassent, prelo subdi jussit edictum, graves complectens censuras ac poenas in omnes concubinarios. Mox ut palam id fuit, exortus est tumultus ingens per universam civitatem; non paucae enim personae primariae fuerunt inter illos, qui obnoxii erant illi peccato. Venerunt quidam rogantes Praesulem, ne promulgaret edictum, quia, prout res ea tempestate constitutae erant, paucis utile esset futurum, multis vero perniciosum. Ipsorum culpa, non mea, inquiebat Archiepiscopus, equidem cum per conciones et exhortationes emendare se nolint, quod mei muneris est, facere oportet. Dent operam, ut peccatum istud cesset esse publicum atque aliquam emendationem deprehendam, cohibebo rigorem censurarum. — Et revera plures abstinuerunt ab isto crimine; alii vero, etsi illud animo non desererent, sustulerunt tamen malum, quod ante praebuerant, exemplum; ideo praetermisit s. Praesul edicti promulgationem. — Haud recte factum censuit quidam

theologus, imo Archiepiscopum ejusque ministros peccato mortifero obstrictos esse. Quod cum ex ore visitatoris Porta Thomas audiisset, subridens respondit: Oportet virum hunc esse bonum; at ex iis, quos aemulationem habentes compellat S. Paulus, sed non secundum scientiam, jussitque afferri decretum Gratiani, ac praelegi Canonem: Non potest — depromptum ex libris S. Augustini contra Parmenianum, ubi S. Doctor erudit antistites Ecclesiae, securius esse, dum peccatum aliquod late irrepsit ac sese extendit ad potiorem reipublicae partem, recurrere ad Deum per preces et lachrymas, atque invehi in illud ardenter a concionatoribus, quam contorquere in id censurarum aciem et excitare tumultus per anathemata. His lectis noli perturbari dicto istius theologi, ajebat ad Portam Archiepiscopus. Probe novisti, quantam adhibeamus diligentiam, quando illos (concubinarios) vocemus ad nos, admoneamus, ad Proregem et Gubernatorem seriem eorum, quos inemendabiles comperimus, referamus; legisti, quid doceat S. Augustinus. Novit ille perbene regendi methodum, neque tamen umquam ex dioecesi sua evellere valuit ebrietatem. Tam insignis exstitit antistes S. Chrysostomus et numquam Antiochiae jurisjurandi abusui ac vitio remedium afferre potuit, nec tamen idcirco excommunicationem in delinquentes contorquere lubuit, quia ut viri prudentes noluerunt, ad medendum uni plagae, praebere occasionem majori ac sese odiosos reddere per rem non profuturam.

Ita caute, provide, sapienter in omnibus se gesserat Thomas.

Quid mirum proin, si omnia ejus negotia feliciter cesserant, si tot ac tanti viri ecclesiastici et saeculares, parochi, senatores, aulici imo et Imperator ipse in negotiis majoris momenti ejus consilium petierant? In magnorum enim discriminum augustiis, scribit S. Petrus Raven. a), ubi domestica consilia remedium non invenerunt, (recte) eorum suffragia implorantur, quorum prudentiam in altioribus negotiis experientia diuturnior approbavit. Talis debet esse, ait S. Ambros. b), qui consilium dat, ut seipsum formam aliis ad exemplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in gravitate c). Qui enim consulas hominem, quem non arbitreris posse melius aliquid reperire, quam ipse intelligis?.... Quis in coeno fontem requirat? Quis de turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet?... Quomodo potero eum judicare consilio superiorem, quem video moribus inferiorem? Supra me debet esse, cui me committere paro. — Quis utilem judicet causae alienae, quem videt inutilem vitae suae? An eum idoneum putabo, qui mihi det consilium, quod non dedit sibi; et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat, cujus animum voluptates occupant, libido devincit, avaritia subjugat, cupiditas perturbat? Consultores adhibe, ait Leo Imperator ad filium suum d), expertos rerum, providos, perspicaccaes, aerumnarum ac prosperitatis tuae socios, ad cogitandum solertes, fideles, ... qui, quod cogitant, dicunt, qui simplici

a) In quadam ep. (V. Thom. Hybern. Flores Doct. p. 172.)
b) De offic. l. 3.
c) De offic. l. 2.
d) Drexel. in Phaet. c. 9. §. 6.

animo et incorrupto sunt, nullumque ex iis rebus lucrum quaerunt, sed in eo ipso tempore, quid maxime utile sit, explorant.

Quid mirum dein, si omnes S. Praesulem aestimabant, summo honore prosequebantur, ejus consilia magni faciebant, ejus votis libenter annuebant?

Studeamus igitur et nos, fratres, verae prudentiae pastorali, cum simplicitate evangelica conjunctae, quam fideles omni jure a nobis, tamquam magistris ac ducibus suis, expectant, quam Christus Dominus et Apostoli verbo ac exemplo docuerunt, quam muneris nostri gravitas stricte postulat! Ipsa enim fortitudinis mater est, ipsa Deo similes nos facit, apud homines fiduciam nobis parat, gloriam et honorem conciliat; cum defectus prudentiae et imprudentia ipsa maxima adferat statui ac muneri pastorali detrimenta, multas spirituales dissipet opes, ut ait S. Laur. Justin. *), auctoritatem pastorum imminuat, fiduciam populi infringat, calumniis et risui impiorum statum ac munus pastorale exponat, irrita prudentiorum quoque reddat conamina. — Studeamus, exemplum divi Thomae imitaturi, prudentiae et caveamus ideo nobis ab omni praecipitantia et inconstantia in agendo, quin ideo propriis sensibus pertinaciter inhaereamus; meditemur diu, antequam statuamus quidquam semel; consideremus diligenter finem et media, praesentia, praeterita et futura; videamus, quid ferant humeri, quid ferre recusent, num possimus cum decem millibus occurrere illi, qui venit ad nos cum viginti millibus (Luc. 14, 31.), et eligamus, ubi propriae vires deficiunt, idoneos

*) L. de compunct. et compl. chr. perf.

adjutores; indagemus naturam ac ingenium hominum, quibuscum agendum est, intellectus eorum culturam, voluntatis bonitatem aut malitiam, temperamenti vim, aetatis ac sexus statusve diversitatem; consulamus adjuncta temporum ac locorum, praevideamus sequelas conaminum ac laborum nostrorum, et adversus casus sinistros mature et diligenter nos communiamus, vel tempore opportuno a coeptis desistamus vel imperterriti et inconcussi contra impetus paupertatis, ignaviae, dolorum, hilares et placidi eamus; praeferamus certa incertis, secura periculosis; non simus faciles in credendis et narrandis, quae audimus, maxime illis, quae sunt contra proximum; habeamus velum super oculos, ut multa non videamus vel visa dissimulemus a); multa nesciamus, plurima dissimulemus, nonnulla obliviscamur b), nec aperta vi, sed leniter in animos aliorum nos insinuemus, mansuetudine disciplinam ac rigorem temperantes, honore invicem praevenientes (Rom. 12, 10.), ab omni partium vel proprii commodi studio alieni, vigiles semper, ne occasio opportuna, quin bonum operemur, aufugiat; comes erga alios omnes ac indulgentes, erga nosmet ipsos severi, ne cui demus offensionem ullam (II. Cor. 6, 3.) vel quidquam alicui debeamus, nisi ut invicem diligamus (Rom. 13, 8.).

Atque hunc in finem postulemus ante omnia secundum exemplum divi Thomae sapientiam a Deo fervida ac frequenti oratione; examinemus quotidie cogitata, dicta, factaque nostra, contemplemur ea, ut minutissimos quoque defectus deprehendamus ac

a) S. Greg. Naz.
b) S. Bernard. de consider. l. 4. c. 6. n. 20.

emendemus; recordemur praeteritorum, multarum enim rerum magister tempus est; pervolvamus annales Patrum, legamus historias, vitae delineationes antecessorum nostrorum, attendamus ad praxim aliorum pastorum, conferamus quandoque cum sapientibus, consulamus illos; interrogemus amicos nostros, rogemus illos, ut libere nos admoneant, si peccatum a nobis fuerit in munere, vel si minus prudenter aliquid tentemus; custodiamus praesentiam spiritus, libertatem ab omni inordinato affectu et passione et quacumque perturbatione animi, in id unice intenti, ut Deum in Christo glorificemus et salutem animarum promoveamus.

Quodsi autem collata tibi fuerit divina largitate prudentia, noli fraudare fratrem tuum consilio. Quid enim prodest tibi habere sapientiam, ait S. Ambros. a), si consilium neges? Si consulendi copiam includas, clausisti fontem, ut nec aliis influat, nec tibi prosit. Pecunia facile consumitur, consilia exhauriri nesciunt; haec usu augentur, pecunia minuitur et cito deficit, ut quo pluribus largiri volueris, eo pauciores adjuves et saepe tibi desit, quod alii conferendum putaveris. Consilii collatio, quo in plures diffunditur, eo redundantior manat et in suum fontem recurrit. — Magnam mehercle, ait S. Basil. b), hominibus affert utilitatem consilum, eo quod nemo sufficiat sibi ad electionem rerum honestarum utiliumve, sed pluribus sane sociis iisque solertibus opus habet. — A consilio prudentis dependet saepius salus publica et privata, temporalis et aeterna; multa per illud mala praecaveri possunt vel saltem

a) De offic. l. 3.
b) Orat. 12.

ex integro aut aliquatenus reparari, bona cujusvis generis promoveri. Salus, ubi multa consilia (Proverb. 11, 14.).

Esto igitur promptus ac facilis semperque paratus ad danda bona petentibus consilia, e corde puro, ab omni cupiditate vel metu libero charitatisve pleno manantia, sufficientibusque rationum momentis obfirmata, si res, de qua quaeritur, scientiam tuam non excedat, neque ita comparata sit, ut consilio tuo tibi vel alteri magis noceas, quam prosis. Itaque et in hoc negotio cautum circumspectumque te esse oportet et ab omni praecipitantia abstinere; festinatio enim teste Livio a) improvida et coeca est, consilia mora valescunt teste Tacito b); accurate potius rerum adjuncta indagare, omnia penetrare, diligenter perpendere, quid ex hac re suscepta vel neglecta sequi possit, et media eligere, quae ad finem ducunt magisque parabila sunt; dehinc secreti tenacem esse. — Hoc si feceris, magnam quoque aestimationem et venerationem consequeris.

o) Humilitas.

Licet autem Thomas tam insigni condecoratus fuerit dignitate, tamque eximia praeditus prudentia ac virtute, ut omnibus venerationi esset, effusaque in vias populi multitudo, quoties prodibat in publicum (quod raro admodum nec nisi negotiorum causa contigit), transeuntem avidis oculis inspectura concurreret, ipsaque Caesarea Majestas summum ei honorem exhiberet; nihilominus Thomas semper *humilis* permansit, tantaque dignitate indignum se reputavit. Vario modo prodebat se ejus humilitas.

a) Lib. 31.
b) Lib. 1.

Sollicite evitabat omne id, quod *fastum* aut magnificentiam spirat. Quantum ex pura humilitate, non avaritia, vestium atque domesticae supellectilis simplicitati studuerit, jam diximus. — Cum prima vice tamquam Episcopus in templo civitatis principe pro concione dicturus suggestum se inscio speciali modo ornatum invenisset: praecepit, ne in posterum, cum ipse sermonem haberet, major ornatus, quam pro aliis concionatoribus apponi consuevit, suggestui apponeretur, atque ad preces Vicarii generalis id unicum indulsit, ut ad oram pulpiti fasciola quaedam serica applicaretur. In sacello suo domestico omnem quidem apparatum et supellectilem habebat propriam, mundam, sed pauperem, absque ullo splendore et ornatu; ast dum in sacello ecclesiae cathedralis, S. Ludovico consecrato, bis singulis hebdomadis ritu ordinario vel in festis aliquot solemnioribus in ecclesia ipsa ritu pontificali missam celebrabat, supellectili utebatur ecclesiae propria. Simili modo dum visitando dioecesim obibat, nullum habebat ornatum vel apparatum proprium, sed eum accipiebat, quem offerebant ei in ecclesia, quam visitabat, minime respiciens, utrumnis vetus esset an novus, pretiosus an pauper, idque non ex avaritia vel incuria eorum, quae officium exigebat, sed ex ingenti amore humilitatis.

Eamdem testabatur *comitas* ejus et affabilitas erga omnes, etsi pauperes ac despectos. Quilibet ad eum facili modo accedere poterat. Ad ejus enim cubicula nec vestibula nec aulae plures erant transeundae. Unico duntaxat utebatur janitore, a quo, si in solitudine esset, vel studiis vacaret, mox adveniente quopiam moneretur. Horis autem rebus agen-

dis praestitutis aulam amplam magisque obviam et frequentatam, in qua erat sacellum palatii archiepiscopalis, obambulabat, apertis omnium graduum, in eam incidentium januis, ut cuilibet facilis pateret aditus et paratus inveniretur ab iis, qui ipso indigebant. Summa cum humanitate atque ingenti amore excipiebat ecclesiasticos. Eadem autem suavitate et comitate, qua suscipiebat nobilem, locupletem ac potentem, admittebat et pauperem et male vestitum. Cum quolibet versabatur secundum illius conditionem eoque utebatur loquendi modo, quem prudentia praescribit atque exigit ratio, servans tamen apud omnes eam aequalitatem, quam poscit charitas christiana. Accedebant nonnumquam pauperes, vetuli, coeci et hujus generis homines ad exponendas molestias suas et calamitates; ipse vero inde non modo non afficiebatur molestia vel taedio, sed multa cum voluptate ac benignitate recipiebat illos, atque ut intentiori animo eos audiret excitaretque ad detegendas suas molestias: in humili sede sese collocabat, ipsosque (quamvis id minime cuperent) jubebat ad latus suum occupare aliam, et si non apte collocati essent, tollebat et attrahebat ipse suis manibus, tantoque amore ac candore cum ipsis agebat, ut aliquoties horam integram, imo duas, audiendo et consolando insumeret. Accidit similiter quandoque vespere, dum aliquem, quocum negotia pertractaverat, dimittebat, nec praesto erat famulus, qui abeunti lucem praeferret, ut ipse candelam assumpserit atque praeiverit, donec accureret famulus, qui manibus eriperet.

Dum construebatur collegium, quod fundavit juxta scholas universitatis in civitate Valentina, sae-

pius illuc se conferebat inspecturus opus, et summa cum benignitate agebat non solum cum magistris et viris aetate provectis, sed et cum famulis ac pueris, operi inservientibus, tironibus opificum, non secus ac si cum propriis filiis versaretur. Idem opus conspecturi introibant multi studiorum alumni. Hos vocabat ad se et paterna charitate ac benignitate interrogabat, unde locorum essent, quibus studiis et quibus magistris operam darent? exhortabatur dein ad virtutem et timorem Dei, in specie, ut parentibus obedientiam, magistris observantiam et reverentiam exhiberent, si degebant in externis domibus, honestatem servarent, a consortio juvenum improborum et a nocturnis excursionibus sibi caverent, praelectiones non negligerent, tempus male non tererent. Dimittens eos bene eis precabatur et oris ac sermonis urbana comitate eos prosequebatur monens, ne dictorum essent immemores. Egenos invitabat, ut ad aedes suas accederent, vestes, libros et res quaslibet necessarias ipsis subministraturus, promittebatque favorem suum omnibus, qui in studiis, virtute et pietate futuri essent praestantes.

Accidit non raro, ut homines in honore constituti consanguineos suos, quorum depressa vel abjecta est conditio, erubescant. Hoc est signum superbiae, quod in vita divi Thomae frustra quaesieris. Licet parentes ejus et majores fuerint nobiles atque inter populares suos divites, nihilominus erant inter cognatos ejus et propinquos etiam aliqui agricolae et pauperes. Dignitas tamen archiepiscopalis non effecit, ut eos vel non agnosceret vel molesto animo exciperet; ipse potius illorum conspectu laetabatur, Valentiam adventantes magno amore re-

cipiebat, atque eadem simplicitate cum ipsis versabatur, qua versatus fuisset, si in prima conditione ipsis cohabitasset Villanovae, consanguineos suos esse declarabat omnibus idque honori et gloriae sibi ducebat. — Cum aliquando rem magni momenti cum duobus episcopis in cubiculo suo pertractaret, advenit avunculus ejus, eo modo, quo incedunt in vicis Castellani agricolae, indutus. Gavisus est ejus aspectu, statimque salutavit dicens: Bene adveneris domine avuncule, sedem occupa, et petita ab episcopis licentia coepit interrogare de adventu, patria, matre sua et cognatis tanta voluptate et oblectatione, ut omnibus admirationi esset. Post aliquod temporis intervallum vocavit oeconomum, qui hospitem susciperet ac bene tractaret, dicens avunculo: Eas modo, quietem sumas, etenim defessus es; ubi cum dominis istis rem, quam tractamus, confecero, revisam te mox, et reversus ad episcopos laetus admodum de adventu boni hominis dixit: Est avunculus noster proximus a parte matris consanguineus.

Profundam autem s. viri humilitatem praecipue hoc declarat, quod, cum aliquoties ob ea, quae a personis fide dignis ad se delata fuere, sacerdotes aliquos severius reprehendisset, et hi dein sufficienter sese expurgassent, vel si saltem ipse postea, se in errorem inductum fuisse, intellexisset, non dubitaverit veniam deprecari atque ipsis abunde satisfacere. Sic theologum ecclesiae majoris sinistre ad eum detulerunt homines malevoli, a quibus judicabat sibi non imponendum. Occasionem opportunam nactus deduxit illum seorsum in oratorium suum, exposuit, quae sibi dicta fuere, eum graviter corri-

piens. Theologus obtenta respondendi facultate tam justam expurgationem adtulit, ut s. Praesul clare intelligeret, probe illum vivere, ac rem totam ex malitia ortam esse. Itaque arripuit manus ejus magno cum amore et gaudio ac, quasi eas deosculari volens, dixit: Dominus te consoletur, sicut per ea, quae protulisti me consolatus es! Rem ita, ut dicis, se habere, intelligo, errasse alios et me ab illis injuste fuisse monitum. Per amorem Dei mihi veniam concedito, nam sancte assevero, monitum me fuisse ab hujusmodi hominibus, ut ipse judicares, si modo nominare fas esset, legitimam mihi fuisse rationem, ut fidem haberem, teque corriperem. Audiamus aliud exemplum: Fuit concionator, qui productis licentiae litteris promulgabat in locis quibusdam indulgentias, quarum nulla erat auctoritas, fundamentum nullum. Quo intellecto s. Praesul maximo dolore correptus advocari jussit parochos locorum, in quibus homo improbus promulgaverat fictas illas indulgentias eosque acerbitate quadam ac doloris sensu reprehendit, quod illud permisissent. Parochus, qui inter caeteros praecipuus erat et quasi generalis eorum vicarius ruralis, retinuerat sibi litteras facultatis a falso isto concionatore exhibitas, et dixit: Illustrissime Domine, si mihi feceris loquendi potestatem, videbis, quam parochi hi omnes et ego remoti simus ab offensa, seu Domino Deo seu Vestrae Dominationi illata in eo, quod factum est. Etenim concionator ille adveniens mihi tamquam vicario rurali in isto tractu facultatis litteras exhibuit, chirographo Dominationis Vestrae munitas, ob easque illi licentiam concessi, concionandi in locis omnibus, quibus praesum Dominationis Vestrae vicarius.

Inspexit eas S. Praesul et attonitus dixit: Equidem certo non dedi hujusmodi facultatem; fateor tamen, fore neminem, qui characterem meum norit et chirographum hoc viderit, quin meum esse judicet; nam ipse ego, nisi evidenter ac certo constaret, sicut constat de fraude, meum esse censerem. Per amorem Dei, fratres! ignoscite molestiam ac sollicitudinem, quam, dum huc venire jussi, creavi vobis. Neque enim vos peccastis concedendo veniam concionandi post exhibitas vobis facultatis litteras, munitas chirographo ad characteres manus meae ita conformato, neque ego convocando vos, donec edoctus essem casus tanti momenti veritatem. Moxque aerarii sui custodi praecepit, ut ipsis compensaret sumptus omnes itineris, commorationis in urbe ac reditus.

Denique vir tot ac tantis pro gloria Dei et salute animarum meritis cumulatus dignitate sua semper indignum se existimavit. Magistro Porta pectus suum aperiens saepius asseruit, se, ex quo Archiepiscopus esset, numquam laetitiam fuisse expertum, nec umquam tantopere timuisse saluti animae suae, quam ex quo fuisset ad munus episcopale evectus, ita quidem, ut quotiescumque Archiepiscopi nomine compellari se audiret, anima sibi comprimeretur et cor discruciaretur. Res eo pervenit, ut non tantum desideraverit, sed quanto potuit conatu laboraverit ad expediendum se episcopatu et redeundum ad cellum suam. Plures litteras ad Imperatorem destinavit, ut ea sibi daretur facultas; Caesar vero speciosis responsis ipsum detinuit.

Perpendite nunc ipsi, fratres, quam alienus fuerit S. Thomas ab exemplo illorum, qui (sicut ait

Philippus Abbas, contemporaneus S. Bernardi a), quum ad dignitatem pervenerint, deponunt humilitatem, quam antea tenere videbantur; tamquam dignitas et humilitas non bene conveniant nec in una sede morentur. Verum nec humilitas dignitati, nec dignitas praejudicat humilitati, cum praecipue dignitas indigeat humilitate, nec nisi humilitas digna sit dignitate. Christus Dominus, auctor et dator omnium virtutum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi (Col. 2, 3.), imo in quo omnis plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter (Col. 2, 9.), humiliavit semet ipsum factus obediens (Philip. 2, 8.), atque, sicut observat S. Bernardus b), de humilitate tamquam de summa suae doctrinae suarumque virtutum gloriatus est dicens: Discite a me, non quod sobrius aut castus aut prudens aut aliquid ejusmodi, sed quia mitis sum et humilis corde (Matth. 11, 29). Hoc exemplum Salvatoris imitatus est Thomas in episcopali dignitate constitutus, bene sciens, morum mansuetudinem et humilitatem cordis teste divo Basilio c) praecipua antistitis insignia, imo secundum B. Laur. Just. d) sacerdotum atque pontificum gemmam esse. Sequamur igitur et nos exemplum Salvatoris, studeamus et nos tamquam ministri Christi humilitati; nihil enim est, teste Petro Blesensi e), quod divinae Majestati familiarius, atque confidentius assistat et gratius, quam vera humilitas; humilibus Deus dat gra-

a) De dignit. Cleric. c. 17.
b) Ep. 42. ad Henr. Senon. c. 5.
c) Reg. 43. fus. tract.
d) De inst. et reg. Praelat. c. 21.
e) Ep. 134. ad Wilh. Abb.

tiam (Jac. 4, 6.); ubi humilitas, ibi charitas (S. August. a); virtus in humilitate perficitur (S. Bernardus b); humilitate cordis universa inimici nostri tela confringuntur; ipsa obedientiam parit et salutem animarum; in ipsa omnis posita animi laetitia, omnis gloria, omnis quies. Ne simus itaque sapientes nobis ipsis (Rom. 11, 25.), ne innitamur prudentiae nostrae, ne quaeramus dignitates, et in dignitate positi fastum vel magnificentiam; nec delectemur laudibus humanis, amemus nesciri et pro nihilo reputari. Simus benigni, comes et mansueti erga omnes, etiam inferiores, homines plebejos, nec erubescamus consanguineos nostros, quorum humilis et pauper est conditio; nec detrectemus agnoscere errores atque inconsiderantias nostras, atque indignos nos semper honore nostro ac insufficientes oneri reputemus, spe freti, fore, ut servientes Christo in humilitate hisce in terris, cum ipso regnemus aliquando in coelis.

d) Castitas et effusa in pauperes omnis generis liberalitas.

Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris! Ad haec verba Salvatoris, quae discipulos suos alloquendo protulit (Luc. 12, 15.) scribit S. Gregorius Papa c): Duo sunt, quae jubentur, et lumbos restringere et lucernas tenere, ut et munditia sit castitatis in corpore et lumen veritatis in operatione. Redemptori etiam nostro unum sine altero placere nequaquam potest, si aut is, qui bona agit, adhuc luxuriae inquinamenta non deserit, aut

a) Ep. Joan. tom. 9.
b) Ep. 42. c. 5.
c) Hom. 13.

is, qui castitate eminet, necdum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquod sine castitate. — Id quod divus Thomas ab infantia sua prae oculis habuit, castus semper simulque liberalis in pauperes.

I.

Quantum *castitatem* coluerit, patet:

a) Jam ex eo, quod, cum juvenis adhuc et collegii primarii alumnus Compluti literis operam daret, coalumni ejus timuerint coram ipso proferre verbum ullum non plane honestum et ab omni levitate alienum. b) Idipsum colligi quoque potest ex tot donis, a Spiritu Sancto ipsi concessis, uti scientiae et doctrinae, consilii ac prudentiae, ardentissimi gloriae Dei et salutis animarum zeli, pietatis, humilitatis, mansuetudinis etc.; novimus autem, sapientiam non habitare in corpore subdito peccatis (Sap. 1, 4.) c) Nota insuper est diligentia, qua usus est Thomas in adhibendis mediis ad servandum pretiosum hunc castitatis thesaurum idoneis; praeter continuam enim humilem ac devotam orationem, jugem corporis castigationem, in sumendo cibo potuque sobrietatem, somni parsimoniam diligentissimus fuerat in fugiendis occasionibus, quibus homo periculo exponitur, incidendi in laqueos vitii oppositi. Raro admodum et impellente nonnisi charitate ad subveniendum alicui necessitati et cum socio aedes mulierum subibat; Archiepiscopus factus peracto Missae sacrificio feminas pauperes in aula stantes, quin vultum earum intueretur, eleemosyna donabat, festis solemnioribus nutrices, quae infantes expositítios educabant, admittebat, ut quo pacto infantes nutrirent et educarent, perspiceret; feriis quarta et

sexta atque, si festum aliquod concurreret, pridie vel postridie in ecclesia cathedrali — peracto in sacello S. Ludovici sacro — parvum sedile juxta aram principem collocatum occupans, omnibus mulieribus aures praebebat, quae tecto capite et vultu ad pedes ejus accedebant, molestias suas et necessitates spirituales et temporales expositurae, numquam tamen permisit, ut ipsum matrona ulla invisendi causa accederet.

Jam cum ab annis ejus conspectu gavisa non fuisset mater, voluit eum invisere Valentiae. Nec Thomas adventus matris suae notitiam accepit, donec ipsa Lyriam pervenisset, qui locus quarto Valentia milliario distabat. Quo audito mox famulum suum domesticum misit, ut matrem in vicum ad episcopatum pertinentem, nomine Villar, deduceret eique nuntiaret, fore ut isthic invicem viderent. Ibi Thomas, ut probus filius, matrem suam liberaliter excepit multoque solatio affecit per mensem, quo elapso in patriam debito cum comitatu ac honore reduci jussit. Commorans in vico dicto significavit Thomae mater, gratum sibi fore, lustrare Valentiam, cum intellexisset, civitatem esse pulchram et amoenam. Dissuasit hoc Thomas dicens: Si Valentiam concedas, certe in aedibus meis diversandum Tibi erit, qua occasione matronae Valentinae desiderabunt te invisere, ambulatum deducere, ad hortorum suorum conspectum comitari; ego autem nolo mulierum, quamvis ex causa tam legitima, in aedes meas accessus.

Haec agendi ratio dura fors tibi videbitur; nihilominus tamen probat, quod probandum erat; probat, S. Antistitem quoad legem castitatis strictissi-

is, qui castitate eminet, necdum se p[illegible] m legis
exercet. Nec castitas ergo magna est [illegible] speciem
nec opus bonum est aliquod sine c[illegible] are posset,
divus Thomas ab infantia sua [illegible] insigni evi-
castus semper simulque liber [illegible] i, qui num-
I. [illegible] num suam ma-
Quantum *castitatem* [illegible], addita ratione,
a) Jam ex eo, quod [illegible] i addictae essent,
primarii alumnus C[illegible] ri posset, tales tamen
coalumni ejus tim[illegible], quae colloquendi et visi-
ullum non plane [illegible] accederent. —
num. b) Idips[illegible] cem depraedicare debemus, qui in-
a Spiritu S[illegible] *hoc* sanctimoniae munimen (S. Cyprian. a),
doctrinae [illegible] *angelicae* vitae rationem (S. Ephraem b), clari-
riae De[illegible] *fastigium*, ubertatem gloriarum (S. Cyprian. c),
litati[illegible] *proprium* hoc ac praecipuum clericorum ornamen-
tia[illegible] *tum* absque macula in vase suo fragili servare stu-
[illegible] *duit* sancteve custodivit! Quam beatum, qui per-
verso aevi genio, inaudita morum licentia, publi-
cis eorum clamoribus, qui coelibatum clericorum
abrogatum vellent, abripi se non est passus, ut,
postquam vitam angelorum elegisset et in eorum cho-
ris, ut ait S. August. d), connumeratus esset, ad
vitam carnis descenderet! Omnis enim ponderatio,
ait s. script. (Eccl. 26, 20.), non est digna continentis
animae. Quacumque virtute polleas, ait S. Hieron. e),
quibuscumque opibus niteas: si cingulo castitatis
careas, omnia per terram trahes. Castitas est, quae,

---

a) De singular. cleric.
b) De castitate.
c) De singul. cleric.
d) Vid. Kappenstein Fr. Annus s. pag. 121.
e) Epist.

Bernardus a), mundum de immundo con- mine, de hoste domesticum, angelum de- mine facit.... Sola est castitas, quae in tis et loco et tempore statum quem- gloriae repraesentat,... quae hominem uae instar odoriferi balsami, quo corrupta servantur, sensus ipsa contingit, ne dissolvantur otiis, tur desideriis, ne carnis voluptatibus scant c). Ipsa est securitas mentis et sanitas poris (S. Bernard.), pax domus (quam anima inhabitat), concordiae caput, honor corporum, ornamentum morum, vinculum pudoris (S. Cyprian. d), pulchritudo inviolata Sanctorum (Bernard.). O castitas, exclamat S. Ephraem Syrus e), quae Deum placas, ejusque promissa perfers et apud quoscumque homines gratiam invenis; o castitas, quae in mansuetorum et humilium animis habitas, hominesque divinos efficis; o castitas, quae carnem castigas et in servitutem redigis, ac coelestia celeriter percurris; o castitas, quae rosae instar in medio animae et corporis flores universamque domum odoris fragrantia reples; o castitas, quae cor possidentis laetificas, passiones minuis, spirituale gaudium paris; o castitas, pulchra possessio, quae a feris non vastatur, et ab igne non comburitur! Hanc sancti amarunt; hanc S. Joannes Evangelista amplexus est, amplectendoque super pectus Domini gloriae recum-

a) Epist. 42. c. 3.
b) S. Bernard. de modo bene vivendi c. 22.
c) S. Bernard. ep. 42. c. 3.
d) Vid. Kappenstein Franc. Annus s. pag. 119.
e) Paraenes. 36. tom. 3.

bere meruit! Tu es, exclamat S. Athanasius a), gaudium prophetarum, gloria apostolorum, vita angelorum et corona sanctorum. Beatus, qui te obtinet et constanter retinet! Modicum pro te laborabit et plurimum in te ipse gaudebit. Vere gaudebit, non tantum his in terris, sed etiam aliquando in coelis. Qui enim compressis motibus carnis affectum in se pravi operis rescindunt, hi sunt, qui, ut ait S. Gregor. Magn. b) in domo Patris aeterna mansione etiam filiis praeferuntur; hi sunt qui canticum cantant, quod nemo potest dicere, qui agnum sequuntur, quocumque ierit (Apoc. 14, 3. 4.). In quos saltus et prata? interrogat S. Augustinus c). Ubi gaudia a caeterorum omnium gaudiorum sorte distincta, gaudia de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. —

Talia igitur considerantes, fratres dilectissimi, secundum monitum Apostoli (I. Tim. 5, 23.) *castos* nos custodiamus, utpote qui ministri Dei, vasa Domini, sacrarium Spiritus Sancti, castitatis praedicatores, forma gregis constituti sumus. Tales enim decet Dominum habere ministros, ait S. August. d), qui nulla contagione carnis corrumpantur, sed potius continentia castitatis splendeant. Mundamini, inquit propheta e), qui fertis vasa Domini! Omnia enim munda vult auctor pietatis, ait quidam Sanctus. Mundam et purissimam matrem elegit; virginem discipulum prae caeteris dilexit; munda et nova sin-

a) Lib. de virgin.
b) Lib. reg. past. p. 3. c. 28.
c) Lib. de virgin. c. 27.
d) Serm. 249. de temp.
e) Isai. 52. 11. Vid. Forma Cleri. tom. 1. pag. 258.

done involvi voluit; mundo in tumulo, in quo nondum quisquam positus fuerat, tumulatus. Ab his, qui sunt mundo corpore, possidetur; numquid ergo ab immundis manibus tractari se libenter patietur? — Qua igitur puritate oportebit custodire nostri corporis atque animae castitatem, quos necesse est, quotidie sacrosanctis agni carnibus vesci? Haec est illa virtus, sine qua vasa Domini ferre non possumus, ait S. Augustinus a). — Christus magister est castitatis, et ideo, qui castitatem non habet, Christum portare non potest. — Etsi universis fidelibus, ait Conc. Turonense I. an. 461. b) secundum apostolicam doctrinam castitas custodienda indicitur, ut, qui habent uxores, ita sint, quasi non habentes: quanto magis sacerdotes Dei ac levitae, divino mancipati altario, (eam) custodire debent, ut non solum cordis, verum etiam corporis puritatem servantes, pro plebe supplicaturi, preces suas ad divinum introire mereantur auditum; quia secundum auctoritatem Apostoli, qui in carne sunt, Deo placere non possunt. — Sicut mansuetudine, patientia, sobrietate aliisque virtutibus eminere debet inter cunctos laicos sacerdos: ita et castitate ac pudicitia, ut et hoc respectu vita ejus sit aliorum eruditio et assidua salutis praedicatio.

Non quidem ii sumus, fratres, qui contra divi Augustini c) auctoritatem negemus, inter omnia christianorum certamina duriora esse proelia castitatis, cum ibi continua sit pugna et rarior victoria; imo libenter coucedimus, majus esse miraculum, de carne

a) Serm. 37. ad fratres in eremo.
b) Can. 1.
c) In serm.

propria fomitem eradicare luxuriae, quam expellere immundos spiritus de corporibus alienis; quid autem exinde sequitur, quam: summa in adhibendis *mediis*, quibus tam pretiosus thesaurus servari possit, opus esse diligentia?

Nimis longum quidem foret, omnia media, quae ad praedictum finem obtinendum conferre possunt, hicce allegare; ea tamen silentio praeterire non licet, quae exemplo vitaque divi Thomae probata sunt.

Ad haec pertinent:

1. Indefessa *vigilantia*, custodia sensuum, fuga occasionum peccati, noxiae praecipue societatis. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (Matth. 26, 41.). Nemo, etsi sanctus, juvenis vel senex, securus est. Diabolus enim diu noctuque tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret (Pet. 5, 8.), suggerens varias phantasiae mentique nostrae improbas imagines et cogitationes, quarum Ephraem Syrus meminit a), veluti: molestiam stimuli carnalis non esse sufferendam; perficiendo semel desiderium carnis, tentationem ejus cessaturam; rem ipsam nullius momenti esse; poenitentiam facilem etc. — Magna quoque sensuum est vis et imprimis oculorum ad cor et mentem vulnerandam; multiplex, gravis ac vehemens est animae et proditor et latro oculus vagus et curiosus. Quisquis per has corporis fenestras, ait S. Greg. M. b), incaute et curiose vanitatis simulacra respicit: plerumque in delectionem peccati etiam nolens cadit atque obligatus desideriis incipit velle, quod noluit. — Semper igitur vigilare oportet et sensus, praeprimis

a) Paraenes. 35. tom. 2.
b) L. 21. moral. c. 2.

oculos, custodire, ne formas hauriant aut species illecebrosas, quae pravas in corde cupiditates excitant et cogitationes inhonestas, et longe fieri ab iis, quorum praesentia allicit ad malum. Quid tibi necesse est, scribit S. Hieron. a), in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie aut perire aut vincere? Quis umquam mortalium juxta viperam securos somnos capit? quae etsi non percutiat, certe sollicitat. Securius est perire non posse, quam juxta periculum non periisse. Et in alio loco b): Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant.... Ne sub eodem tecto mansites; nec in praeterita castitate confidas! Nec sanctior Davide, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod mulier paradisi colonum de possessione sua ejecit. Quodsi dixeris, ait S. Ephraem c), conversor quidem, sed detrimentum inde non patior: et hoc male affecti animi indicium est. Quo enim pacto fieri potest, ut quis in prunis deambulet et plantas pedum non comburat?—Num lapis es, interrogat S. Chrysostomus, num ferrum? Homo es, communi naturae imbecillitati obnoxius; ignem capis et non ureris? Qui fieri id potest? — Lucernam in foeno pone ac tu aude negare, quod foenum uratur. Quod foenum est, hoc natura nostra est.—Impossibilis liberatio est, ait S. Cyprian. d), flammis circumdari et non ardere. — Experto crede, ait S. August. e), coram Deo non mentior, cedros

a) Ep. 47.
b) Ep. 2. ad Nepot.
c) Tom. 3. graec. p. 67—70.
d) De singul. cleric. pag. 517.
e) Apud S. Bonav. Reg. Nov. c. 11.

Libani, duces gregum concidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam Hieronymi et Ambrosii; praecipitavit eos superbia vel libido, vel utraque. —

2. Aliud medium valde efficax servandi castitatem, quo utebatur divus Thomas, est *castigatio* corporis, quae continuo, indefesso labore, parcitate somni, cibi potusque, multis jejuniis, voluntariis quoque flagellationibus se prodebat. Otium enim, intemperantia, mollities maximi sunt castitatis inimici.

Mens humana otiosa esse nequit; hinc si honesto labore non occupetur, vel ad vana, inhonesta, carnalia vel ad detractiones aliaque scelera cogitanda deflectit. Otio veluti janua utitur daemon teste divo Bernardo a), ut illicitas cogitationum illecebras in purissimas mentes instillet; honesta autem occupatio claudit ostium cordis, ut introire malis suggestionibus malignus spiritus non possit. Faciamus igitur semper aliquid operis, ut nos diabolus, uti monet S. Hieronym. b), semper inveniat occupatos; amemus scientiam scripturarum et carnis vitia non amabimus; legamus, studeamus, et cum ob limitationem potentiarum animae non liceat homini gravioribus studiis semper intentum esse: profecto expedit, ut spirituali exercitio succedat corporale ac vicissim, ut hac ratione diabolus numquam tentandi locum inveniat. Neque carnem delicatius aut abundantius nutriamus, vel nimio somno, luxu, ornatu vestium emolliamus; castigemus potius corpus et in servitutem redigamus, prout laboribus multis, ita et vigiliis, jejuniis, fame sitique aliisque acerbitatibus,

a) Vid. Fr. Kappenstein Annus s. p. 336.
b) Ep. 4. ad Rustic.

ut non concupiscat caro adversus spiritum. Venter enim, mero aestuans, ut ait S. Hieron. a), despumat in libidinem. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. Numquam ergo ebrium castum putabo. Impuritatis et intemperantiae daemones, ait Joan. Chappuis b), fratres videntur esse gemini, qui indissolubili foedere in hominis juravere perditionem. Corpore molli reddito et delicato, ait S. Chrysost., necesse est, animam participare ex corporis morbo; carnis autem afflictio est, ut ait S. August., per quam lascivae mentis seminaria castigatione discreta comprimuntur. Jejunium carnem spiritui subjicit, concupiscentiae nebulas dispergit, libidinum ardores exstinguit, castitatis vero lumen accendit c). Jejunium, teste Ambrosio d), fundamentum est castitatis.

3. Quoniam autem aliter non possumus esse continentes, nisi Deus dederit, ante omnia de divinis castris auxilium petendum est e). Adeamus itaque saepius, praesertim instante hoc tempore f) quadragesimali Dominum, gratiam castitatis postulantes et dicentes g): O rex virginum, amator castitatis et integritatis! Coelesti rore benedictionis tuae extingue in corpore nostro fomitem ardentis libidinis, ut maneat in nobis tenor castitatis. Mortifica in membris nostris carnis stimulos, omnesque libidinosas

a) Vid. Beuvelet Math. Meditat. tom. 3. p. 320.
b) Panis quotid. animae.
c) S. Aug. in serm. de jejun.
d) De esca et jejunio.
e) S. Cypr. l. de bono pudic.
f) Quadragesimali, quia die cinerum sermo habitus est.
g) Vide praep. ad Missam fer. 2.

commotiones et da nobis veram et perpetuam castitatem! Hoc clypeo orationis usus est S. Paulus, ter Dominum rogans, ut discederet stimulus carnis ab eo (II. Cor. 12, 7. sq.); hoc clypeo usus est S. Hieronymus *), qui de se ipso sic scribit: O quoties ipse in eremo constitutus et in illa vasta solitudine putabam me romanis interesse deliciis!... Quotidie lachrymae, quotidie gemitus. Ille igitur ego, qui ob gehennae metum tali me carcere damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum, saepe choris intereram puellarum; pallebant ora jejuniis, et mens desideriis aestuababat in frigido corpore. Itaque omni auxilio destitutus ad Jesu jacebam pedes. Memini, me clamantem diem crebro junxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas.

Quodsi autem, non obstantibus hisce mediis, nihilominus tentatio quaedam carnis nos pulset: cogitemus cogitationem, quam hodierna dies in mente nostra suscitavit, quia pulvis sumus, et citius aut serius in pulverem revertemur. Memoremur novissima nostra, et non peccabimus (Eccli. 7, 40.). Quid enim morte horribilius? Quid terribilius judicio divino? Quid magis formidandum, quam modicae ac momentaneae voluptatis causa aeterna coeli gaudia prodigere? Quid metuat tentatus ad illicita, si ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur? — Verum tamen non solum *timore*, sed et *amore* ducti carnis voluptatibus renuntiemus et castitatem amplectamur oportet. Idque fiet, si saepius, praesertim hocce tempore quadragesimali, passionem Domini recolamus. Quis enim amorem cru-

*) Ep. 22.

cifixum cogitet et illum non redamet? Quis Salvatorem flagellis caesum, spinis coronatum, clavis transfixum, pendentem in patibulo sibi repraesentet, et voluptati operam det, deliciis diffluat? Nullum tam potens est et efficax medicamentum contra ardorem libidimis, ait S. August. a), sicut mors Redemptoris mei. Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi; cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo; cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiae Domini mei et recedit a me. Tanta vis est crucis Christi, scribit Origenes b), ut, si illa ante oculos ponatur, nulla concupiscentia, nulla libido superare possit, sed continuo ad ejus praesentiam totus ille peccati et carnis fugetur exercitus. Unde et S. Bernardus ad quemdam novitium ita scribit: Si tentationum sentis aculeos, exaltatum serpentem aeneum, qui est figura Crucifixi, intuere et fuge ad vulnera Christi. Auctor vero aurei illius libelli: De imitatione Christi, dicit c): Religiosus, qui se intente et devote in passione Domini exercet, omnia utilia et necessaria sibi (tam ad superandas tentationes carnis, quam virtutes exercendas) ibi inveniet, nec opus est, ut extra Jesum aliquid melius quaerat.

Invocemus quoque castissimam Virginem et dolorosissimam Matrem, perfectam et primam post Christum castitatis magistram; sanctumque nostrum Thomam, cujus patrocinio multi a Domino vitio luxuriae, et magnis ac urgentibus tentationibus libe-

a) Manual. c. 22.
b) Apud Fabr. conc. 6. Dom. Pass.
c) Lib. 1. c. 25. n. 6.

rati sunt, ut per intercessionem B. Virginis sanctique Thomae Deus omnipotens ac misericors praesentia nobis castitatis subsidia tribuat et futura, castis mentibus promissa praemia concedat.

II.

Attamen quantalibet venustate castitas eminens appareat, sine *charitate* tamen nec pretium habet nec meritum. Castitas sine charitate lampas est sine oleo, ait S. Bernardus *). Subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, castitas non placet. Sed o quam pulchra est, ut Sapiens clamat, casta generatio cum charitate! cum illa inquam charitate, quam describit Apostolus (I. Tim. 1, 5.), de corde puro et conscientia bona et fide non ficta!

Tali castitatis virtute pollebat divus Thomas, juncta nempe nexu indivulso charitati, non modo verbo et lingua, sed opere et veritate (I. Jan. 3, 18.) manifestatae. Quantum salus sibi subditorum aeterna Thomae cordi fuerit, jam ex iis, quae de ejus zelo dicta sunt, colligere licet. Audiamus nunc, quae et quanta pro salute illorum *temporali* fecerit. — Quamprimum Thomas declaratus fuit Archiepiscopus Valentinus, et Valentiae notum, illum archiepiscopatum acceptasse: missi sunt ex hac ecclesia duo canonici cum aliquot sacerdotibus, qui ipsi congratularentur ipsumque ecclesiae nomine salutarent, quos inter fuit Jacobus Messeger, Doctor Theologus. Hunc die quadam interrogavit seorsum, quantum redituum proferret archiepiscopatus? et cum reponeret ille, tunc proferre circiter octodecim millia aureorum, dolere idcirco visus est et aliquali

*) Ep. 42. c. 3.

sensu animi dixit: Fefellerunt me; putabam, pluris eum valere; et conversus ad theologum: Magister, inquit, noli mirari, quod haec audiens dolore correptus fuerim; neque enim id mea causa facio, nam mihi et domui meae mille abunde sufficiunt, sed intelligo, plures illa in regione inveniri pauperes, doleoque, tam parum produci pro tot pauperibus, quot illic reperiri mihi perhibuerunt. — Cumque Valentiam pervenisset, mox ardens illud, quo ab infantia flagrabat, studium, miserorum hominum calamitatibus occurrendi, tot annorum spatiis religiosae paupertatis angustiis constrictum, veluti flamma e cuniculis erumpens in apertum prosiluit. Cathedralis enim ecclesiae canonici rati, venientem e claustris Archiepiscopum, nulla congesta pecunia suffultum, alieno subsidio maxime indigere, ut de necessaria suppellectili prospiceret: quatuor aureorum millia eidem dono obtulerunt supplicantes, ut iis rem domesticam procuraret, donec ex ecclesiae praediis fructus Archiepiscopo debiti colligerentur, nec respiceret donum, sed voluntatem ac desiderium, quo ferantur in ipsius obsequium. Recepit nummos Archipraesul, gratias officiosissime persolvens tam de affectu, quam de munere simulque interrogans: num illa pecuniae summa ita sibi concedatur, ut libere de ipsa disponere possit? Asserentibus illis, igitur cum acciderit, ait, hisce diebus, ut ignis tantum damnum intulerit xenodochio generali hujus civitatis: oro vos, ne aegre feratis aut existimetis, me minoris facere donum (etenim summo in pretio habeo et memoria tenebo semper), si illud (donum) concedam xenodochio, ut inchoetur opus, quod necessario exstruendum est. Canonici id factum non

tantum non aegre tulerunt, quin potius mirati sunt ingentem Archiepiscopi charitatem et misericordiam, qua, cum ipsemet indigeret, vellet potius prospicere necessitati xenodochii, quam propriae domus. Atque ita eodem temporis momento advocari jussit administratores xenodochii, quibus statim advenientibus omnem pecuniam tradidit mandans, ut acciperent ad construenda aegrotantium cubilia, atque opus extemplo inciperent foreque, addidit, ut opitulante Deo conaretur afferre subsidium tum praesenti necessitati, tum caeteris pietatis et misericordiae, quae illa domo exercebantur, operibus. Vocatis dein ad se concionatoribus et confessariis omnibus injunxit sedulo, ut, dum concionarentur ac confessiones exciperent, rem xenodochii magno conatu commendarent, personasque, quibuscum essent acturi, si utcumque divites esse novissent, rogarent, ut xenodochio succurrerent ac faverent, quod et ipse in sermonibus, quos instituebat, praestitit tanta efficacia, ac si domus fuisset propria, et quilibet aegrotantium frater aut filius ejus germanus. Ducem quoque Calabriae, qui erat princeps pius admodum et in eleemosynas pronus, quique eidem operi multum auxilii conferebat, oravit atque exoravit, ut (quod et factum est magna totius civitatis aedificatione) saepius simul opus illud inspicerent atque xenodochium inviserent, suo exemplo stimulum daturi caeteris omnibus ad ei succurrendum.

Sed haec magnarum rerum, quibus prolixa narratio debetur, initia tantum fuere. —

Absoluta visitatione, de qua jam locuti sumus, et synodo dioecesana, quibus subsidium spiritualibus animarum necessitatibus afferre conabatur, mox

omnes suas cogitationes eo convertit, ut remedium afferret rebus temporalibus pauperum.

Nullum quidem fuit egenorum genus, cui auxilium non tulerit s. hic Praesul, ut adeo jure meritoque a sancta Sede gloriosum *Eleemosynarii* titulum et cognomentum acceperit; prima tamen ejus attentione digni erant pauperes *ecclesiastici* ac religiosi. — Si quos propter delicta necesse fuerat per dies aliquot in custodia detinere, hos, si pauperes erant, antequam dimitteret, vestiebat; vestem talarem, thoracem, pallium, saepe integrum indumentum imo et indusia illis confici curabat, eosque eleemosynis juvabat, ut in posterum fortius divino obsequio illos obstringeret. — Certior factus, quosdam sacerdotes magna premi egestate, quoniam vel fere solo Missae stipendio vivebant vel quodam quidem beneficio, ast cujus tenues essent fructus, gaudebant etinsuper matrem vel sorores pauperes alendas habebant; hos ad se vocari jussit, iisque propria manu per partes in singulos menses divisas, juxta cujusque necessitatem, aliis triginta, aliis quadraginta, aliis quinquaginta et plures libras annuas tribuit. Insuper si ipsi vel eorum matres aut sorores aegrotabant, medicum, remedia et quaelibet necessaria subministrabat, et occurrentibus casibus extraordinariis, quibus non sufficiebat consueta eleemosyna, secundum necessitatis exigentiam subveniebat.

Audiamus casum specialem. Alebat domi suae pauper sacerdos matrem ac sororem indigentes, magnaque premebatur necessitate, quia, quod in dies singulos tum ex Missae stipendio, tum ex distributionibus recipiebat in ecclesia, non superabat regalem unum. Noverat is pannos bombycinos texere.

Itaque expletis horis officii in ecclesia, habens domi textoriam machinam, tempus reliquum diebus omnibus, etiam dominicis ac festis, texendo insumebat, et sic ex acquisitis in ecclesia et per artem textoriam sustentabat familiam, cui absque noti opificii exercitio impar fuerat. Accusatus est a vicinis, quod praebens illis pravum exemplum instar laici, deposita veste talari, pannos texeret ac diebus dominicis et festis laboraret. Causam ipsius defendens S. Praesul, quid, inquit, si fortasse pauper sit nec sufficiant ipsi fructus in ecclesia percepti? Nihil est, quod vobis offensioni sit, quoniam S. Paulus horis, quibus licebat, laborabat operans manibus suis, et ex lucro inde acquisito sibi et iis, qui cum ipso erant, victum ministrabat. — Ipsis dein dimissis accivit sacerdotem, querelam adversus eum depositam declaravit rogavitque, ut, an verum id esset, clare ediceret. Reposuit sacerdos, rem ita se habere; sed hoc fieri domi suae clauso ostio, seque regali in ecclesia percepto et lucro ex texendi arte acquisito alere matrem et sororem suam, suaeque necessitati consulere. Brachiis complexus est illum S. Praesul, si fas mihi foret, inquiens, manus illas operi tantae pietatis ad alendam matrem et sororem inservientes deoscularer. Noli ab eo desistere, grande enim Domino obsequium praestas. Attamen noli id facere diebus dominicis et festis; ego tibi succurram; mea eleemosyna supplebit, quod iisdem diebus eras lucraturus. Accede ad me cujusque mensis initio; qualibet vice tradam tibi 20 nummos regales. Gaudebat vehementer S. Antistes, quotiescumque ille sacerdos accederet, eique, quamdiu vixit, magna cha-

ritate nummos conferebat. Festis vero solemnioribus duplicabat stipem. —

Ad istum modum multis clericis non solum Valentiae, sed et in aliis dioeceseos suae locis opem ferebat, commendans visitatoribus, visitandi causa exeuntibus, ut in locis omnibus magnis ac parvis inquirerent in clericos paupertate laborantes, utque iis succurrerent, imo indicem eorum sibi afferrent ordinaturo, quo pacto per anni decursum necessitati eorum occurreretur.

Subveniebat similiter nonnullis pauperibus *religiosis*, quibus monasteria convenienter subvenire non valebant. Dum enim, non ignari, ab ipso medelam afferri omnibus, egestatis suae certiorem faciebant, ingenti amore praebebat auxilium. Similiter et majori quidem largitate ad moniales, quas Deo devotas et a rebus mundi avocatas, ac parentibus, cognatis et amicis orbatas noverat, eleemosynas per sacellanum dirigebat. Praeterea auxiliabatur indigis quibusdam bene ordinatae disciplinae monasteriis, et quidem notabilibus eleemosynis. Ordinariae erant 50 librae sub festum S. Joannis Baptistae et aliae 50 circa nativitatem Domini. Dum Patres Soc. Jesu Valentiam advenerunt, perspiciens, quantae utilitati essent futuri animabus: adjuvit ad fundationem Collegi S. Pauli insigni bis-mille et quingentarum librarum stipe ac multis deinde aliis, fovitque eos in omnibus occasionibus.

Pari cum liberalitate subveniebat D. Thomas 2. pauperibus *pudibundis* utriusque sexus, tam nobilibus, quam plebejis, qui labore manuum suarum victum sibi comparare non valebant, ne ex necessitate ad actiones viles, se indignas et conscientiis

perniciosas deprimerentur, difficileque dictu, quam ingeniosa charitas sancti hujus Praesulis fuerit in exquirendis modis ac viis, quibus in notitiam ejusmodi pauperum pervenire, eorum indigentiis, quin famà honorque status detrimenti quid paterentur, succurrere posset. Hunc in finem:

a) injunctum erat eleemosynarum dispensatori indagare apud rectores paroeciarum et pauperum curatores, quot in qualibet parochia pauperes pudibundi versarentur et quo loco habitarent. Hisce (rectoribus et curatoribus), ut cuique pauperi pudibundo accommodate ad egestatem subvenirent, numerabat quovis mense aerarii custos ducentos, sique hi judicio eleemosynarum dispensatoris non sufficerent, et plures aureos. Nonnullis, quibus laborandi deerat facultas, statam die quolibet stipem, unde viverent, concedebat.

b) Ipse quoque s. Praesul indicem habebat similium pauperum, quorum conditio erat honoratior quique ampliori stipe indigebant. Hi jam statutis diebus, ita communiter, ut trium mensium circulo iidem ex eadem paroecia reverterentur, s. Praesulem accedebant, e manu ejus, ad peragendam rem divinam exeuntis, stipem necessitati cujusque accommodatam (ad minimum quindecim regales) et chartae involutam una cum piis adhortationibus accepturi.

c) Qua ratione in notitiam necessitatis temporalis mulierum altioris conditionis, quas non decebat cum plebejis adire domum ejus, venerit, jam audivimus. Hinc per confessarios opem congruentem eis tulit.

Quodsi autem matronae indigentes adeo erant illustres, ut dignitas ac genus illarum inhiberet, quo-

minus cuipiam necessitatem suam detegerent stipemve peterent aut acceptarent: hoc utebatur vir sanctus artificio. Debitorem pauperum se existimans, nitebatur nosse confessarios earum. Hos dein arcessebat et promisso ex parte sua secreto servando simulque confessario imposito inquirebat in matronarum dictarum indigentiam, ac percepta rei veritate perpendebat et cum confessariis consilium inibat, quantum iis concedere expediret, statamque dein stipem singulis tribus mensibus confessario tradebat matronae exhibendam tali modo, ut, a quo sibi donetur, a nemine percipiat, solumque sciat, mitti a persona, quae ipsi debito obstricta est, nec totum simul exsolvere valet.

d) Viri nobiles ipsum s. Praesulem accedebant, quolibet mense scuta viginti, triginta et plura pro cujusque stirpis conditione ac familia domi sustentanda accepturi. Urgente vero necessitate extraordinaria, ad quam indicandam egestate pressi ab ipsissimo S. Praesule animabantur, speciali modo subveniebat. Ita viro cuidam nobili, qui aliquando de nocte eleemosynarium divi Praesulis accessit, urgente necessitate auxilium flagitaturus, licet a paucis diebus portionem menstruam (scuta 20) recepisset, quadringentos regales numerari eleemosynario praecepit.

e) Quodsi vero quosdam pudore suffundendos cognoverat, si de eleemosyna pecuniaria illis praestanda sermo institueretur, alios illis subveniendi modos excogitavit. Audiamus exemplum.

Degebat Valentiae cum filiabus praestantibus ac nubilibus vir ex primaria ac illustriori regni Arragonici nobilitate, at pro statu suo magna in egestate. Auxilio ipsi esse Sanctus desideravit. Itaque cum

elocandi essent fructus, advocavit illum interrogans: num ipsi minister quidam intelligens ac fidus esset? Asserenti illi subjunxit: Jube ipsum licitari in tali parte elocationis hodie faciendae, et quamvis, sicut intellexi, quotannis inde lucro percipiantur aurei bis milleni, certi nullique controversiae obnoxii, non offerat pro ista parte seu terrae spatio ultra millenos; reliquos millenos lucro tibi adscribas desidero et a te mihi beneficium exhibitum reputabo; nemo autem noverit, conductam fuisse illam terrae partem tuo nomine. Resque ita executioni mandata est. Ita vir ille honorifice sustentabat familiam suam, quamdiu in vivis superstes fuit divus Thomas.

3. Hisce non contentus, verbisque sacrae scripturae (Psalm. 40, 2.): Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem, satisfacere cupiens, continuo intellectu inquirebat, quo pacto pauper eximeretur, et quantum fieri potest, liberaretur egestate.

Ita multis, e. g. textoribus panni serici et villosi, qui ad exercendas artes suas idonei quidem erant, ast propter penuriam illas exercere non valebant, summam pecuniae subministrabat, qua necessaria ad artem exercendam compararent. — Cuidam textori ad se vocato dixit s. Antistes: Audivi, premi te necessitate, eo quod desit copia exercendae artis. Si foret tibi propria bombyx texendo panno, possesne te ac familiam alere? Respondit artifex: Si modo sint mihi centum aurei, quibus bombycem praeparatam emam et in proprium lucrum texere incipiam, in Domino fiduciam repono, fore ut per hos (aureos) et stipem tertio quoque mense acceptam et familia mea et ego commode vivere valeamus.

His auditis jussit s. Praesul aerarii custodem huic viro 150 libras tradere. Prostravit se homo ille ad deoscolandos munificentissimi Antistitis pedes. Cohibuit autem eum S. Antistes dicens: Domino gratias agito, frater, cujus illa bona sunt, non mea, sed mihi commissa, ut tibi subveniam; bombycem tibi mox coëmito ac texere incipito pannos tuos; curato autem, ut et tu et domestici tui omnes pie Dominum colatis, quem si colueritis, per haec primordia et laborem tuum ipse vobis auxiliabitur et vos honeste vitam transigetis. Me autem invisas nonnumquam, etenim volupe erit intelligere, qui tibi succedat; ego te Deo commendabo et, ubi necesse fuerit, juvabo.

Aliis eandem artem exercentibus, quibus aequalem imo et majorem summam elargitus est, dixit: Attendite, si panni ex propria vestra bombyce conficiendi, seu quia non floret commercium, seu quia deficiunt emptores, distrahendi essent cum aliquali jactura aut damno vestro: nolite id facere, servate, donec venumdari possint commode et ut obtineatis saltem bombycis et laboris vestri pretium, interim accedite ad me, ego enim vestrae indigentiae non defuero. Promissis stetit quoque S. Praesul.

Aliud exemplum. Mulier quaedam pauper, marito orbata et cum multis liberis admodum parvulis relicta quolibet mense statam stipem ab Archiepiscopo accipiebat. Cum autem Sanctus hic observasset, per hanc solam (stipem) non eximi illam (mulierem) difficultate, vocavit eam dixitque ei: Aegre admodum me habet, soror, necessitas et molestia, quam pateris parvulorum liberorum causa; velim intelligere, an artem aut opificium aliquod noveris,

unde lucrari aliquid queas? Ego necessaria ad id, quod conficere novisti, suppeditabo et adjuvabo te. Respondit mulier, notum sibi esse, similaginem, farinam hordeaceam resque hujuscemodi praeparare. Gavisus vehementer jussit mox ei comparari omnia ad hoc opificium necessaria. Itaque protinus confectae illi molitrina exigua, arcae et mensae requisitae, asellus item illi coëmtus est et suppeditatum triticum, hordeum et quodlibet necessarium ad instruendam domum et officinam. Hocce subsidio restaurata fuit paupercula mulier, commodeque educavit liberos.

4. Stipem *ostiatim* quaerentibus mensam quotidie parari jussit ac singulis ab hora decima ad aedes ejus adventantibus impertiri panem unum, scutellam pulmenti, haustum vini, et nummum unum, iis autem, qui infirmitate aut debilitate quadam pressi videbantur, praeter panem et pulmentum portionem vervecinae carnis et nummos duos. Annonam singuli, certo ordine distributi, accipiebant ita, ut primis recedentibus succederent alii, neque enim simul omnes palatii area capere poterat, utpote qui ad quadringentos, nonnumquam ad quingentos, ascenderent. Monitus, in ea pauperum turba vagos perditosque homines persaepe misceri, quibus nimirum fustis potius quam eleemosyna congrueret, respondit: Ne hujus furfuris homines in urbe impune morentur, Praetoris est; Archiepiscopi vero, ne quisquam ab ejus domo eleemosyna vacuus recedat. Atque hoc religiose adeo observabat, ut ne manifestis quidem pauperum fraudibus famulos suos obviam ire aequo animo ferret. Cum enim e fenestra aulae, quam communiter tunc temporis obambula-

bat, quempiam e domesticis cum paupere contendentem vidisset, quod hic portione jam recepta accepturis sese aggregasset: jussit S. Praesul, seposita quaestione, eleemosynam concedi, subdens (egressis pauperibus): in his, quae ad pauperes spectant, nullam institui oportere disputationem, fraudem metuendam esse nullam, forte enim sub pauperis veste angelum latuisse, qui charitatis ac patientiae experimentum facturus eleemosynam bis postulasset, sicut legimus de pauperculo, qui immutans vestem et formam saepius eodem die stipem flagitavit a beato Gregorio, angelus autem fuit, destinatus a Deo ad tentandam S. Pontificis pietatem et misericordiam; proinde nonnisi periculose in controversiam vocari aut injuriose repelli.

5. Quos autem *gravior infirmitas* ad Archiepiscopi domum accedere prohibebat nec publici valetudinarii beneficio frui honestior sinebat conditio, alia levabat methodo. Bini pro eorum cura conducti medici, chirurgus unus, designata pharmacopolae officina, unde, quidquid medicinarum opus esset, repeteretur; nec ex quo diuturna foret aut perpetua aegritudo, cessabant subsidia. Ad hoc eleemosynario injuncta alimentorum, omniumque recreandis recens ab infirmitate convalescentibus pertinentium provisio.

6. Egenis simulque probis *studiorum alumnis* vestes, libros et res quaslibet necessarias subministrabat, erecto quoque Valentiae juxta scholas collegio pauperum studentium educationi destinato, cujus proventus paullatim augere voluit, ast ex hac vita a Domino evocatus non valuit. Pro educandis in collegio caesareo Valentino Maurorum conversorum

filiis et augendis proventibus parochorum, quorum curae commissa erant loca, ab hujusmodi recenter conversis inhabitata, designavit pensionem bis mille aureorum.

7. *Puellarum* dein, maxime periclitantium, honestatem in tuto ponere non desistebat, dotale aurum pro cujusque statu ac pecuniam domesticis rebus coëmendis opportunam ultro concedens; nec ullae sane, eo archiepiscopatum tenente, celebratae sunt pauperum nuptiae, in quibus ejusdem liberalitas desiderata fuerit. Priores hoc modo per ipsum ad ineundum matrimonium adjutae fuere pauperes aliquot puellae ex Villar et Chulilla, oppidis archiepiscopatus, quia hae utpote clientes suae praeponendae videbantur.

8. Sed numquam fortasse clarius S. Praesulis enituit charitas, quam erga *expositities* infantes, qui publico in nosocomio alebantur. Ne siquidem diligentiae quidquam in eorum educatione omitteretur: nutrices proprio aere conductas singulis assignabat atque ab his stato tempore (mane finito Missae sacrificio primo cujusvis mensis die, dein festis solemnioribus post prandium) cum infantulis accersitis infantium ipsis creditorum rationem exigebat accuratissime, ac si desidiose nonnullas agere deprehendisset, acriter objurgabat, eas vero, quae nitidiores, pinguiores attulissent pueros, pecunia supra mercedem pactam donabat. Ipse Sanctus infantes singulos examinabat, manu frontem ipsis demulcebat et blandiebatur; si quem languidum aut pallidum offendebat, dolebat multum, nutricibus autem: Si vobis, ajebat, regis filius enutriendus committeretur, quam vos honoratas et fortunatas existimaretis, qua solli-

citudine aleretis, quam mundum et recte compositum servaretis! At rex coelestis parvulos hosce suos esse reputat, hos mihi commissos voluit; hos ego vobis ejus nomine committo, mundos servate et recte compositos; quidquid iis opus fuerit, nos omnino procurabimus. Observabat quoque, quibus infantes fasciis et pannis et quibus vestibus induerentur nutrices et tam pueris quam nutricibus, quod necesse erat, praestari jubebat, ut et hae congruis incederent vestimentis et infantes bene compositi et mundi essent.

Jam vero tantae pietatis opus, cum nemini ex civibus esset ignotum, eo fiduciae pauperes adduxerat, ut, quos alere non potuissent infantes, ante archiepiscopalis palatii fores reclinarent, ac si illud proprium illorum domicilium exstitisset. Atque hoc non modo numquam aegre tulit Thomas, sed, quotquot deferebantur, hilari fronte suscepit enutriendos, etsi interdum ad septuaginta vel octoginta excrescerent, interdicta domesticis supervacanea parentes indagandi cura. Quo facilius, qui infantes enutrire non valebant, ad aedes suas exponerent, ostium aestate usque ad horam nonam, hyeme usque ad septimam vespertinam semiapertum servari jubebat et domus aditum illuminari quidem, sed ita, ut ejus claritas non obesset afferre eos cupientibus, et quo non minus clausis januis valerent exponere infantes, appensum iis erat tintinnabulum. Mandavit quoque famulis, ut advertentes, collocari infantem aliquem, mox magna diligentia ad tollendum et ad se deferendum accurrerent, promissis cuilibet infantem afferenti 4 regalibus. Quoniam autem nihilominus plures noctu afferebantur, sanctus Praesul tum

propter damnum, quo affici poterant infantes, per totam noctem carentes nutrimento lactis, tum propter molestiam, quam per suos vagitus creabant domesticis, curavit, ut duae ex nutricibus habitarent prope palatium, quae infantes, quacumque tandem hora exponerentur, tollerent, lacte foverent ac servarent, donec illis nutrices reperirentur.

Accidit aliquando, ut ipsissima mater infantis expositi ejus nutrix fieret. Indicatum est illud Dei servo, ut ei mercedem subtraheret. Id non faciam, reposuit S. Antistes; caveamus a defraudandis pauperibus, nam dum ab ipsis defraudamur, nihil nobis detrimenti, imo saepe multum utilitatis accedit, prout ab ista muliere; utrique beneficium praestamus, puero procurando nutrimentum, mulieri succurrendo egestati per mercedem, quam lucratur. Hoc ipsum (subjecit) fecit genitrix Moysis, enutriens proprium filium ac pro eo mercedem accipiens a filia Pharaonis sibi collatam; neque idcirco coarguit ipsam s. scriptura, neque nos coarguere debemus pauperem istam feminam.

Imo hanc misericordiae partem una cum morte interire noluit s. Praesul, seposita certa pecuniae summa, quae educandis expositìtiis infantibus post ejusdem obitum sufficeret ad triennium, prout ipsemet paucis, antequam decederet, diebus significavit. — Non hos tantum infantes colligebat divi Thomae charitas, verum et plures alios, qui parentibus morte sublatis pupilli et omni praesidio destituti relinquebantur, quos in domum suam introduci et dein educari jussit, tantoque amore prosecutus est, ut pueri eum conspicientes tamquam ad parentem proprium accurrerent.

Nulla denique sive publica, sive privata calamitas Thomae charitatem subterfugit. Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo nocte praevia festo S. Barnabae pirata valde famosus, nomine Dragut Araix, oppidum nomine Cullera diripuit et ingenti damno affecit. — Hoc intelligens s. Praesul, nemine rogante, proprio animi motu mox patrem Verdolay ad se vocavit atque una eleemosynarum praefectum et binos famulos, illisque tradidit in numerata pecunia octingentos aureos ac totidem in pannis, ut absque mora illuc se conferrent, captivos redimerent, mulieres maritis orbatas consolarentur et pro comperta earum necessitate eleemosynis juvarent, pauperibus agricolis nummos largirentur ad procurandum sibi triticum, vinum et oleum, secundum jacturam, quam quisque passus fuerat, iisdemque boves et mulos ad laborem coëmerent.

Vir sanctus elocabat fructus archiepiscopatus. Jam si conductores ex annorum sterilitate vel alio infortunio, aut casu adverso in conductionibus suis jacturam faciebant, re comperta pretium eis remisit, ut tunc temporis ne obolum quidem ei solverent.

Urgente necessitate pauperibus determinatam pro singulis hebdomadis tritici portionem distribui curavit.

Infirmis (quos ipse semel per hebdomadem noctu invisebat) aliisque egenis indusia et lecti lintea erogavit. — Occasione lustrationis dioeceseos (quam saepius repetebat) pannum nigrum, quem ipsi magistratus oppidi Alcoy videntes vestem ejus obsoletam obtulerunt, coëmtis tribus aliis parocho loci, magistratui et pauperum curatoribus tradidit, ut inter

pauperes pudibundos, praeprimis pauperes viduas, dividerentur. Visitatores, dum obire dioecesim jubebat, jubebat simul linteorum et pannorum sarcinas assumere, quae dispertirentur inter pauperes locorum, ad quae visitandi causa erant perventuri, addita pecuniae summa pauperibus distribuenda. — Eleemosynas dari volebat non tantum in locis veterum christianorum, verum etiam, imo potius in coetibus recens conversorum ad fidem.

Item si ecclesiis deerant calices sacri, ornamenta et aliae res necessariae, nec esset, unde compararentur, s. Praesul rei prospiciebat, quoniam sollicitus erat, ut et pauperes juvarentur et ministerium divinum decenter perageretur.

Miraris fors, haec audiens, *quomodo* S. Praesul tantam pecuniae summam colligere potuerit, ut tot ac tantis pauperibus omnis aetatis, status et sexus tam generose subveniret? — Medium principale fuerat prudens dispositio de proventibus archiepiscopatus, qui ab initio ad octodecim, dein ad viginti duo, postmodum et triginta millia aureorum quotannis ascenderunt, quosque (proventus) exceptis bis mille aureis, qui antecessori, Georgio Austriaco, utpote qui Archiepiscopatui Valentino nuntium remissit, solvebantur, ac ter mille aureis, qui usibus domus suae ac familiae, dein mercedi juris consultorum, ministrorum et procuratorum destinati erant, eleemosynis impendebat, ne obolo quidem in annum sequentem sibi relicto.

Quae in S. Praesulis usus deducebantur (e. g. vestes), nonnisi vilissimo stabant pretio, quod etiam altercando quodammodo pacisci ipse consueverat, ne vel minutissimo aere inde proveniente pauperes frau-

darentur. Sic non retento thorace, qui 24 regalibus constabat, alium, qui decem duntaxat regalibus constaret, sibi confici curavit. Eo parsimoniae pervenit in gratiam pauperum, ut victum sibi ipsi subtraheret, ac propriis manibus resarciret vestimenta. Id multis, sartoribus, mercatoribus, artificibus, ejus mentem haud satis assequentibus, avaritiae tenacisque animi suspicionem ingessit, quam tamen protinus deposuere, dum egestate pressi ejusdem liberalitatem experti sunt. Aulam archiepiscopali in palatio construi passus est, quam domestici ut omnino necessariam insinuaverant. At postquam extructam vidit ac pretium agnovit, doluit vehementer, plus, quam voluisset, pecuniae aulam absorbuisse atque ab amicis in ea obambulans deprehensus est amare hac de causa flens, ac si pauperum bona dilapidasset. Hoc audito artifex, qui operi conficiendo praepositus fuit, s. Antistiti demonstravit, omnes operarios isthic laborantes esse pauperes, nihil habentes praeter diurnam mercedem, quam lucrantur; sumptus igitur in opus illud impensos veram fuisse eleemosynam, quod ipsi (Praesuli) magno solatio fuit. Erga consanguineos subsidia interdum postulantes moderatum adeo ac parcum se praestitit, ut aequo rigidiorem nonnulli accusaverint. Summo cum amore exceptis et per aliquod tempus tractatis communiter tantum viaticum, sumptus itineris, insuper mulum aut bovem ad colendos agros conferebat. Propriae parenti, quamvis illam amaret et honoraret, ut probum filium decet, quotannis centum solummodo scuta mittebat, quae illa additis multo pluribus ex proprio aere iterum in pauperes erogabat, quia propriis bonis fruebatur, et ex eadem causa alteri fratri

centum, alteri (cui plures liberi erant et pauciores divitiae) ducenta scuta et semel per 10 annos duo millia aureorum dederat, ex quibus fundo alicui applicatis, si moreretur Archiepiscopus, illi et filiis superesset census annuus. Duabus filiabus fratris sui nuptiarum causa singulis 60 libras dono dedit. Saepius consanguineis, qui magnam ab eo pecuniae summam expectabant, declaravit, archiepiscopales reditus non suas, sed pauperum opes esse, quarum proinde severissimam Deo esset rationem redditurus, si vel minimum in pecuniis erogandis defecisset. — Eandem ob causam etiam Imperatori pecuniam ab ipso mutuam petenti, nempe 20 millia aureorum pro erigenda contra Turcas arce Ebusensi, diu restitit, ne pauperibus dioecesis suae subtraheret, et dein dimidiam postulatae pecuniae partem sub obligatione, illam ipsi refundendi, Caesari concessit.

Caeteram mira quadam aemulatione inter se certabant Thomae liberalitas ac divina providentia; illa quidem ingentem auri vim profundendo, haec vero, unde incessanter profunderet, prodigiorum ope ministrando. Hinc multiplicata in ejus manibus pecunia, horrea, frumento inde penitus exhausto, iterum nullo immisso redundantia, aliaque id genus naturae ordinem excedentia, quae tamen ipse silentio tegere satagebat.

Sat fuse bona opera divi Thomae enumeravimus nec tamen omnia sufficienter exposuisse putamus, contenti dictis, quoniam et ex iis ingens divi Thomae studium paupertatis omnemque laudem excellens misericordia in pauperes sibi commissos luce clarius apparent. O rarum virum ac ineffabilem,

qui nihil sibi, omnia pauperibus pertinere ratus, tanto paterni amoris affectu omnes cujuscumque generis pauperes ut proprios filios complexus est, qui sui oblitus, nulla habita ratione carnis et sanguinis, illis omnem curam suam ac sollicitudinem impendit, cujus quotidiani de statu pauperum sermones et familiarissima: Quid agunt pauperes vestri? dum parochos et pauperum procuratores alloqueretur, interrogatio, cujus summa voluptas et consolatio, cognoscere pauperum necessitates et cognitis afferre remedium, qui neminem audientiam Archiepiscopi petentem arceri aut molestis torqueri induciis passus est, qui omnes tamquam filios et filias, quoties ad eum accederent, amantissime excepit, cui, quotcumque et quacumque hora ad eum venerint, nullus molestus videbatur, nullum tempus importunum; qui licet sordidos horridoque aspectu nauseam cientes libenter audivit, honorifice sibi assidere imperavit, paterne solatus est, lachrymis quandoque lachrymas jungens; qui neminem sine solatio et opportuno subsidio dimissit, qui multo majorem, quam postulantes expectassent, pecuniae quantitatem indigentibus concessit, imo egestate pressos, ut venirent indigentias suas expositari, ipse admonuit et animavit, qui non rogatus exquisitis variis modis ac artibus, ne honor status aut fama pateretur, nulla crumenae habita ratione, indigentibus subvenit et a tam sancto opere nullis objectionibus ad indignos inter pauperes nec tam indigentes, ut videantur, provocantium se dimoveri passus est, imo, propriis factis non contentus, alios quoque ad se accedentes ad opera misericordiae, dum viverent, fortiter hortatus est, futuros pauperes futuris divitibus commen-

dari dicens, praesentes praesentibus, nec decere viventes fame interire, ut necdum natis subsidia praeparentur. O utinam et nos, fratres dilectissimi, hoc exemplum insignis erga pauperes charitatis imitaremur? Utinam et nos, alienissimi ab omni avaritia et pecunias corradendi cupidine, cor nostrum videndo pauperes dilataremus et simili mansuetudine illos excipientes, simili patientia illos audientes, simili prudentia atque sagacitate illorum inopiam investigantes atque famam illorum tuentes, ad eos omnibus viribus sublevandos solliciti essemus! Perpendamus, charissimi, quemlibet hominem christianum, multo magis ergo sacerdotem, evangelii praeconem omnisque virtutis formam ad id genus officii obligari; quid enim juvabunt verba ad opera misericordiae exhortantis, si defuerint exempla? Quid juvabit voluntas bona, ast arida et infructuosa, sensus commiserationis vanus et inutilis, quem non sequitur actus charitatis? *Gloria Episcopi* est, ait S. Hieron. *), pauperum opibus providere, ignominia omnium sacerdotum, propriis studere divitiis.— Si tu ipse, frater, adeo inops et pauper et indigus esses, et alter tuam inopiam rideret, alter tecum altercaretur, hic frigidus praeteriret, ille ad laborem te hortaretur: quid sentires, quid ageres, quid cogitares? Heu quot lachrymae, quot quaerelae pauperum! Quot vota, moriendi potius, quam ita vivendi! Quot blasphemiae in Deum, quanta invidia, quot adulteria, furta, fornicationes, aliaque scelera! Ecce quot et quanta mala pullulantia ex nimia paupertate! —Tuque talia sciens, videns, quotidie expertus frigidus, insensibilis permaneres, nihil ad eos

*) In quadam ep.

sublevandos ageres? Ubi charitas tua, ubi zelus religionis ac virtutis, ubi amor Christi? Ipse humiliavit se, ut nos erigeret, Ipse pauper factus est, ut nos divites faceret. Ipse misericors fuit et misericordes beatos praedicavit, ut amorem pauperum cordibus nostris instillaret. Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, ait ipse (Matth. 25, 40.), mihi fecistis. Potuitne Christus majus quidquam nobis dicere? Quomodo potuit magis justitiae ac misericordiae nostrae opera provocare? Manus pauperis, ait Petr. Raven. a), est gazophylacium Christi, et quidquid pauper accepit, Christus acceptat. Da ergo pauperi, ut detur tibi.—Quid decimae, quid oblationes, quid bona ecclesiastica b)? Nonne vota fidelium, pretium peccatorum, patrimonium pauperum? Res pauperum non pauperibus dare, an non par sacrilegii crimen esse dignoscitur c)? Facti beneficiorum ecclesiasticorum possessores pauperum debitores facti sumus; solvamus ergo debitum nostrum sine mora, sine dilatione, quam diu vivere nos Deus permittit. Ne dixeris: Vade et revertere, cras dabo tibi, cum hodie, cum statim possis dare (Proverb. 3, 28.). Quis scit, num cras victuri simus? Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes (Gal. 6, 9. 10.). Quanta, quaeso, retributio servum fidelem, qui dispersit, dedit pau-

a) In quodam serm.

b) Lege: Pletz (Dr. Jos.) Neue theol. Zeitschrift VI. Jahrgang 5. Heft. S. 137—168. Sind die Geistlichen von dem im Clericalstande erworbenen Vermögen gute Werke zu üben bloß ethisch oder wirklich rechtlich verbunden?

c) Sec. S. Bernard. Declam. c. 7.

peribus (Psalm. 111, 9.), in coelis manebit! Quanti thesauri bonorum operum, quanta laetitia, quantum gaudium! Talibus hostiis promeretur Deus (Heb. 13, 16.). Huic (eleemosynae), ait S. Chrysost. *), cum multa fiducia portae coeli aperiuntur, et — veluti regina intrante — nullus janitorum, nullus custodum, qui adsistunt, audet dicere: Quae tu es vel unde? sed omnes eam e regione suscipiunt. Virgo est, habens alas aureas, circumscripta per omnia venustate, sed succincta, vultum habens candidum atque mansuetum, pennata est et levis et semper ante solium regale consistit. — Imo et his in terris memoria misericordis est in benedictione; omnes illum amant, omnes aestimant, omnes venerantur, quum avarus omnibus sit odibilis et execrabilis. Qui divitias in pauperes effuderit, numquam indigebit; Deus ipsi benedicet, inopiam pati eum non permittet. Ne dixerimus: Pauperes sunt ipsi paupertatis suae causa, homines perversi, malitiosi, beneficiis indigni! — Doleamus, si propria culpa egestatem contraxerint, ast illos non deseramus, ne pejores fiant, potius moneamus et in viam salutis reducamus. — Ne provocaverimus ad nostram propriam inopiam, indigentiam senectutis, multitudinem consanguineorum! Ultra posse nemo obligatur; si multum nobis fuerit, abundanter tribuamus; si exiguum, etiam exiguum libenter impertiri studeamus (Tob. 4, 9.), tribus verbis, pro viribus egenos juvemus omni modo, si non pecunia vel frumento vel vestimentis, saltem solatio, saltem intercessione apud alios, exhortatione, ut, qui possunt, adjuvent, nihil solliciti de cibo potuve;

*) Sup. Matth. serm. 9.

Deus enim scit, quia his omnibus indigemus (Matth. 6, 32.), Deus dabit semper necessarium panem quotidianum neque avertet faciem suam a nobis (Tob. 4, 7.), neque nos derelinquet (Heb. 13, 5.). Dein saltem diligenti cura instituti pauperum, inspectione orphanorum, expositítiorum, quam nobis et Imperans civilis demandavit, nostram erga pauperes charitatem demonstremus, ut post hanc vitam terrestrem ad aeterna gaudia introire mereamur et misericordiam inveniamus et vitam aeternam (Tob. 12, 9).

XV. Ultima vitae S. Thomae momenta.

Ex his, quae de vita S. Thomae, hucusque audivimus, quaeque nonnisi praecipua ejus vitae momenta attingebant, facilis est conclusio, divum Thomam dignissimis ac vigilantissimis Ecclesiae Praesulibus omni jure esse adnumerandum. Nulla enim est virtus ab Apostolo desiderata in iis, qui praesint Ecclesiae, quae non inveniatur in Thoma, Archiepiscopo ecclesiae Valentinae. Quaeris virum doctrina fulgentem, prudentia insignem, sobrium, pudicum, hospitalem, modestum, virum omni virtutum genere ornatum, domui suae bene praepositum, in omnibus vitae suae stadiis irreprehensibilem, in dictis factisve suis laude superiorem? In Thomam oculos tuos converte. Ecce virum omnibus illis praerogativis condecoratum, speculum vitae sacerdotalis, documentum ac formam virtutum, columnam fidei, Ecclesiae decus, ducem et rectorem gregis Christi, positum sicut lucernam in candelabro, radiosque lucis suae quaquaversus diffundentem, patrem benignum et benefactorem omnium, qui curae ac sollicitudini ejus pastorali concrediti fuere.

Jam quis est, qui non laetetur ac superabundet gaudio de tanto Praesule? Quis est, qui non congratuletur sanctae matri Ecclesiae de tam pio sanctove filio? qui non optet ex intimo corde suo ac Deum precetur sincere, ut diu vivat vir iste plane singularis, vere apostolicus, diuque regat gregem suum pastor fidelis, pascatque oves suas verbo et exemplo, defendat ac soletur animas, Christi sanguine redemptas, tot periculis, tentationibus, calamitatibus, infortuniis expositas? Messis enim multa, operarii autem pauci (Matth. 9, 37.), qui conscientia pura et fide non ficta vitaque integra Deo serviant, qui non, quae sua sunt, sed, quae sunt Jesu Christi, quaerant (Philipp. 2, 21.), Ipsi laborent, Ipsum honorent (sec. S. Bern. a) omnesque vires ac facultates animi ac corporis unice gloriae Dei salvandisque fidelibus consecrent; pauci, qui sicut olivae fructiferae facti sint in domo Dei, qui illuminent verbo, pascant exemplo, foveant egentes temporali beneficio (sec. S. Aug. b), qui sint dispensatores et non dissipatores, speculatores, non spiculatores (sec. S. Aug. c); pauci, qui custodiant in prosperitate, defendant in adversitate (sec. Hugon. a S. Vict. d), qui caeteris dormientibus vigilent animo atque in orationibus pernoctantes hostium insidias sagaciter explorent, consilia malignantium anticipent, laqueos deprehendant, retiacula dissipent, machinamenta frustrentur (sec. S. Bern. e), habentes disciplinam in conversatione, scientiam in

a) Serm. ad pastores in synod.
b) Serm. 40. ad frat. erem.
c) Serm. 42. ad frat. erem.
d) Lib. 1. miscellan. tit. 49. et 161.
e) Serm. 76. in cantic. et serm. ad pastores in syn.

praedicatione, bonitatem in intentione, assiduitatem, patientiam, sollicitudinem, volentes non ministrari, sed ministrare et animam suam redemptionem dare pro fidelibus (sec. Matth. 20, 28.). Multi enim sacerdotes, ut acute observat S. Chrysostomus a), et pauci sacerdotes — multi nomine et pauci opere. Si rebus raritas pretium facit, ait S. Bern. b), nihil in Ecclesia pretiosius, nihil optabilius est bono utilique pastore; nempe rara avis est ista. — Quid igitur amoenius, quid jucundius cordi nostro, quid exoptabilius, quam ut boni illi pastores, viri secundum cor Dei servique ejus fideles, quosque Christi amicos novimus, diu in vivis permaneant, diu fidelibus praesint, diu doceant, corrigant, solentur, confirment fratres suos? —.

Aliter autem dispositum fuerat, quod nostrum Thomam attinet, inscrutabili judicio Dei, prout mox audire licebit.

Superius de humilitate S. Thomae disserentes jam monuimus, virum sanctum dignitate sua episcopali spoliari atque iterum ad cellam suam *redire* desiderasse. Quae ratio, dic, quaeso, consilii hujus tam inopinati, quod necessario omnes viros recti bonique amantes summa afficere debuit tristitia summoque moerore? Anne vir tantus laboris tandem apostolici taedio affectus est, vel viribus fractus, vel pressus infirmitate? Laboris impatiens nunquam fuit; valetudo autem ejus ob continuas occupationes et parcitatem somni necessariaeque quietis multum passa est; accedebant quoque incommoda ingravescentis aetatis; nihilominus ratio consilii illius prin-

a) Super Matth. hom. 25.
b) Ep. 249. ad Eug. Pap.

cipalis in profunda cordis ejus humilitate atque timore Dei quaerenda. Humilitas efficiebat, ut vir, tantis spiritus animique praerogativis condecoratus, indignum se episcopali dignitate censeret atque ecclesiae sibi commissae inutilem; timorque Dei efficiebat, ut judicii divini, cui rationem proxime esset redditurus, severitatem veritus, incredibi afficeretur anxietate atque animi amaritudine. Optime quippe noverat S. Praesul, magnam et immensam esse dignitatem atque eminentiam ordinis sui, munus grave, onus angelicis humeris formidandum (Concil. Trident.), imminens periculum, patens praecipitium; noverat, judicium durissimum futurum his, qui praesunt (Sap. 6, 6.), cum neque imperitiam suam excusare, neque ad ignorantiam confugere poterint, rationem tum de se ipsis, tum de subditis suis, mulieribus, viris, pueris reddituri; et ideo timebat atque ad quietam monasterii cellam redire desiderabat, ne in tam sublimi loco collocatus gratiam Dei amitteret, salutemque suam perderet.

Sic igitur Sanctorum est semper: humiliter de se sentire, gravitatem muneris sui expendere, mortis propediem instantis atque stricti judicii divini recordari atque salutem suam operari cum metu et tremore (Philipp. 2, 12.). O utinam et nos, fratres, eadem in nobis sensa excitaremus! Utinam et nos gravitatem muneris sacerdotalis agnoscentes atque mortis strictique judicii divini memores nunquam non saluti nostrae timeremus, illamque cum metu ac tremore operaremur! Talis *timor* certo certius cautiores, vigilantiores, in servitio divino fideliores et zelosiores nos redderet. Ipse enim a charitate Dei inseparabilis est et ab hac vitam sumit superbiam-

que expellens, quae omnium malorum causa est, humilitatem in nobis generat, quae bonorum omnium est scaturigo. Qui timet saluti suae, lubenter considerat legem divinam, scrutatur quotidie conscientiam suam, minimam Dei offensam odio habet et quamlibet negligentiam detestatur. Timor est, ut ait S. Bernardus a), quo concutitur anima, discutitur conscientia, excutitur sopor lethalis, incutitur sollicitudo. Solus est timor Dei, ait S. Chrysost. b), qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat et omnis boni tribuit facultatem. c) Ubi timor est, ibi et eleemosynae studium et orationis intentio et lachrymae ferventes et continuae et gemitus multam habentes compunctionem. De timore Domini, ait Joan. Cassian. d), nascitur compunctio salutaris. De compunctione cordis procedit abrenuntiatio, i. e. nuditas et contemptus omnium facultatum. De nuditate humilitas procreatur. De humilitate mortificatio voluntatum generatur. De voluntatum mortificatione exstirpantur atque marcescunt universa vitia. Vitiorum expulsione virtutes fructificant atque succrescunt. Virtutum pullulatione puritas cordis acquiritur, per cordis puritatem apostolicae charitatis perfectio possidetur. S. Chrysostomus comparat e) timorem hunc militi armato ante fores domus vigilanti neminemque, qui domino nocere posset, admittenti; S. vero Thomas Villanovanus f) rigido

a) Serm. 14. de diversis.
b) Serm. de Joan. Bapt.
c) Hom. 15. ad pop. antioch.
d) De instit. mon. l. 4.
e) Hom. 15. ad pop. antioch.
f) Conc. tom. 2. in festo assumpt. B. V. M. con. 4.

janitori, qui omnes violentos appetitus, etiam sensuales, in castrum animae irrumpentes jugulet et dispergat. Videt namque, ait, quam stultum sit, pro modica et levissima voluptate et gaudio temporali Deum offendere, ejus gratiam et amicitiam amittere, gloriam sempiternem perdere, gehennam interminabilem incurrere et quod Deus non sit ut homo, ut vel decipi vel vitari vel oblivisci vel superari possit. Unde ait (Heb. 10, 31.): Horrendum est, incidere in manus Dei viventis, arreptoque verbi Dei gladio omnes illos procaces appetitus violenter irrumpentes jugulat et discerpit. — Quodsi igitur timor Dei cordis portam bene custodierit et clausam tenuerit, de nullo anima sibi timere debet. — Beatus autem homo, qui semper est pavidus (Proverb. 28, 14.), tum propter culpam occultam (delicta enim sua quis intelligit? Nihil mihi conscius sum, ait Apostolus (I. Cor. 4, 4.), sed non in hoc justificatus sum), tum propter ruinam futuram, id est, ne peccet homo in futuro; qui enim se existimat stare, monet Apostolus (I. Cor. 10, 12.), videat, ne cadat et I. Thess. 5, 3.: Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. Qui sanctior aut sapientior est, ait S. Hieron. a), plus semper timeat; nam qui altior est, cadens majores casus recipit; esca diaboli electa est; de malis non curat, quia sui sunt. Cecidit ille sapiens Salomon, cecidit et ejus genitor David, electus secundum cor Dei. — Videmus multos, clamat S. Augustinus b), Domine ex patribus nostris (quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confitebor) ascendisse primitus quodam-

a) Tr. de mor. S. Euf.

b) Soliloq.

modo usque ad coelos et inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyssos et animas eorum in malis obstupuisse. Vidit S. Joannes 12, 4. in sua apocalypsi casum stellarum ex firmamento coeli, quem draco cauda sua causaverat; cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum et misit eas in terram. Jam si fixae de coelo cadunt stellae, quanto magis errantes sibi timere debebunt; si angeli mutantur in daemones, quanto magis timendum, ne pervertantur illi, qui teste Apostolo (II. Cor. 4, 7.) thesaurum habent in vasis fictilibus! Quid facient tabulae, ait S. Gregorius a), si tremunt columnae, aut quomodo virgulta stabunt immobilia, si ... etiam cedri quatiuntur? Christus Dominus permisit lapsum Petri, pulchre declarat S. Leo, ut nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec Petrus potuisset evadere.

Timeamus igitur, fratres, timeamus semper, etiamsi magna fruamur quiete et suavitate amoris. Nautae, dum e portu solvunt, flante favonio, scribit S. Franc. de Sales b), non ideo amittunt accipere rudentes et anchoras, quae tempore tempestatis sunt necessariae; anchora cordis nostri autem est pondus timoris, ut ait S. Gregorius c). Magni reges, quamvis actu non sint in bello, muniunt tamen castra sua; nos vero his in terris continuum fere bellum gerere debemus contra carnem, mundum et diabolum. Imitemur exemplum sanctorum, quorum securitas plena timoris erat. Timore correpti salutaria

---

a) Moral. l. 24. c. 17.
b) De amore l. 11. c. 17.
c) Lib. 6. Mor. c. 24.

concipiemus desideria (S. Laur. Just. *), consilia provida, sanctos cogitatus, affectus pios, vota castissima, e quibus prodibunt laudabilia opera virtutum. Beatus vir timens Dominum, timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit et liberabit a malis (Eccl. 33, 1.); timenti Dominum bene erit in extremis et in die defunctionis suae benedicetur (Eccl. 1, 13.), sicut mox videbimus in obitu S. Thomae.

Cum sanctus iste Praesul nonnisi conscio et consentiente Imperatore episcopatui suo renuntiaturus esset; saepius litteris ad eum datis veniam dignitati suae renuntiandi atque ad monasterium suum redeundi postulabat. Nec tamen exauditus est. Imperator speciosis eum responsis detinuit. Itaque in oratorium suum ad sacram Crucifixi imaginem (coram qua quotidie mane et vespere preces fundere consueverat) confugit, saepius orans, ut Dominus cor Caesaris moveret ad concedendum, quod toties flagitaverat. Quadam die (quidam putant 2da mensis Februarii, alii quadam die mensis Martii anni 1555.), cum in loco hocce dolorem suum effusis lachrymis ac piis ad Jesum querimoniis solito ardentius expressisset; vidit repente Crucifixi labia reserari, audivitque vocem haec verba proferentem: Aequo animo esto; in die nativitatis matris meae venies ad me. — Faustissimo hocce nuntio recreatus Thomas in coelestis patriae delicias, a quibus non procul abesse intellexerat, tanto mentis ardore exinde ferebatur, ut coeli potius civibus, quam terrae incolis accensendus videretur, praeparans se, etiamsi nunquam im-

*) Lib. 2. de spir. animae resurr.

paratus fuisset, peculiari modo ad mortem, majores praeprimis — collatis circa Pascha inter aerarii praefectum et oeconomum rationibus — eleemosynas pauperibus elargiendo.

Apud quem nos in tristitia cordis nostri solatium quaerimus, dilectissimi? — Anne ad pedes Crucifixi? — Quomodo nos mortis nuntium exciperemus? — Anne coelestem patriam anhelamus? — Anne quotidie ad mortem parati sumus? —

Optatissima tandem accessere tempora remunerandis s. viri laboribus, divino oraculo praefinita. Ergo 29. Augusti anni 1555., cum pridie S. Patris Augustini solemnia celebrasset, sacris operatus, angina corripitur, nec multo post febri. Alacri vultu suscepit infirmitatem vir sanctus ac sustulit patientia insigni, conformata penitus voluntate sua cum divina. Cernensque malum perseverare, imo et incrementum capere, excussa quam diligentissime conscientia atque instituta confessione generali totius anteactae vitae noxas poenitentiae sacramento diluit. Secunda Septembris die in feriam secundam incidente sanctissimum Christi corpus — unicum ad patriam transituris viaticum — afferri postulavit, quod ab Episcopo Suffraganeo (Segriano) solemni ritu iisque pietatis significationibus accepit, ut adstantes ex collegio canonicorum et clero in lachrymas solverentur. Tandem adstantes canonicos et clericos in nomine Domini obsecrabat, ut status sui obligationem, quantumque ab exemplo ecclesiasticorum populi mores penderent, respicerent. Commendans dein iis enixe amorem ac timorem Domini, obedientiam erga S. Rom. Ecclesiam ejusque doctrinam, pietatem et misericordiam in pauperes, ora-

bat, ut pro anima ipsius et pro obtinendis a Domino bonis episcopis preces multas funderent, beneque iis precatus est.

O quam gratum angelis et hominibus spectalum, tali ratione ultimum vitae suae momentum exspectare! Quantopere autem dolendum, si etiam sacerdotes infirmitate pressi murmurant, impatientes, queruli, servitium praestantes offendunt, sacramentis refici recusant!

Interea urbem universam impleverat periculi fama, in quo posita erat Thomae vita, ac simul bonorum omnium corda incredibili moerore cumulaverat. Hinc institutae plerumque ante prandium et per omnes ejusdem hebdomadae dies continuatae ex ecclesia principe aliisque paroeciis ad celebriora templa supplicationes, innumeris civium agminibus refertae, quas non solum artifices et de plebe homines, sed etiam clerici ejusdem ecclesiae omnes, equites, viri nobiles, matronae plures primariae comitabantur, quorum multi nudis pedibus, omnes moesto vultu et lachrymantes, ii praesertim, quorum familiae Thomas succurrebat, incedebant; ubique publicae ad Deum preces, crebris singultibus interruptae, ut amantissimum pastorem ac pauperum patrem Valentinae Ecclesiae adhuc servaret incolumem.

Dolorem nonnihil temperavit felix nuntium subsequenti feria quarta promulgatum, medicos nimirum remissam morbi vim, non sine aliqua valetudinis spe, testatam reliquisse. — Sed nihil ea decrescentis infirmitatis species S. Praesulis animum ab imminentis mortis cogitatione removit. — Propterea extrema daturus beneficentiae monimenta, jussit feria 5ta omnem pecuniam colligi, illamque (5 millia

aureorum) confestim pauperibus per singulas paroecias erogari. Id cum plures ad hoc constituti per urbem discurrentes praestitissent, nuntiatum est s. Praesuli feria 6ta tempore vespertino, pecuniam quidem pauperibus, quorum notitia hauriri potuisset, pro cujusque statu abunde traditam, exstare tamen ducentos supra mille aureos. His auditis, videte, inquit, ne pecunia illa hac nocte domi haereat; ite, effundite illam statim in pauperes, aut iis forte non inventis ad xenodochium deferte. Cur hic me detinetis adhuc? Sentio enim, tam diu producendam mihi vitam, quamdiu aliquid pauperibus donandum habeam. Itaque iterum et diligentius conquisiti a familiaribus pauperes, queis pecuniae, quod erat reliquum, distribueretur. Nuntiantibus, omnes nummos, ne uno quidem relicto, esse erogotos, reposuit: Ita vos gaudio et solatio perfundat Dominus Deus, uti me delectastis et consolati estis verbo isto, et conversus ad sacram Crucifixi imaginem, quam in oratorio servare consueverat, quamque, ut morbo correptus fuit, ex adverso strati sui collocari jusserat, visus est oculis fletu perfusis innumeras agere Domino gratias, quod nec denarium possidens, pauper ex hae vita discederet, consecutus, quod tota vita concupierat. Voluptas haec aliquantum imminuta est ab aerarii praefecto dicente, eo ipso die aliquid pecuniae a se esse receptum, sed et superesse domus supellectilem. Utrique incommodo illico occurrendum censuit S. Praesul, imperans pecuniam partemque supellectilis inter famulos dividi, reliquam supellectilem ad collegium a se erectum asportari. Quod cum fieret, non adfuerat custos carceris. Id postmodum intelligens S. Praesul, vocari jusso

dixit: Frater, quoniam hic praesens non adfuisti, nemo tui memor fuit; jam nihil est, quod dem tibi, resve nulla superest praeter hunc lectum; eum tibi lubentissime concedo; testes sint hi adstantes, jam a me tibi traditum esse et ex hoc ipso momento esse tuum. Annuit dein familiaribus, ut ipsum in storea reponerent lectumque pauperi inde asportandum traderent. Obnitentibus illis, quod nonnisi cum apertissimo vitae discrimine id aggredi liceret, pauperem enixe humiliterque rogavit, ut lectulum, cujus dominium nactus erat, sibi concederet, donec efflaret animum. Quod cum impetrasset, conversus ad eandem Crucifixi imaginem: Laus tibi sit, inquit, sempiterne Redemptor mi, quod, sicut non habuisti lectum, in quo spiritum redderes praeter istam crucem, eam mihi gratiam concedas, ut et ego vitae cursum absolvam in alieno et commodato lecto.

Quoscunque infirmitatis suae tempore ad se accedentes eadem familiaritate ac vultus alacritate, qua sanus consueverat, excipiebat ac dignis tanto viro sententiis ad promovendam Dei gloriam hortabatur; nec defuere, qui morientis Praesulis monita plus quam perorantis verba sibi fuisse utilia faterentur.

Interim concepta prioribus diebus valetudinis spes medicorum judicio evanuit. Rogaverat autem ipse S. Praesul amicos suos, episcopum Segrianum, confessarium, magistrum Porta et Petrum de Salamanca, qui continuo praesentes aderant, ut, judicantibus medicis, mortem esse propinquam, commonefacerent. Itaque quatuor isti amici et familiariores ad lectum appropinquantes aliquanto temporis spatio constitere, non valentes profari verbum, eoque silentio ac vultus tristitia cruciatum cordis

probe denotantes. Haesitantes, ut ad edicendum, quod vellent, alliceret, rogavit S. Antistes: Quid ajunt medici? — Se de vita Tua spem non esse deposituros, subjecit episcopus Segrianus, si modo Dominatio Tua emitteret pituitam; at vero, cum pectus adeo coangustatum perspiciant, mortem sibi videri indubiam. — Haec ipso verba proferente, nemo omnium lachrymas cohibere voluit; at ipse sanctus vir consolatus est eos inquiens: Quoniam christiani estis pii ac docti, nolite contristari nuntio animae meae adeo jucundo, conversusque ad Crucifixi imaginem magna pietate ac hilari vultu: Laetatus sum, ajebat, in his, quae dicta sunt mihi, mox subdens: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, secus cupio dissolvi et esse Tecum.

Vespere ejusdem diei solus relinqui voluit. Abiere igitur omnes ad conclave junctum cubiculo, in quo jacebat; ipse vero mentem suam in coelestium rerum meditatione defixam tenuit magnaque pietate Domino se commendavit. Ad tintinnabuli signum intrabant episcopus Segrianus et reliqui, qui constanter exspectaverant. Volebat nunc sacro inungi oleo, quod etiam factum est sub horam noctis decimam. — Postquam S. Antistes eximia pietate sacramentum extremae unctionis suscepisset: accedentes ecclesiae cathedralis Canonici multis precibus orabant, ne alio in loco, praeterquam in eorum ecclesia, sepulchrum eligeret, sed inter eos, quos filiorum loco hactenus habuisset, corpore saltem post mortem degere dignaretur; hoc favore imminutum iri, utcumque vehementem luctum, quem ipsi ac tota ecclesia ex obitu ejus persentiscerent. Gratiis omnibus de benevolentia sibi exhibita actis, significavit

S. Praesul, se velle, cum monachus sit et religiosus S. Patris Augustini, in monasterio Beatae Mariae de Succursu, a religiosis Ordinis sui inhabitato et extra muros civitatis sito, inter fratres recondi; monasticae professionis in archiepiscopali dignitate se nunquam esse oblitum, propterea ab illa ne post mortem quidem recedendum judicare. Dein addidit: Caeterum Dominum deprecemini, ut in coelum me recipiat. Si enim divina ipsius bonitas, non attendens ad delicta mea, sed ad infinitam suam pietatem ac misericordiam meritaque pretiosi sanguinis sui, me in gloriam suam introducat: nec unquam illic ecclesiam ac civitatem hanc dabo oblivioni, nec minus amabo post obitum, quam amaverim, dum hic vixi.

Abierunt dein Antistite sic volente; ipse autem per horas aliquot quievit, neminem saltem tintinnabuli signo appellavit usque ad horam quartam matutinam. Tum jussit adesse confessarium, confiteri cupiens occasione festi Beatae Mariae Virginis et revera confessus est; quoniam autem malo sic constrictae erant fauces, ut sanctissimum sacramentum sumere non valeret, voluit spiritualiter refici in hujus vitae exitum. Aram igitur in cubiculo erigi jussit ibique sacrosancta mysteria celebrari hora septima. Interim (usque ad hoc tempus) S. Joannis Evangelium, in quo extrema Christi Domini supplicia enarrantur, audivit, lectorem interdum monens, ut subsisteret, quo vividius sententiarum meditatione mentem exerceret; sacro dein attentione extraordinaria interfuit ac Dominum Deum in sanctissimo sacramento summa devotione adoravit. Post elevationem calicis pronuntiare coepit psalmum trigesimum: In te Domine speravi, voce admodum lenta et inter

continuo manantes ex oculis lachrymas; venerabili autem ejus vultu, quo magis ad finem appropinquabat, eo sereniorem et alacriorem speciem induente. Cum verba: „In manus tuas Domine commendo spiritum meum" protulisset, sacerdos sanctissimum sacramentum suscepit, eoque susceptionem finiente simul vir sanctus, vitam finiens, animam suam clementissimis Redemptoris sui manibus reddidit, nullam expertus perturbationem, commotionem aut vultus contractionem, remanente facie ejus candida et formosa, ita ut cor spectantium vita functum dolore conficeretur et simul solatio perfunderetur. —

O quam dulcis mors Sancti hujus, exclamas frater, quam felix reditus in patriam, quam jucunda translatio de hoc mundo in vitam aeternam! Vere pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus (Psalm. 115, 15.). Justorum animae in manu Dei sunt et non tanget illos tormentum mortis (Sap. 3, 1.). Dominus protegit eos, Dominus consolatur eos, ut procul fugiat timor et dolor. Mors illorum est finis laborum, victoriae consummatio, perfectae securitatis ingressus. (S. Bernard. in quadam epist.) Utinam et ego tali modo finem vitae meae imponere, utinam et ego ita dulciter in Domino obdormire, adeo tranquille tabernaculum meum deponere, ad coelestem Jerusalem migrare, ad Christum Salvatorem meum pervenire possem!

Facile remedium, siquidem sincere id optas. S. Thomas bene mortuus est, quia bene vixit; tranquille obiit, quia fortiter pugnavit; terrena facile deseruit, quia illis nunquam adhaesit; cum Christo esse desideravit, quia fideliter cunctis diebus ipsi servivit. Qualis *vita*, talis mors, saltem in regula.

Mors est echo vitae; nihil aliud respondet, quam quod vitae tuae voce protulisti; est speculum, non aliud repraesentans, quam quod egisti. Bona ac sancta mors regulariter a sancta et perfecta vita dependet, non secus ac mala mors et infelix ex mala corruptaque vita promanat. — Fratres! nolite errare, scribit S. Paulus ad Galatas (Gal. 6, 7. 8.), Deus non irridetur. Quae enim seminaverit homo, haec et metet. Deus reddet unicuique secundum opera ejus (Rom. 2, 6.). Non potest male mori, ait S. Augustinus a), qui bene vixerit, et vix bene moritur, qui male vixit. Si provocas ad latronem in cruce, cui Dominus paradisum promisit, respondeo cum divo Augustino: Unus, ne confidas; unus, ne desperes! Vive itaque bene, et non morieris male; ut autem bene vivas, *memento* quotidie *mortis* tuae strictique judicii divini; nihil enim sic revocat a peccato, uti ait S. Augustinus b), quam frequens mortis meditatio; in omnibus operibus tuis, ait Ecclesiast. 7, 40. memorare novissima tua et in aeternum non peccabis. Qui se quotidie recordatur esse moriturum, ait S. Hieronymus c), contemnit praesentia, et ad futura festinat. Nil quod transeat, appetit, ait S. Gregorius d), cunctis vitae praesentis desideriis contradicit et pene mortuum se considerat, quia moriturum se minime ignorat. — Noli dicere, robustae corporis mei vires, animi vigor, aetatis flos omne mortis periculum quam longissime adhuc abesse secure mihi promittunt; contrarium affirmant sacrae litte-

a) In doct. christ.
b) Lib. exhort.
c) Thom. Hyb. Flores Doct. p. 558.
d) Lib. 22. Moral.

rae, ipsa quotidiana experientia oppositum te docet. Nonne multi sane dormierunt, ait S. Augustinus *), et obdormierunt? Nonne casus nostros nobiscum in hac carne portamus? Nonne fragiliores sumus, quam si vitrei essemus? Homo quasi flos egreditur et fugit velut umbra (Job. 14, 2.), de mane usque ad vesperam finiet vitam, in dimidio dierum suorum vadet ad portas inferi (Isai. 38, 10. sq.). De die illa (mortis) vel hora nemo scit (Sec. Matth. 24, 36. 25, 13.). Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines (a morte) (Eccl. 9, 12.). Cogita igitur quotidie mortem, praepara te quotidie ad mortem, et profecto, quacunque demum die, quacunque demum hora, sive mane, sive media nocte, laetus et cum plena in voluntatem divinam resignatione nuntium mortis excipies et in manus Domini spiritum tuum commendabis.

Thoma vita functo mox Canonici ecclesiae cathedralis aere campano signum dari jusserunt in templo principe et in omnibus paroeciis idemque factum est in monasteriis universis. Nuntium, Archiepiscopum obiisse, dolorem in urbe excitavit, cui ad vivum describendum nec calamus nec verba sufficerent. Protinus obsessae palatii fores plorantium agminibus, anxie demortui Praesulis vultum intueri cupientium, quo extremo solatii genere infortunii acerbitas aliquatenus levaretur. O Valentia, ajebant multi, tam ecclesiastici quam laici suspirantes, quam gravi flagello a Deo corriperis! Non eramus ipso digni, ingeminabant alii, peccata nostra sustulerunt ipsum. Pauperes praesertim discurrebant per plateas

*) In serm.

plorantes et alta voce ac suspiriis audientium omnium cor perfodientibus dicentes: Quid agemus sublato e vivis patre nostro, sublata tutela et consolatione nostra? Non erat illa die, nisi planctus et gemitus.

Dum funus solemni pompa duceretur, octo pauperum millia inter civium sese invicem prementium turbas distributa miserandum oculis auribusque spectaculum exhibebant; tot quippe fuere ejulatus, tam inconditae patris jacturam dolentium voces, ut urbem aut terrae motu quassatam, aut hostium ad caedem direptionemque omnia pertrahentium incursione oppressam credidisses. Comitati sunt quoque Magistratus et Gubernator cum aliis civitatis administratoribus, universa nobilitas, ac gens primaria Valentiae et innumera populi multitudo, incedentes in tristi et mirabili silentio. Clerus ipse amantissimo pastore destitutus stupenti similis haerebat, singultibus lachrymisque vocis ministerium praepedientibus. Luctus tantus apparuit, quo magis tristem nulla antea, quantumvis dura calamimitas e civium oculis potuit extorquere. Tantum boni in uno Archiepiscopo se amisisse universa civitas agnovit, tantaque mansit ejus nominis fama, ut postea *Thomas bonae memoriae*, Archiepiscopus bonae memoriae, *Sanctus* appellaretur. Accedebant miracula, in immensum aucta post mortem S. Praesulis. His omnibus permotus Paulus V. instante etiam Philippo III. Hispaniarum rege Thomam Beati donavit titulo, anno sexagesimo tertio post ejusdem obitum. Tum vero Alexander VII. illum Sanctorum solemniter fastis adscripsit anno post Christum natum sexcentesimo quinquagesimo octavo supra millesimum, die prima Novembris.

Sit nobis quoque in bona memoria divus Thomas, fratres; imitemur ejus vitam, ut assequamur ejus gloriam.

Te autem Deus, qui Beatum Thomam Pontificem insignis in pauperes misericordiae virtute decorasti, quaesumus, ut ejus intercessione in nos et omnes, qui Te deprecantur, divitias misericordiae Tuae benignus effundas per Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus in saecula saeculorum. Amen. —

Index.

V i t a
S. Thomae Aquinatis.

I. Nativitas, juventus ac aetas virilis D. Thomae Aquinatis.

Delineato, in quantum nobis pro fragilitate virium Dei gratia licuerat, vitae divi Thomae a Villanova curriculo, ad describendam alterius Thomae, qui saeculo 13. post Christum natum floruerat, vitam nos accingimus.

Non defuere nostris temporibus, qui variis statum ecclesiasticum conviciis impeterent atque calumniarentur, tamquam eorum tantum sustentationi destinatum, qui imbecilles spiritu, adeoque obeundis aliorum statuum muneribus minus idonei essent, vel labores fugerent, otium adamarent. — Jam etsi libenter concedamus, non omnes, qui militiae ecclesiasticae nomen dederunt, aequali et quidem praecellenti ingenio pollere (et quaenam, dic quaeso, societas, qui status hacce praerogativa gloriari posset?); etsi libenter concedamus, dari quosdam, qui officia status sui minus curent, otio atque ignavia torpeant vel rebus profanis saecularibusque justo plus se implicent: nihilominus non desunt, nec umquam defuerunt viri ecclesiastici, qui praeclaro prorsus ingenio praediti, singulari diligentia ad varias, praeprimis ecclesiasticas disciplinas incumberent, mira eruditione quasi splendor firmamenti fulgerent (Daniel. 12, 3.), coaevos suos illustrarent imo et posteris lumen affunderent, viri, qui scientia non contenti, virtuti imprimis studerent, Deum super omnia diligerent, totis viribus pro gloria Dei et sa-

lute populi laborarent. — Quos inter eminet divus Thomas Aquinas, Ordinis Praedicatorum decus singulare ac splendidissimum, Ecclesiae catholicae Doctor, *angelicus* dictus, et scholarum universi orbis christiani magister, de illustri in regno Siciliae comitum Aquini genere, amplius morum, vitae et scientiae claritate conspicuus, quam genitorum nobilitate praeclarus. Natus est Thomas sub initium anni millesimi ducentesimi vigesimi quinti, ut quibusdam placet, vel secundum alios millesimi ducentesimi vigesimi septimi, in castro Rocchae — Siccae (vel Rupis — Siccae) in confinio regni Siciliae et Campaniae. Landulphum Aquini comitem castrorumque montis S. Joannis et Rupis — Siccae dynastam et hujus paris nobilitatis cònjugem Theodoram, ex comitibus Theanensibus oriundam, parentes habuit; germanos duos natu majores Reginaldum et Landulphum, in exercitu Friderici Imperatoris duces clarissimos, sorores quatuor.

Quinquennis secundum morem magnatum ejus regni monachis Cassinensibus (quibus tum praeerat Abbas Landulphus, ejus patruus) traditus est ad pietatem et primas litteras informandus. Haec prima educatio votis parentum apprime respondit. Puer in tenera illa aetate erat, non verbis garrulus, non dissolutus et vagus discursibus, sed ab omni puerili levitate alienus, quietus, taciturnus, in quantum ostendere poterat, in oratione devotus, miroque modo et divino quasi ductus instinctu *Deum scire quaerebat.* Quae certa et matura futurae perfectionis indicia cum Abbas praedicti monasterii adverteret, patri Thomae provide consuluit, ut puer Neapolim mitteretur ad studendum. Itaque decennis circiter e

Cassinensi monasterio eductus Neapolim mittitur, ubi Petro Hyberno ac Martino magistris operam dedit, sub isto litteras humaniores, sub illo philosophiam addiscens. In quorum scholis tam luculenti coepit esse ingenii et perspicacis intelligentiae, ut clarius aliis audita repeteret, quam a suis doctoribus audivisset.

Ne igitur commissum sibi naturalis ingenii talentum, dono gratiae spiritus augmentatum, sub terra absconderet: ordinem fratrum Praedicatorum — diu cordis desiderio affectatum — ingressus est, duce Joanne de S. Juliano, viro ejusdem ordinis fama et opinione praeclaro, anno post Christum natum millesimo ducentesimo quadragesimo tertio et in coenobio S. Dominici ibidem circa mensem Augustum vestem induit, Thoma Agni de Lentino coenobii tunc Priore, postea Archi-Episcopo Cusentino et Patriarcha Hierosolymitano.

Mirati sunt nobiles civitatis, quod tam nobilis juvenis parentum domum desereret et tam claram stirpem sub pauperis ordinis habitu occultaret; fratres vero praedicti ordinis exultaverunt in Domino, tam nobilem et mirabilem juvenem sibi esse divinitus destinatum, quem jam sperabant ad magnum scientiae apicem perventurum; hinc de custodia tam pretiosi thesauri solliciti et amantissimae matris Thomae seu blanditias seu minas verentes, juvenem adjunctis ei quatuor de ordine sociis quantocius Romam ad conventum S. Sabinae, Romaque rursus Lutetiam Parisiorum ablegarunt. Mater re cognita, consilium Thomae, ut videtur, indigne ferens, statim assumpto suorum honorabili comitatu Neapolim venit et non invento filio Romam petiit; ast hic quo-

que visione tam dilecti filii privata, ad filios suos, qui erant cum Friderico Imperatore in castro Aquaependentis (Tusciae regionis), specialem nuntium misit, mandans eis, ut Thomam, quem fratres Praedicatores induerant sui ordinis habitum, e manibus sociorum eriperent et ad se sub bona custodia mitterent. Qui maternum volentes implere mandatum, exposito coram Imperatore matris jussu et accepta licentia, per vias custodias miserunt. Contigit revera, ut fratrem, juxta fontem quemdam paululum cum sociis quiescentem et nihil sinistri suspicatum, invenirent, in quem dein, non ut fratres, sed ut hostes irruerunt. Ast non valentes ipsum exuere habitu ordinis, quem fortiter tenebat assumptum, et timentes, ne juvenis propter illam injuriam turbatus periculum aliquod incurreret, dimissis aliis fratribus ipsum sic indutum satellitibus stipatum matri transmiserunt. Quem mater cum vidisset cum gaudio, nec posset inducere ad praedictum habitum deponendum, fecit ipsum custodiri in castro S. Joannis, in quo per annum circiter detentus fuit, accessu cujuscumque fratris ex ordine severe prohibito.

Interim fratres Praedicatores, plurimum turbati, ad summum Christi Vicarium, Innocentium Papam quartum, qui tunc erat in Tuscia, cum gemitu accesserunt. Coram quo querela proposita, quod indulgente Imperatore tantus excessus contra ordinem esset admissus et quod carnalium fratrum affectio, quasi fera pessima, devorasset Joseph: summus Pontifex Imperatorem, qui erat in regione propinquus, requisivit, ut dignam faceret de raptoribus pro conveniente satisfactione vindictam. Et revera Imperator, metuens Pontificis indignationem, si non stu-

deret excessum per justitiam emendare, jussit praedictos fratres Thomae germanos comprehendi. Fratres autem ordinis Praedicatorum timentes, ne ex hoc ordini scandalum et conscientiis suis periculum immineret: a proponenda querela penitus destiterunt, maxime cum audissent, juvenem etiam in carcere detentum constanter tenere habitum.

Thomas interim, ut certam faceret per bona opera vocationem suam, orationi, contemplationi, et lectioni totum se donavit; integram sacram Scripturam perlegit, textum sententiarum didicit et, ut dicitur, etiam tractatum fallaciarum Aristotelis pervolvit, item sorores suas sacras litteras docuit, nullisque persuasionibus, tentationibus, minis, injuriis a proposito suo dimoveri potuit, imo, quo plures ictus impugnatus accepit, eo plus roboris ex impugnatione collegit; sororem, quam parentes ad eum seducendum miserant, ad amorem Dei et contemtum mundi suis monitionibus et exemplis induxit, quae dein habitum religionis S. Benedicti accipiens, Abbatissa monasterii S. Mariae Capuae facta est; fratribus suis, qui animum ejus jam persuasionibus emollire, jam terroribus frangere, jam injuriis perturbare satagebant, fortiter restitit, et cum ipsi habitum ordinis ei dilaniari fecissent, ut prae verecundia dilaniatum deponeret et alium indueret, laceratis partibus se involvit. Itaque cum nihil proficerent, aliud genus impugnationis excogitaverunt, quo turres solent concuti, saxa molliri, cedri Libani suffodi, in quo cunctos invenimus pugiles, paucos prae difficultate victores. Miserunt nempe ad ipsum solum existentem in cubili, in quo dormiebat, puellam pulcherrimam, cultu meretricis ornatam, quae ipsum

aspectu, tactu, ludis et quibus posset aliis modis, alliceret ad peccandum. Quam cum vidisset pugil invictus, qui sibi jam Dei sapientiam sponsam acceperat, cujus amore flagrabat, et sentiret in se carnis insurgere stimulum, quem semper rationi subjectum tenebat, accepto de camino candenti titione, juvenculam de camera cum indignatione expulit, et accedens in spiritus fervore ad angulum camerae signum crucis in pariete cum summitate titionis impressit et prostatus ad terram cum lachrymis petivit a Deo orando perpetuae cingulum virginitatis, quod servare ipsi concesserat in pugna incorruptum. Qui cum haec orando subito obdormisset, ecce duo angeli, asserentes, eum a Deo exauditum, stringunt ipsum hinc inde in renibus dicentes: Ecce ex parte Dei te cingimus cingulo castitatis, quod nulla poterit de caetero impugnatione dissolvi, et quod haberi non potest merito humanae virtutis, conceditur tibi divinae largitatis dono. In qua constrictione angelici tactus cum dolorem sensibilem percepisset, excitatus est cum clamore; at quaerentibus, ad quid clamasset, revelare noluit donum divinitus sibi datum, revelavit autem postea socio suo Reynaldo, qui illud ad laudem Dei patefecit. Atque ex illo tempore d. Thomas virginitatem suam, quam in tam gravi pugna invictam servavit, usque ad obitum suum custodivit inviolatam; mulierum vero aspectum semper abhorruit, et earum consessum, colloquium, convictum pro viribus vitavit. —

Ecce, fratres dilectissimi, juvenem vere a Deo ad statum religiosum vocatum, juvenem vocationem suam agnoscentem, et in agnita fortiter perseverantem! Si quaeritis vitam sine crimine, adolescentiam

nulla sorde commaculatam, sincerum virtutis studium, amorem Dei et proximi, ingenium, scientiam, propensionem voluntatis, intentionis rectitudinem, consilium viri sapientis piique: omnia in Thoma invenietis. Utinam omnes, qui ad statum ecclesiasticum vel plane religiosum anhelant, exemplum hujus juvenis sequerentur! Utinam omnes, utrum a Deo *vocati* sint, strenue examinarent! Utinam precibus continuis et fervidis illuminationem Spiritus sancti efflagitantes, non modo amoenitates, commoda, proventus, privilegia, dignitatem, verum etiam multitudinem officiorum et gravitatem, onera status ecclesiastici et religiosi strictumque judicium divinum, quod membra status hujus manet, perpenderent et ponderarent! Utinam se ipsos bene noscerent, ac, etiamsi vitiis non dediti, tamen amore virtutis destituti, mortificationem carnis abhorrentes, verae osores pietatis, literarum inscii, solitudinis, studii non intermissi inimici, sine spiritu humilitatis et obedientiae, vacillantes in fide, mundi amatores, numquam ad statum tam sanctum accedere auderent! — Urgeant parentes, amici, cognati, orent, flagitent lachrymantes vel in iram conversi minas intentent, auxilium subtrahant, e domo eos ejiciant; — nil horum eos moveat; quam diu vivunt, non tangant arcam Domini, ne forte ob tale ausum perculsi a Domino una cum commisso sibi grege pereant! Matres multae, ait S. Chrysostomus *), corpora natorum suorum amant, animas autem contemnunt; desiderant illos valere in saeculo isto, et non curant, quid sint passuri in alio, ut ostendant, quia corporum sunt parentes et non animarum. Anne votis

*) Hom. 35. in Matth.

earum, voto ac precibus matris filiorum Zebedaei similibus, dein obsequendum? Anne periculum salutis ob vanam complacentiam vel effugiendam vanam iram incurrendum? — At vero, reponis, si ita res est, ubi amor parentibus et cognatis debitus, ubi reverentia? Anne simul et odisse possumus et diligere? — Utique per discretionem id agere valemus, ut observat S. Gregorius a), ut eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, quos proximos novimus, diligamus et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus. Oportet sane et parentes venerari, ait S. Theophilus b), sed magis oportet venerari Deum. Et S. Ambrosius c): Est vera pietas, quae praeponit divina humanis, perpetua temporalibus. — Quanto moerore confici deberet cor parentum vel cognatorum, si post paucos annos filium et dilectum suum veste quidem sacra indutum, ast statu suo incontentum, officia ejus negligentem, tepidum, moribus profanis et scandalosis sanctitati vocationis contradicentem cernerent! Tunc demum, licet frustra, poeniteret eos pessimi, quod filio dederant, consilii, minarum, precum, et quibuscumque usi fuerant ad commovendam filii voluntatem. Tunc demum errorem suum agnoscerent et amare deflerent.

Quemadmodum autem voluntati parentum et cognatorum ad statum ecclesiasticum, quin vera vocatio adsit, filios et propinquos trahentium fortiter resistendum: ita nec illis, si vocatio vera adsit et illorum voluntas absit, parendum. Deo enim vocanti

a) Hom. 37. in Evang.
b) In c. 8. Matth.
c) Ep. 66. ad Romul. n. 7.

magis, quam parentibus carnalibus obtemperandum. Talibus in adjunctis valent verba Salvatoris (Luc. 14, 26.): Si quis non odit patrem suum et matrem suam, — non potest meus esse discipulus. Et verba Moysis (Deut. 33, 8—10.): Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo ... qui dixit patri suo et matri suae: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro vos, et nescierunt filios suos. Hi (Levitae) custodierunt eloquium tuum, o Jacob; ponent thymiama — et holocaustum super altare tuum. Quisquis jam aeterna concupiscit, ait S. Gregor a), in ea, quam aggreditur, causa Dei extra patrem, extra matrem, extra uxorem, extra filios, extra cognatos, extra se ipsum fieri debet. Et S. Augustinus b): Qui non renuntiat omnibus, quae sunt ejus, non potest meus esse discipulus (verba Domini). In eo, quod unusquisque renuntiat omnibus, quae sunt ejus, etiam illud continetur, ut oderit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores. Omnia enim haec propria ejus sunt, quae plerumque implicant et impediunt ad obtinenda — non ista propria, temporaliter transitura, sed in aeternum mansura, communia. Gladium tenet hostis, ut me perimat, ait S. Hieronymus c), et ego de matris lachrymis cogitabo? Propter patrem militiam Patris deseram, cui sepulturam Christi causa non debeo? — Domino passuro timide Petrus consulens scandalum fuit, Paulus retinentibus se fratribus, ne Hierosolymam pergeret, respondit (Act. Ap. 21, 13.): Quid facitis flentes et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari sed et

a) Hom. 37. in Evang. Tom. I.
b) Ep. 38. Laeto n. 2 et 3. Tom. II.
c) Ep. 1. ad Heliod. pag. 2. lit. D.

mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu.

Haec principia secutus est D. Thomas, cum nullis parentum, fratrum, sororum precibus, adhortationibus, minis et tentationibus, ut desereret statum, ad quem a Deo se vocatum senserat, moveri se passus est. Admiremur, fratres, fortitudinem juvenis hujus, constantiam mentis ejus, perseverantiam in bonis propositis. Admiremur et laudibus extollamus insolitam, quam de tam difficili pugna reportavit, victoriam. Vere spectaculum angelorum aspectu dignum! Juvenis in carcere fugat feminam ad mala tentantem titione candente. Quis tibi ornatam aspicienti feminam et jamjam stimulum carnis sentienti horrorem sanctum incussit, pugil invicte? Quis te armavit? Quis tibi tantam fortitudinem inspiravit? Quis tibi consilium hoc prudens suggessit? — Alias in fuga salus! Tu autem, fugere non valens, utpote bene custoditus, sine mora intrantem fugere fecisti. Deus, qui te elegit, ut servires ei in ministerio tabernaculi, Deus, qui vias tuas et gressus tuos usque ad hunc diem benigne direxit, Deus, qui te adhuc infantulum, cum exorta horrenda tempestate fulgur castri turrim concussisset, e periculo mortis eripuit: ille omnipotens, benignus ac misericors Deus adstitit tibi consilio et auxilio suo. Tu praesentem cogitasti, tu Deum et creatorem tuum amasti, tu judicem severum timuisti. Videns praesens periculum, ingens praecipitium, non deliberas diu, quid agendum foret, sed agis; vis mori potius, quam foedari, a Christo Jesu separari. Hinc daemonem fugas et procumbens ante imaginem crucis in pariete formatam gratias Salvatori refers, ejus

auxilium contra futuras tentationes implorans. O gloriosum triumphum, o magnum meritum, o insolitum praemium! Angeli descendunt de coelis et te stringunt, dono castitatis ornantes. Felix pugna, quae tantum sortita est effectum, quae uno ictu omnes devicit tentationes, pacem securam reddidit, de hoste maligno pro omni futuro tempore triumphavit, *Angelici* nomen victori promeruit! — Sit nobis actus iste heroicus divi Thomae exemplo, fratres dilectissimi! Amemus castitatem mentis et corporis, et in quacumque carnis tentatione ad Deum, amatorem castitatis, recurramus consilium et arma ab ipso petentes! Pater coelestis non derelinquet filios suos, Christus Dominus juvabit nos. Qui vicit semel pro nobis, vincet semper in nobis a), modo ipsi tentationes non quaeramus et tentati ad sanguinem usque resistamus (Heb. 12, 4.).

Sanctus juvenis (Thomas) in carcere quidem detentus fuit, sed ideo otio non indulsit. Vacavit precibus, contemplationi, lectioni praesertim sacrae scripturae et studio. Hoc modo solitudo carceris facta est ipsi amoena, utilis, salutifera. Captivus corpore liber erat mente, animo felix, tranquillus corde. Ita quilibet, in quibuscumque rerum adjunctis positus, potest esse quodam sensu faber fortunae suae, ex se ipso beatus timore Dei, labore, industria. Dico, ait S. Ambros. b), beatam vitam consistere in altitudine sapientiae, suavitate conscientiae, virtutis sublimitate. Quid hoc bono melius, exclamat S. Augustinus c), quid hac felicitate felicius, vivere Deo,

a) S. Cyprian.
b) De offic.
c) De spir. et lit.

vivere de Deo! — An non tu quoque, frater perdilecte, hancce felicitatem consequi potes? — Quid te impedit, sitire sapientiam, amare virtutem, servare conscientiae tranquillitatem? Quid te impedit, orare, meditari, coelestia desiderare, Deo et de Deo vivere? Anne locus habitationis tuae? Anne tempus diei vel noctis? An aetas tua juvenilis? An solitudo, an paupertas, lacera vestis, despectus hominum, tentatio, tribulatio, angustia? Ecce, talia et Thomae obtigerunt et tamen Deo vixit, Deoque vivendo felix, beatus fuit. — Ipse tempore captivitatis suae integram sacram scripturam pervolvit. — Quoties tu integram sacram scripturam legisti? Et quocum fructu illam legisti? — Thomas docuit sororem suam sacras litteras eamque ab amore mundi ad amorem Dei perduxit. — Quosnam tu erudisti? Quosnam tu ad meliorem vitam induxisti? Disce tempore tibi concesso, disce otio uti in bonum. Qui enim seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet (II. Cor. 9, 6.). Quam vera haec sententia sit, apparebit mox ex ulteriori vitae divi Thomae historia.

II.

Anno 1244., postquam per annum circiter detentus, frustra de abjicienda veste Dominicana tentatus fuisset, dissimulante ac connivente utroque parente per fenestram dimissus est, ubi parati fratres susceptum cum gaudio Neapolim duxerunt exultantes in Domino. At, cum perpendissent, non esse tutum, juvenem tam nobilem retinere in suorum natalium regione, quamvis parentes ejus et fratres visa ejus constantia ab ejus impugnatione cessassent: ipsum Romam ad Magistrum Ordinis miserunt, ut provideretur ei propter spem futuri profectus de studio

generali. — Magister Ordinis (Joannes Teutonicus) eo ipso tempore in Franciam ac inde in Germaniam, ubi capitulum generale anno sequenti congregandum erat, profecturus, juvenem Thomam tamquam charissimum in Christo filium suscepit, et paulo post Parisios, dein Coloniam sub Alberto Magno, ejusdem ordinis in Theologia magistro, tum maxime florente, erudiendum secum duxit. Quo cum pervenisset Thomas et audisset in omni scientia profunda docentem: gavisus est, se cito invenisse, quod quaereret, coepitque miro modo assiduus esse in studio, in oratione devotus, simulque taciturnus, ita ut fratres, ignorantes, quanta intelligentiae virtus in ipso lateret, bovem mutum eum vocarent, unusque studentium ex compassione ad repetendam ei lectionem se conjugere vellet. Propositionem fratris Thomas, utpote humillimus, gratias agens, acceptavit. Cum autem studens coepisset repetere et deficeret: Thomas lectionem distincte repetiit, et multa, quae magister non dixerat, repetendo supplevit, quo facto admirans studens inventum in juvene inopinatae sapientiae thesaurum petiit, ut deinceps Thomas lectiones repeteret, quod se facturum Thomas humiliter promisit, rogans, ne socius aliis revelaret. Nihilominus socius iste rem magistro studentium deferendam judicavit, qui cum occulte loco repetitionis se ingerens disputantem percepisset, profectum discipuli Alberto pro consolatione magistri studuit indicare. — Contigit quoque illis diebus, ut magister Albertus (legens librum de divinis nominibus B. Dionysii) quaestionem quamdam difficilem pertractaret, quam cum Thomas recollectam in schedula scripsisset, et quidam studens casu ipsam ante ejus cellam

inventam magistro ostendisset: legens magister miratus est, tam diutinum silentium cum tanta simplicitate conversationis et puritate vitae magnae alicujus et occultae gratiae non carere privilegio advertens. Ideo mandavit magistro studentium Albertus, ut quaestionem sat difficilem, de qua in crastino responderet, Thomae committeret. Pro humilitate sua noluit eam Thomas recipere, recepit tandem ex necessitate obedientiae atque, in consueto orationis loco ad inchoandum primum actum scholasticum Deo se precibus commendans, ad respondendum de quaestione in scholis se paravit. Jam subsequenti die, cum Thomas ad omnia magistri argumenta sat difficilia, praemissa quadam distinctione, sufficientissime respondisset; Albertum dixisse per spiritum prophetiae ferunt: Nos vocamus istum bovem mutum; ille autem dabit adhuc in doctrina mugitum, qui in toto mundo sonabit! — Thomas ex tanti magistri testimonio et ex tam honorabili actu scholastico non erexit in superbiam animum, nec mutavit solitae simplicitatis exemplum, quamvis in posterum Albertus omnes difficiles actus scholasticos ipsi committeret.

Anno 1245. una cum Alberto Lutetiam Parisiorum venit Thomas, ibique per 3 reliquos annos secundum Ordinis statutum ad studium Theologiae generale incubuit, audiens per omnes annos Albertum aliosque magistros.

Anno 1248. finito cursu ambo, magister et discipulus, Coloniam reversi sunt, cumque ibi eo anno in comitiis Ordinis, Parisiis coactis, studium generale positum fuisset: in eo deinceps Albertus Regentis functus est officio; Thomas vero sub eo secundum leges Ordinis quatuor aut quinque annorum

spatio philosophiam, sacram Scripturam, Sententias legit et interpretatus est. His etiam annis quosdam tractatus edidit, scilicet: De ente et essentia ad sodales; de principiis naturae ad fratrem Sylvestrum (forte etiam alia opuscula).

Anno 1253. ex mandato Parisios se contulit et (ut Baccalaureus) lectionem Sententiarum aggressus, anno vero sequenti prosequutus est; vix autem cathedram conscendit, cum jam omnes, etiam magistros, videretur excedere et novitate ac claritate doctrinae scholares plus caeteris ad amorem scientiae provocare. — Hoc tempore (et dein in principio sui magisterii) scripsit super 4 libros Sententiarum opus, novis articulis dilatatum, intellectu profundum simul ac apertum, stylo disertum, in quo visus est humanas funditus intellexisse scientias, et summum gradum studii fixisse in scientia divinorum.

Anno 1256. mense Februario a Cancellario Universitatis licentiatus, ad Magisterium autem, ad quod, cum ob defectum scientiae et aetatis se excusasset, ex obedientia se parare debebat, ob exortum jam anno millesimo ducentesimo vigesimo octavo academicos inter et religiosos ordinis S. Dominici dissidium admissus non fuit. Cum nempe in Parisiensi theologica facultate filii divi Dominici duas cathedras obtinuissent, aegerrime id ferentes reliqui Doctores unam ex his ipsis eripiebant, et, cum eo Dominicani contenti non essent, illos e facultate theologica ejiciebant. Mandato Pontificis Alexandri IV. Dominicanis cathedrae restitutae sunt. Postquam autem Magister Ordinis S. Dominici, Humbertus de Romans, in concilio Parisiis habito anno 1256. conquestus fuisset, quosdam theologiae doctores, qui non essent reli-

giosi, errores docuisse et praedicasse atque Ordinem S. Dominici a Pontificibus confirmatum vituperasse: Guilielmus de S. Amore, Doctor Parisinus, librum edidit, cui titulus: De periculis novissimorum temporum, quo imprimis ostendere conabatur, institutum mendicantium praeceptis Jesu Christi adversari ideoque temere et per errorem a Romanis Pontificibus fuisse confirmatum. Hoc tempore Thomas Aquinas in Italiam ad Alexandrum IV. Pontificem se contulit, atque cum S. Bonaventura et Alberto Magno, edita instituti Mendicantium apologia, cui titulus: Contra impugnantes religionem, in id laboravit, ut liber Guilielmi flammis traderetur. Ex hoc solemni Pontificis judicio litium finis exspectabatur, Thomasque anno 1257. ut magister in sacra facultate agnitus fuit, et mox quaestiones de veritate pertractavit. Disputationes quoque generales de more habuit, in quibus sex Quodlibeta, ut ajebant, determinavit. Cum autem magisterium adeptus coepisset legere et disputare, tanta multitudo audientium scholas ejus intrabat, ut vix locus scholarum eos caperet. Nulla scripturae veritas remansit ipsi abscondita, nec doctoris cujuscumque scriptura inaccessibilis, involuta.

Anno scholastico 1258. scholam rexit ut primarius regens simulque majores quasdam quaestiones pertractavit vel etiam librum quemdam sacrae scripturae, seu Jesaiam seu Matthaeum, publice exposuit, habitis simul tempore Quadragesimae publicis Parisiis concionibus. Item capitulo generali Valencenis 1. Junii celebrato adfuit ad definiendam cum Alberto Magno aliisque S. Theologiae magistris Parisiensibus rectam studiorum institutionem, dein ab uni-

verso ordine acceptatam. Anno 1260. in Italiam reversus, primum Romae docuit, dein in aliis civitatibus, in quibus Romani Pontifices, quos secutus est, morabantur, uti Anagniae, Viterbii, Perusii scholam theologicam ordinis sui rexit, nova condens et edens in dies opera. Tempore Urbani IV. (die 29. Augusti 1261. electi) prodiere: 1. Comentarii in Aristotelis opera physica, ethica, metaphysica. 2. Summa contra gentiles, opus, quo gentibus fidei non subjectis ostendit veritatem fidei christianae. 3. Quaestiones de anima. 4. Expositio libri Job (ad literam). 5. Officium festi Corporis Christi, in quo omnes, quae de hoc sunt Sacramento, veteres figuras exposuit et veritates, quae de nova sunt gratia, congessit. 6. Contra errores Graecorum tractatus (in quo Graecos per ipsissimos illorum doctores de veritate doctrinae convincere conatur), aliaque opuscula. — Jubente eodem Pontifice Catenam auream in 4 Evangelia susceperat, Matthaeumque ipsi nuncupaverat; verum illo 30. Septembris 1264. e vivis sublato, Marcum, Lucam et Joannem, qui citius compleri non potuerant, Cardinali Hannibaldo de Hannibaldis (ejusdem Ordinis), quicum summa illi erat animorum conjunctio, dedicaverat. In hoc tempus pertinent quoque ejus quaestiones de potentia Dei et pars altera Quodlibetorum.

Consilium edendae Summae theologicae sub Clemente IV., 5. Februarii 1265. electo, primum coepit, ejus ideam efformavit duoque priora volumina (primam scilicet partem et primam secundae) 4 integris annis (ab anno 1265. usque ad 1269.) perfecit. Anno 1269. capitulo generali Parisiis 12. Maji celebrato adfuit Aquinas, tumque altera vice scholae

Dominicanorum Parisiensis Regens est institutus, quo munere dein per biennium functus est ac quaestiones de virtutibus et ultra pertractavit. Videtur etiam tum Evangelium S. Joannis et epistolas S. Pauli publice exposuisse. His quoque annis secundam secundae, quam in Italia inchoaverat, perfecit. Anno 1271. Italiam repetiit, et Romae iterum docuit; tantum vero, cum hac altera vice Parisiis fuisset, sui desiderium Universitati reliquit, ut ejus nomine Rector ad Patres Ordinis anno sequenti in Capitulo generali Florentiae congregatos litteras amantissimas urgentissimasque dederit, quibus Aquinatem sibi reddi Parisiosque remitti enixius instabat. Verum Caroli primi utriusque Siciliae regis (sanctique Francorum regis Ludovici IX. fratris) vota provaluere, obtinuitque ille, ut Thomas Neapolim mitteretur in eaque urbe cathedram theologicam ascenderet. Anno igitur 1272. Neapolim adivit, et stipendiis regiis (una auri uncia per singulos menses) Theologiam docuit usque ad finem vitae. His vero annis, ab exitu Franciae et reditu in Italiam, partim Romae, partim Neapoli tertiam Summae partem scripsit et ad quaestionem 90mam (de partibus poenitentiae) deduxit, opus imperfectum relinquens; neque enim a festo S. Nicolai (6. Decembris) anni 1273., ut ultra scriberet, persuaderi ei potuit. —

Ecce hic brevem synopsim vitae S. Thomae Aquinatis, e qua apparet, totam hujus Sancti vitam, sicut servitio divino, ita litteris dicatam fuisse; neque enim umquam ab eo obtineri potuit, ut, dignitates sibi oblatas acceptando, hancce provinciam desereret. Ita abbatiam montis Cassini a Pontifice Innocentio IV. (anno 1248. vel 1251.) parentum ac pro-

pinquorum gratia, qui tunc temporis depositum Fridericum deserentes atque Pontifici adhaerentes, de regno expulsi a Friderico ad Pontificem Lugdunum accessisse videntur, sibi oblatam, addita quoque licentia, vestem Praedicatorum, si placuerit, servandi; dein plures dignitates et reditus, a Clemente IV., qui S. Thomam valde amabat, sibi oblatos, imo et Archiepiscopatum Neapolitanum, quem ei praedictus Pontifex additis monasterii S. Petri ad Aram reditibus, contulerat, fortiter et constanter recusavit, suppliciter orans, ne ulterius Pontifex ipsum promoveret. Cumque magister adhuc Parisiis cum suis studentibus de S. Dyonisio aliquando reverteretur et civitatem Parisinam de propinquo videret, studentesque eum interrogarent, num vellet civitatis tam pulchrae dominus esse? libentius vellem homilias Chrisostomi super Evangelium S. Matthaei habere respondit; civitas enim haec, si mea esset, propter curam regiminis, contemplationem mihi divinorum eriperet et consolationem animi impediret. — Rideant hoc responsum, si placet, homines sensuales, terrenis dediti; nobis est testimonio, divum Thomam a juventute sua, electa divina ac coelesti *sapientia*, omnia terrena contempsisse, nec, missa jam manu ad aratrum, ad ea, quae retro sunt, respexisse, sed ad ea, quae ante, properasse.

Tali consilio quid, quaeso, excellentius, quid homine christiano, quid sacerdote, quid viro religioso dignius? Jam Tullius, sapientia nihil est optabilius, ajebat *), nihil praestantius, nihil homine dignius. Salomon rex non aurum, non divitias, non terrenam gloriam a Deo petiit, sed sapientiam postula-

*) Offic. 2.

vit, ut sciret populum Dei regere et judicare, et placita erat oratio ejus in conspectu Domini (II. Paralip. 1, 7—13.). Plato philosophus felicem se depraedicavit, quod in Graecia, quod Athenis, quod tempore Socratis viveret, et sapientiam ex ore ejus discere valeret. Paulus Apostolus propter eminentem scientiam Jesu Christi omnia terrena despexit et pro detrimento habuit (Philip. 3, 8.). Et quid dignius ente rationali, ad coelestia destinato, quam investigare veritatem, causas phaenomenorum in mundo tam sensibili, quam spirituali indagare, cogitare, quae sursum sunt, coelestia contemplari? Ubi major tranquillitas mentis? Ubi gaudium securius? Sapiens, ait Seneca a), ad omnem incursum invictus et intentus est. Non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem refert; interritus contra illa ibit et inter illa sapiens plenus est gaudio, hilaris et placidus, etiam inconcussus. — Sapientia nihil dulcius possidetur, ait Richardus b). Quot curae gravissimae, quot molestiae, noctes insomnes, quas creant fortunae bona, opes, dignitates? Avaritiae, ambitioni numquam satis est. Sitis cupiditatis in dies torquet. Fortunae bona adimi, amitti possunt; dignitas res est lubrica et incerta. Magnas saepe spes, ait Paulinus a S. Josepho c), una nox aut aliqua parva rumoris aura subvertit. Quanta dehinc turbatio mentis! Quanta miseria! Hujusmodi inquietudines et amaritudines effugit, qui sapientiam desiderans, totum se rerum divinarum contemplationi, lectioni, scriptioni tradiderit, imo

a) Ep. 60.
b) De contem. c. 1.
c) Orat. 12. De felic. viri lit.

veras opes, quia durantes et securas, acquirit, et gloriam immortalem adipiscitur. Quanta quaeso aestimatione, quantis honoribus prosecuti sunt divum Thomam, dum adhuc in vivis esset, viri litterati, principes, reges, Pontifices Romani? Nil dicam de Alberto Magno, nil de Bellarmino, Cardinale Hannibaldo; ast reticere nequeo, Universitatem Parisinam Aquinatem Patrem et Doctorem suum nominasse, S. Ludovicum regem saepius ipsius consilio usum fuisse, eumque ad mensam regiam invitasse, Carolum utriusque Siciliae regem, ut metropoli patriae daretur, enixius rogasse, ipsumque comitem individuum Urbani IV. Pontificis et Clementis amicissimum fuisse. Quanto moerore praematura sancti hujus Doctoris mors orbem universum affecerit, serius dicturi sumus. Universa hodiedum illum veneratur Ecclesia.

Sed quid amplius dicam de excellentia ac dignitate vitae servitio divino ac ss. litteris dicatae, cum vos ipsi, fratres dilectissimi, hancce provinciam elegeritis, adeoque de praedicta veritate sufficienter persuasi sitis? Dei servitio, studio sacrarum litterarum vos consecrastis. Utinam vestigia S. Thomae sectaremini! Hic, etsi dudum vivere ei (inscrutabili Dei judicio) concessum haud fuerit, ingentes tamen, ut ita dicam, *progressus* fecit, atque Ecclesiam Dei miro modo verbis et scriptis solis instar illustravit, unde et post mortem, ut ferunt, stellato pectore apparuit. Quaeris, *quo pacto* id fieri potuerit? — Audi narrantem.

1. Deus, qui est fons atque origo omnium bonorum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum (Jacob. 1, 17.), omnibus ad pro-

gressus faciendos necessariis *spiritus dotibus* Thomam exornavit. Pollebat enim ingenio valde subtili, et tam acuto intellectu, ut nullum librum legeret, quin simul intelligeret et, quid verum esset, judicaret. Quam certum fuerit ipsius judicium, jam ex eo patet, quod opiniones illas et rationes, quas Baccalaureus adinvenit, Magister effectus, paucis exceptis, nec docendo nec scribendo mutaverit. Memoria ejus felicissima et vere mirabilis, ita ut, quod legendo semel caperet, perpetuo retineret tam accurate ac vivide, ac si semper prae occulis in libro haberet. Documento est opus illud super 4 Evangelia, quod ad praeceptum Papae Urbani composuit, postquam antea dicta Sanctorum in diversorum monasteriorum libris perlegisset. Accedebat tanta vis contemplationis, ut etiam in conversatione cum aliis in coelestia raptus a sensibus abesset, imo et dormiendo dictaret. Non desunt exempla. Cum quidam Cardinalium Archiepiscopo Capuano desiderium suum, cum S. Doctore colloquium familiare habendi, significasset, Archiepiscopus Thomam vocari curavit. Qui cum de studio suo descendisset, diutius sic abstractus permansit, ut nullum reverentiae signum, dein autem subito hilarem faciem ostenderet dicens: Modo habeo, quod quaerebam! Cardinalis rem ignorans, quam tamen Archiepiscopus bene perspectam habebat et Cardinali narrabat, jam coepit illum despicere. Tunc Archiepiscopus fortiter Thomam per cappam trahebat, qui quasi de somno contemplationis evigilans et advertens, se inter tantos viros esse, reverenter se inclinabat veniamque petebat, quod abstractus diutius reverentiam debitam non fecisset. Interrogatus autem, cur in illa abstractione tam lae-

tam faciem ostendisset, dixit, exteriorem laetitiam gaudium animi sui manifestasse de nunc inventa pulchra ratione quaestionis cujusdam, super quam diu cogitasset. — Memorabilius est adhuc, quod ad mensam Ludovici, Franciae regis, accidit. Thomas, scribens tunc temporis Summae compendium, a rege S. Ludovico ad mensam est invitatus. Humiliter quidem se excusabat Doctor egregius, ad mandatum autem Prioris, dimisso studio ad regem accessit, attamen cum illa imaginatione, quam in cella conceperat. Existens autem in mensa juxta regem, subito veritate fidei inspirata, mensam percussit dicens: Modo conclusum est contra haeresim Manichaeorum. Quem Prior tetigit dicens: Adverte magister, quia nunc es in mensa Regis Franciae, traxitque per cappam fortiter, ut abstractum a sensibus excitaret. Thomas ad se rediens ad S. Regem se inclinans, rogavit, ut ei parceret, qui in mensa regia sic distractus fuisset. Rex autem, miratus valde et aedificatus, vocavit scriptorem suum, ut mox argumentum Doctoris chartae mandaret. —Si spectes extensionem, tanto pollebat ingenio, ut saepe tribus, quandoque et quatuor scribis de diversis materiis eodem tempore in cubili suo dictaret, quod cum aliquando fecisset et fessus labore quiescens paululum obdormisset, in somno materiam continuando dictaverat. Accedebat

2. Solers *educatio*, qua dotes spiritus tam eximiae mox ab incunabulis rite excitabantur excolebanturve. Quinquennis enim jam monachis Cassinensibus educandus tradebatur; puer 10 annorum circiter Neapolim missus est, ingressus ordinem S. Dominici atque e captivitate parentum liberatus, Coloniam ad Albertum Magnam perductus, ejusque per

plures annos non modo discipulus, sed et individuus comes et posthac collega factus est. Jam tali viro magistro quantum proficere potuit Thomas! Albertus enim, ejusdem Ordinis S. Dominici sacerdos, pro modulo illius aetatis, in omnibus scientiis, non modo Theologia, sed et Philosophia et Physica, excelluit, cujus testes sunt scripta ejus voluminibus viginti et uno in folio contenta, pietate quoque summopere commendandus. Cum dein Parisiis qua alumnus studii generalis versaretur, alios quoque doctores Parisinos, uti Stephanum de Varnesia, Joannem Pungensaninum audiebat.

3. Haec autem omnia parum vel nihil profuissent sine propria Thomae *industria*. Haec autem insignis plane fuit, constans et indefessa usque ad obitum. Puer quinque annorum jam Deum nosse cupiebat, solitudinem et silentium semper adamabat, libros, praesertim S. Scripturam, continuo legebat, discurrens consueto tempero per claustrum vel hortum meditabatur, dein solvendis variis, quae ad ipsum deferebantur, quaestionibus, scribendo et dictando et docendo et praedicando occupatus.

4. Numquam autem sive lectioni sive scriptioni, sive meditationi sive disputationi se dedit, quin *auxilium divini Numinis* implorasset. Occurrentibus dubiis, difficultatibus, de novo ad orationis secretum redibat et quandoque etiam jejunium adjungebat, ut adeo, sicut ipse fassus est, scientiam suam non tam proprio ingenio, quam orationis merito acquisierit, plura ad pedes Crucifixi, quam ex lectione librorum didicerit.

Ita quum ex mandato superiorum ad recipiendum in Theologia magisterium se parare debuisset,

ante omnia ad locum orationis se contulit, in quo prostratus cum lachrymis Deum rogavit, ut ad suscipiendum et exequendum magisterium gratiam et scientiam ipsi infundere dignaretur. Et incipiens psalmum (Ps. 11.): Salvum me fac Deus, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum, dein orans obdormavit. Et ecce frater quidam ejusdem ordinis, jam defunctus, ei in somno adparuit dicens: Thoma, quid Deum oras cum lachrymis? Respondit: Quia impositum est mihi onus magisterii, ad quod scientia mea non sufficit et quae proponam pro meo principio (i. e. materia 1mae disputationis), non occurrit. Cui senex: Ecce exauditus es, suscipe onus magisterii, quia Deus tecum est. Pro tuo autem principio nihil aliud proponas, nisi hoc (Ps. 103, 13.): Rigans montes de superioribus suis; de fructu operum tuorum satiabitur terra. Quo dicto Thomas evigilans Domino gratias reddidit, qui eum tam velociter exaudivit. — Simile quid accidit, cum super Isaiam scripsisset. Scribendo pervenit ad quemdam ejus libri textum, quem cum non intelligeret, multis diebus jejuniis et orationibus se afflixit. Uno dierum de nocte audivit Raynaldus, socius Thomae, ipsum loquentem, quicum? ignorans, sonum quidem percipiens, materiam vero locutionis non intelligens. Qua locutione finita, fili Raynalde, ajebat Thomas, surge et accende candelam, accipe chartam, in qua super Isaiam scripseras et para te iterum ad scribendum, qui cum diutius (fors per horam) quae Thomas tanta cum facilitate, ac si ex libro legeret, dictabat, scripsisset, jussit eum Doctor iterum ire ad quiescendum. Sciscitanti Raynaldo, quicum hac nocte diutius locutus fuisset, respon-

dit: Fili, non est tibi opus hoc scire; instanti autem et cum lachrymis roganti dixit: Fili, vidisti hisce diebus afflictionem meam propter dubium, quod habui super textum, quem modo exposui, quemque multis lachrymis a Deo scire petivi, unde Deus hac nocte, misertus mei, misit ad me beatos Apostolos Petrum et Paulum, per quos ipsum rogaveram, qui me omnia plenissime docuerunt. Sed ex parte Dei tibi praecipio, ut quamdiu in vivis sum, non audeas revelare.

Caeterum de consueto nocturno tempore post brevem somnum in sua camera vel in ecclesia, ad quam ipsi patebat accessus, coram Deo prostratus orabat, ut addiscere mereretur, quod oportuit illum dein scribere vel dictare. Dein si infirmitas illum non impediebat, quotidie unam missam celebrabat et aliam audiebat socii vel alterius, ad quam ipse frequentius ministrabat. Devotionis affectus celebrando Missam tantus in eo erat, ut saepe lachrymis perfunderetur. — Quadam die, cum in conventu Neapolitano celebrasset, visus est sic absorptus ab altitudine Sacramenti, ut, abstractione mentis diutius durante, fratres accederent, ipsum tangentes, ut prosequeretur sacra mysteria, et quasi e somno contemplationis excitantes. Mirum hoc illi vix videbitur, qui perpenderit, Thomae concessum fuisse, de hoc venerabili Sacramento scribere.

5. Multum quoque ad profectum in litteris faciendum contulit angelica illa *puritas mentis et corporis*, quam illibatam semper custodivit, bene sciens, quod in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis (Sap. 1, 4.). Nulla proin perturbatio animi, nulli conscientiae

gravius laesae remorsus, nullae impurae phantasiae imagines spiritum ipsius distrahere et a contemplatione divinorum avocare poterant. Tota ejus vita sacris actionibus occupata erat adeo, ut aut oraret, vel meditaretur vel legeret vel scriberet vel dictaret vel praedicaret. Parum temporis somno cibique receptioni erat dicatum. Et si cogebatur pro consolatione fratrum vel aliarum personarum dimisso studio in locutorio considere: vel ad proposita respondebat vel de aliquo objecto historico vel morali ad aedificationem disserebat.

Hic habes, dilecte, viam, qua D. Thomas tantum eruditionis thesaurum acquisivit. Ingredere eam fortiter et constanter et non dubito, quin et tu ipsi saltem similis futurus sis. Facile quidem repones: Quis nostrum tam excellenti gaudet ingenio, ut mox sensum cujusque libri, abstrusum licet, facili modo inveniat et capiat, judicio tam certo et acri, ut sine omni fere difficultate verum et falsum discernat, tam felici memoria, ut integros tractatus diversorum scriptorum semel legendo retineat, tanta contemplationis vi, ut in materias subtilissimas se quasi demergat, in easque ita oculum spiritus sui figat, ut, quasi a sensibus alienus, nulla re externa nec consortio hominum afficiatur, turbetur et ab objecto abstrahatur? Verum quidem est, varia esse dona (I. Cor. 12, 4.), variosque donorum gradus et dotes omnis generis adeo excellentes uni subjecto inhaerentes rarissimas; saepius enim, qui memoria sat felici gaudent, judicii acumine minus excellunt et qui ex parte judicii laudantur, tenaciorem sibi memoriam exoptant, qui intellectu pollent, de ariditate phantasiae conqueruntur et qui sine difficultate

clare de abstractis quoque rebus meditantur, difficulter aptas expressiones inveniunt, minus clare et lucide vel suaviter cogitata sua eloquuntur. At quis inter Vos inveniatur, fratres dilectissimi, qui, etsi non omnibus fors simul, tamen hac vel altera saltem dote excellenti a Deo non sit praeditus? Quis dicere audeat: Domine, unicum talentum tradidisti mihi? Et posito, dari talem inter vos, an ignorat verba Salvatoris: Petite et dabitur vobis! (Matth. 7, 7.) Anne ignorat verba Sapientis (Sap. 7. 7.): Optavi et datus est mihi sensus; et invocavi et venit in me Spiritus sapientiae. An ignorat verba Apostoli (Jac. 5, 13. 1, 5—7.): Tristatur aliquis vestrum? oret. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil haesitans; qui enim haesitat... non aestimet, quod accipiat aliquid a Domino. *Invocet* ergo quotidie, imo ante quodvis opus, priusquam legat, meditetur, scribat, Spiritum Sanctum clametve: Veni Sancte Spiritus et emitte coelitus lucis tuae radium! Doce me vias tuas; da mihi intellectum; infunde mihi spiritum sapientiae et scientiae! — Et dabit illi secundum desiderium ejus, et illuminabit tenebras intellectus ejus, et docebit illum omnem veritatem.

2. Qui autem plura et magna desiderat, in *modico* sit fidelis oportet. Qui enim unico, quod accepit, talento non utitur, potius in terram illud fodit, quomodo plurium dignus sit? Euge, dicit Dominus (Matth. 25, 21.) servo bono, euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Utamur tantum fideliter, fratres dilectissimi, donis a Deo acceptis, excolamus studio

indefesso facultates nostras et sensim sine sensu crescent vires nostrae, judicium acuetur, memoria plura et facilius capiet et diutius retinebit ac celerius reddet, intellectus et profunda scrutabitur et nova inveniet, phantasia vividius omnia repraesentabit. Sine usu et exercitio quaelibet vis spiritualis tabescit et in fine quasi evanescit, usu autem et exercitio prudenti crescit et augetur. Nolite itaque, fratres, permagni pendere difficultates illas, quae industriae et laboribus vestris spiritualibus junctae sunt. Brevi illas superabitis et dein cum gaudio et exultatione meditationes et lectiones ac scriptiones vestras quotidianas suscipietis.

3. Utimini *tempore* aetatis florentis, adolescentiae vestrae; utimini externis, quae vobis in hacce urbe, Imperii principe, in nostra Universitate et hocce, cujus membra estis, educationis sublimioris instituto praesto sunt, *subsidiis*, amicabili ac vere fraterna conversatione, ut solida in omnibus scientiis principia combibatis, claras ideas vobis efformetis et persuasionem certam ac stabilem imo invictam de veritatibus sanctissimae religionis nostrae naciscamini.

4. De caetero studete *bonae conscientiae*, maculas quoque leviores lachrymis poenitentiae sine dilatione abluentes, ne animus turbet spiritum et remorsus conscientiae distrahant mentem et defectus ac peccata gratiam minuant, sed ut potius quisque vestrum veritatem effati Psaltis regii (Ps. 118, 100.) experiatur: Super senes (Domine) intellexi, quia mandata tua quaesivi.

II. Reflexiones super doctrina divi Thomae Aquinatis a).

Scientia non habet pretium absolutum, nec quivis eruditorum laudabilis. Errant, qui medium pro fine habent, qui scientiam virtuti anteponunt. Deus omnia in omnibus, radix, principium et finis. Scientia, etiamsi summopere a filiis hominum celebretur, quae non a Deo originem suam trahit, nec confert ad Deum laudandum et glorificandum, quin potius, fidei ac virtuti inimica, eo tendit, ut Deus, Creator rerum omnium ac Redemptor generis humani et Santificator blasphemetur, Ecclesia ab ipso Christo fundata risui exponatur, S. Scriptura ceu liber profanus tractetur, fides evanescat, pietas ac ordo civilis convellatur, atque totum genus humanum omni revelationis lumine ac solatio religionis orbatum in desperationem et antiquam barbariem deveniat; scientia, quae meris speculationibus et contentionibus verborum interminatis constat, nemini communicabilis, nulli utilis, possessorem suum duntaxat inflat ejusque superbiam nutrit ac vanitatem, seu, ut S. Bernardus ait b), scientia, quae inebriat, sed curiositate, non charitate, implens, non nutriens, inflans, non aedificans, ingurgitans et non confortans, — jure meritoque rejicienda potius ac pestis instar fugienda, quam alicui commendanda. O quot et quanta mala — teste historia — in utramque rempublicam promanarunt e tali scientia! An non omnes

---

a) Vid. Hieronymii Vielmii, Ord. Praedicatorum, Episcopi Aemoniensis de D. Thomae Aquinatis doctrina et scriptis, L. 2. Vindobonae, 1783.

b) Serm. 9. in cant.

per decursum saeculorum exortae haereses, an non novissimorum temporum seditiones, praedominans philosophismus, cujusvis auctoritatis, cum civilis tum ecclesiasticae, contemptus, effrena innovandi omniaque sus deque vertendi libido huic ortum suum debent? — Recte igitur jam Petrus Blesensis monet a), ut rejiciamus scientiam, quae in perniciem trahit, et Conc. Mediolan. IV. prohibet b), ne clerici apud se libros habeant aut legant, quorum lectione bene agendi studium, morum disciplina et timor charitasque Dei languescere possit; melior est enim homo, ut ait Ecclesiasticus (19, 21.), qui minuitur sapientia et deficiens sensu in timore (Dei), quam qui abundat sensu et transgreditur legem Altissimi.

Jam qualis erat scientia divi Thomae Aquinatis? — Si *materiam* spectes, erat scientia sancta; si formam, scientia clara et bene fundata; si intentionem, ad gloriam Dei et bonum Ecclesiae, salutem hominum tendens, hinc nec pietati nec virtuti nociva. — Deum nosse ab infantia desiderabat Thomas, et per omnes vitae suae annos Theologiae operam navabat, Philosophia Aristotelica et reliquis disciplinis, quas minime neglexerat, tamquam subsidiis utens ad sanam fidei ac morum, quam proponebat, doctrinam modo scholastico tractandam, illustrandam, et contra quoscumque adversariorum insultus defendendam. Quod evidens est ex omnibus ab ipso editis scriptis, praesertim opere super 4 libros sententiarum, Summa Theologiae, Catena aurea in quatuor Evangelia, Expositione libri Job et Cantici canticorum, Summa contra gentiles, contra errores

a) Ep. 140. ad cleric. Regis Angl.
b) Part. 3. tit. de vita et hon. cleric.

Graecorum tractatu et commentariis in Aristotelis opera. In omnibus hisce operibus veram doctrinam catholicam proposuit, explanavit, defendit adeo, ut cum aliquando brevi tempore ante mortem Neapoli ad Crucifixi imaginem vehementius oraret, vocem illam suavissimam: Bene de me scripsisti, Thoma, de imagine Crucifixi audire meruerit.

Non quidem defuere tanti Doctoris ejusque doctrinae vituperatores, homines haeretici aliique, qui, cum opera D. Thomae non legissent vel non intellexissent vel propria imperitia adducti vel invidia commoti, tantam lucem aequis oculis ferre non potuerint. Ex illis Lutherum nominamus, qui ausus est a) hunc fortissimum fidei catholicae propugnatorem phialam irae Dei appellare et affirmare, Thomam non modo haeretica multa scripsisse, et auctorem regnantis Aristotelis, piae doctrinae vastatoris, quin etiam fontem et sentinam omnis haereseos errorisque et exstinctionis Evangelii fuisse. — At quis, quaeso, cum antiquioribus tum recentioribus temporibus ita beatus fuerit et felix, ut per omnia omnibus placuerit? Nullum corpus sine umbra, nulla ars, uti ait S. Hieronymus b), sine aemulis. Sic figulus figulo, fabro faber invidet alter, inquit Hesiodus c). Quis ignoret, ne ipsis quidem s. litteris (Dei oraculis) defuisse vel deesse oppugnatores, et quidem ingenio caeteroquin excellenti praeditos, in linguis egregie versatos, quin ideo de earum veritate et sanctitate detractum quid esse arbitremur. Quis ignoret, haereticorum detestationes certissimum esse de prae-

a) Lib. adv. Latomum. Vielm. op. c. pag. 48.
b) Proem. in c. 2. Oseae.
c) Ep. 44.

stantia doctrinae testimonium? Optime sane D. Hieronymus ad „verbum sanum, irreprehensibile," quod D. Paulus in ep. ad Titum 2, 8. a discipulo suo et omnibus populi fidelis doctoribus requirit, notat: Non quod ullus tantae facundiae et prudentiae sit, ut a nemine reprehendatur; reprehenduntur quippe et Apostoli et Evangelistae ab haereticis et gentilibus; sed quod nihil reprehensione dignum dicat aut faciat, licet adversarii sint ad reprehendendum parati. Et in ep. ad Augustinum *): Macte virtute in orbe celebraris, catholici te conditorem antiquae rursum fidei venerantur atque suscipiunt, et quod majoris gloriae est, omnes haeretici detestantur.

Attamen jam decimo circiter a S. Doctoris e vita discessu anno, cum jam omnes docti ejus lucubrationes summa cum admiratione legerent et probarent: quidam prodiit, qui illas ad suum tribunal tamquam censor citavit et insigni quadam inscitia, cum pari petulantia conjuncta, ut ille quidem ajebat, correxit, librumque edidit: Correctorium operum Thomae, inscriptum. Hunc vero librum Aegydius Romanus, Thomae olim discipulus, corruptorium nuncupavit et auctoris errores atque ineptias ita detexit et publice exposuit, ut librum illum indoctum, suppresso quoque auctoris nomine, tenebris cimeriis obruerit.

Prodiit deinde ad finem vergente saec. 14. occasione controversiae academiam Parisiensem inter et F. Joannem de Montesono agitatae tractatus quidam nomine Universitatis Parisiensis inscriptus, attamen ab ea nec editus nec approbatus, cujus auctor, Petrus Alliacensis, qui serius demum innotuit, S. Tho-

*) Ep. 80.

mae doctrinam secundum quosdam in fide eroneam seu in aliqua parte de ejusmodi errore suspectam appellat. Ad futiles autem ejus rationes Franciscus Ferrariensis aliique D. Thomae sectatores accuratissime responderunt.

Et posito, Universitatem Parisinam, quae antea Thomam summis ornabat laudibus, serius in articulis quibusdam a Thoma dissensisse, quid valent placita unius Universitatis, si conferantur cum declaratione Sedis apostolicae, quae publico edicto Thomae doctrinam probavit et Ecclesiae sectandam tradidit, ac cum auctoritate totius reliqui orbis catholici, qui doctrinam Thomae recepit? — Quanti enim posteriora concilia oecumenica, Tridentino non excepto, Thomae doctrinam fecerint, ejusque in decretis suis condendis rationem habuerint, sat notum est.

Si objicias Durandum, Joannem Scotum, Alphonsum, Gregorium Ariminensem, Aureolum aliosque hujus generis viros, qui doctrinam Thomae oppugnaverunt: provocamus ad Aegydium Romanum, Herveum, Joannem Capreolum, Thomam Cajetanum aliosve doctissimos viros, qui ex schola Aquinatis prodierant ejusque verbis adversariorum arma confregerant. Nec hoc praetereundum existimamus, quod, cum Joannes Scotus Aquinatis placitum aliquod multis armatus argumentis invadit, tum Ariminensis, Durandus, Aureolus pro Thoma illi obviam eant; ac vice versa ubi Durandus vel Henricus vel alius quispiam contra Thomam insurgit, Joannes Scotus et reliqui partes Thomae tueantur, illiusque doctrina adversariorum phalanges profligent et sternant, ut adeo doctrina Aquinatis contradictione

professorum creverit, atque in dies magnorum oppugnationibus virorum solidior, nitidior et augustior effecta fuerit, et Joannes Picus in respondendo objectionibus robur et fortitudinem Thomae sibi optaverit.

Attamen nec his contenti quidam objiciunt, quod ipse S. Doctor crebro, veluti immemor eorum, quae alibi dixerat, a se ipso recedat vel aperte palinodiam cantet. — Hic in mentem veniunt, quae Theodoretus a) haeretico cuidam scripturas quasdam sibi invicem repugnare affirmanti dixit: Tibi non animadvertenti vel temere contendenti videntur repugnare, quae recte conveniunt. Ignavia et temeritate quorumdam, qui verba S. Thomae non satis ponderarunt, nec eorum sensum tenuerunt aut scopum auctoris attigerunt, factum est, ut existimarent, Thomam a se recedere, ubi nullus est dissensus. Quodsi autem revera aliquoties in tanta voluminum copia ab ea, quam alias docuerat, sententia recedat: cui hoc mirum videbitur? Quis enim cum Solone non senescat, plurima discens? Quis posteriori tempore eadem vel cognata tractans argumenta beneficio temporis, studiorum, aetatis, assiduae lectionis, meditationis non utatur? Solet mortalibus, ait quidam b), prudentior posterior esse aliquando cogitatio. Cur non liceat meliorem cogitationem eligere, meliorem sententiam proferre? Cur non opinionem falsam improbare? Cur non, ubi veritas nondum omnino conspicua vel plane definita est, inquirere et scrutari et pro pondere argumentorum prioribus addere, demere, commutare, rudia expolire, pressa fusius explicare, ob-

a) Dialogo 1. Eranistae op. c. p. 109.

b) Euripides in Hippolyto.

scuris lucem addere, quaedam moderari, mitigare? Id fecit D. Thomas. Addit, contrahit, illustrat. Quod in quibusdam operibus, e. g. tractatu contra gentes, in quaestionibus disputatis, fusius exposuit, idem in aliis, praeprimis in Summa et miscellaneis, quae Quodlibeta vocant, pressius subtiliusve proposuit et veluti junctis quibusdam attigit. Rationes saepius novae occurrunt, saltem, quae jam notae erant, illustrantur. Nec hoc praetereundum est, solitum fuisse divum Thomam, ubi orthodoxam fidem integram et inviolatam manere prudens animadvertit, si unam perinde atque alteram de re aliqua opinionem doctores tenebant, utramque docere, unam quidem priore, alteram posteriore a se edito volumine. In hoc autem nemo sanae mentis repugnantiam invenerit. In necessariis postulat D. Augustinus unitatem, in dubiis relinquit libertatem.

2. Si *formam* spectemus, divus Thomas omnes scholasticos superat. Ipse enim, qui cum Paulo sapientibus et insipientibus debitorem (Rom. 1, 14.) se esse intelligebat, numquam non claritati conceptuum et argumentorum veritati, novitati ac soliditati studet; tenebras et obscuritatem omnem non modo a suis sed ab aliis quoque multorum doctorum voluminibus, quantum res pati poterant, semper depellit fugatve. Oratio caeteroquin vel elocutio Aquinatis non scatens barbarismis, non ingrata hominibus latinis vel odiosa, potius plana, perspicua, luculenta. Jacobus Brutus Cluriensis *): Stylum, inquit, habet D. Thomas clarum atque facilem, nulla barbarie respersum, et suos ita conceptus exprimit,

*) Orat. 5. de laud. liter. op. c. pag. 71.

ut altae profundaeque materiae quasi sensim percipi possint. Basilius Zanchius christianae fidei decreta et sententias illustrium theologorum doctissimorumque virorum judicio ex una aliaque e Summis (quas vocant) divi Thomae Aquinatis addiscendas existimat, quia, ut ait a), eas (exinde) clare admodum et in brevi — et (quod magni refert) recte atque ordinate ac summatim inde intelligere licebit. Imo Erasmus Roterodamus, qui aliquando Aquinati iniquior caeteris extitisse videtur, affirmat b), Thomam ad dicendum non fuisse natura ineptum, si sese perinde sic exercuisset, ut exercuit in philosophia et in argumentando; et alio in loco (c. 1. ep. ad Rom.) de eo dicit: Vir alioquin non suo tantum saeculo magnus; nam meo quidem animo nullus est recentiorum Theologorum, cui par sit diligentia, cui sanius ingenium, cui solidior eruditio, planeque dignus erat, cui linguarum quoque peritia reliquaque bonarum artium supellex contingeret, qui iis, quae per eam tempestatem dabantur, tam dextre sit usus. Franciscus Vargas autem, vir omni litterarum genere ornatissimus, ait c): Is (Thomas) ut in omnibus aliis, ita in iis, quae ad moralis philosophiae cognitionem pertinent, adeo semper fuit diligens explorator veritatis, ut nihil abditum, nihil remotum, nihil obscurum esse permiserit, sed omnia exposita, prompta, ipsa denique luce clariora omnia fecerit. Huic uni in sapientiae studiis plus debeo, quam infinitis jurisperitorum verbosis commentariis. Nude brevi-

a) Praefat. ad Notat. in omnes div. libros.

b) Lib. 2. de rat. conc.

c) Vid. De episcop. jurisd. et P. M. auctor. confirm. 7. Op. cit. pag. 166.

terque veritatem exponit, et omissa inani auctorum opinionumque citatione solida vi incedit, rationibus invictis per omnes adversitates viam sibi aliisque sternens.

Nihilominus et hoc respectu, quod nempe formam attinet, varia Thomae objiciunt; inter alia: 1. quod secundum morem Scholasticorum acceptam a Patribus doctrinam disputationibus suis obscuraverit magis quam illustraverit; 2. quod Philosophiam cum Theologia, humanas artes cum divinarum rerum contemplatione commiscuerit; 3. quod in omnibus fere operibus eadem pertractaverit, multas partitiones et subpartitiones fecerit, numquam alios doctores (uti Albertum Magnum, Alexandrum Halensem) citaverit, et 4. lectores suos non commoverit, non excitaverit.

Vanissimae objectiones!

Ad 1. Scholasticorum defensionem non suscipimus, nec errores illorum et naevos excusatum imus, multo minus Patribus eos praeferimus. At quis neget, Scholasticos quoque magna praestitisse, eos innumera fere S. Scripturarum arcana et praestantissimorum philosophorum argumenta subtiliter explicasse, illos doctrinam religionis in scriptis Patrum dispersam et latissimis veluti campis huc illuc in frusta magis quam in membra divisam indefesso labore multisque vigiliis collegisse atque in unum quasi corpus contraxisse; iis igitur et imprimis ingenio ac industriae D. Thomae Aquinatis laudem ac meritum Theologiae egregie formatae deberi? — Theologia autem non obscurat. Disputationes excitant ingenia, acuunt, erigunt imo et foecunda faciunt et, si rite instituantur, multum ad clariorem rei (objecti) cog-

nitionem conferre possunt. Quodsi quidam Scholasticorum quaestionibus inutilibus detineantur suisque nimiis altercationibus efficiant, ut veritas non semel aut sese abdat aut plane evanescat: quid haec ad Thomam? qui nihil disputat, quod non esset necessarium aut utile, Theologo aut Philosopho dignum, qui pulcherrimo ordine, magna gravitate et incredibili judicio ubique disputat, dissertis et perspicuis verbis sententiam suam dicit rationesque aperit, quibus ab hac magis, quam ab illa parte stare veritatem existimet. Speciales illae loquendi formulae, quas Scholastici receperant, multum quoque faciebant ad veritatem catholicam pressius ac tutius exprimendam et contra haereticos defendendam.

Ad 2. Si S. Thomas Philosophiam cum Theologia commiscuit, fecit, quod et alii illustres ac S. Patres bene gnari, quantum praesidii Philosophiae studia Theologiae afferant, fecerunt. Stude sapientiae, fili mi, ait Scriptura (Proverb. 27, 11.), et laetifica cor meum, ut possis exprobranti respondere sermonam. Postquam David blasphemum illum hominem peremisset, ejus ensem una cum reliquis armis in tabernaculo appendit. Qua de causa? Ut facinus illud Goliathi et praeclara de illo victoria, quam auctori Deo acceptam referebat, nullo umquam tempore traderetur oblivioni, utque suo exemplo Hebraeos milites exhortaretur, ut hostes suos ipsorum etiam armis, si quando res ita ferret, fortiter interimerent a). Applicatio facilis.

S. Hieronymus b) enumerat antiquiores com-

a) Vid. op. cit. p. 102.
b) Ep. 84. ad Magnum.

plures et confestim subdit: Qui omnes in tantum philosophorum doctrinis atque sententiis referciunt libros, ut nescias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem saeculi, an scientiam Scripturarum. Et S. August. a): Philosophi, ait, qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostrae accomoda dixerunt, maxime Platonici, haec non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam injustis possessoribus in nostrum usum vendicanda sunt.... Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspicimus, quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, Doctor suavissimus et martyr beatissimus, quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Graeci?

Si S. Thomas Philosophia usus est, justôs limites nequaquam transgressus, adeoque nec illis adnumerandus est, qui (ut ait Augustinus b) desertis virtutibus et nescientes, quis sit Dominus et quanta sit majestas semper eodem modo manentis naturae, magnum aliquid se facere putent, si universam illam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissime intensissimeque perquirant; vel qui (ut Hieron. deplorat c), dimissis Evangeliis et Prophetis, comoedias legant. S. Doctor S. Scripturae et divinae traditioni semper insistit et notiones philosophicas, tropos, similitudines, allegorias, in eum solummodo finem adhibet, ut arcana Dei luculentius explicet ac illustret, utitur ratione, ut revelationi inserviat, et ubi hujus auctoritas deest, huic con-

a) Lib. 2. de doct. christ. c. 40.
b) Lib. de moribus Eccl. cathol.
c) Ep. 146.

formia proponat; caeterum falsas illas et absurdas vel paradoxas illius, cui addictus erat, Philosophiae opiniones ac sententias veluti eminentes et conspicuos scopulos penitus evitat, et quae ambigua esse poterant, miro ingenii acumine felicique dexteritate solvit ac interpretatur.

Ad 3. Et quis aequus rerum judex repetitiones ejusdem materiae vel eorumdem argumentorum mirabitur, si vel multitudinem ac scopum operum a S. Doctore editorum perpenderit? Repetitio, si prudenter, i. e. cum quadam argumentorum vel saltem styli varietate fiat, uti apud D. Thomam observare est, non nocet, potius multum utilitatis adfert; quemadmodum negari nequit, quod et aptae divisiones ad claritatem doctrinae multum conferant. Studium autem, omnia in minutiores partes dissecandi, omnibus illius temporis doctoribus erat commune, ut nihil — non discussum, non examinatum, non explicatum relinquant; modum vero, quo in operibus Thomae omnes partes inter se dispositae et connexae sint, in ipso cujusvis voluminis limine videre licebit. Quod citationes attinet, sanctos Patres, eximios illos Ecclesiae magistros, quibus diuturnus Catholicorum consensus existimationem et auctoritatem peperit, tamquam testes omni exceptione majores frequenter ac de nomine profert; nominibus vero doctorum coaevorum, a quorum placitis modeste recedebat, honoris ac reverentiae gratia parcendum existimavit, non tam auctoribus in disputando nixus, quam rationum momentis.

Ad 4. Nec diffitemur, quod scripta S. Patrum nos commoveant et excitent, non item nostri Docto-

ris opera. At fines sunt diversi. Illi felicius movent; hic felicius docet.

Intentio ejus vero purissima in omnibus. Non laudem, non gloriam, non honores, non dignitates studio suo ac scientia et scriptis quaesivit, sed gloriam Dei, utilitatem Ecclesiae, victoriam veritatis. Satis id apparet ex illa responsione, quam Neapoli inter orandum ad vocem de imagine Crucifixi auditam: Bene scripsisti de me Thoma; quam ergo mercedem accipies? dederat: Non aliam, Domine, inquiens, nisi te ipsum! Et cum morti proximus sacrosanctum Christi corpus suscepturus esset, haec memoratu digna verba dicebat: Sumo Te, pretium redemptionis animae meae, pro cujus amore studui, vigilavi et laboravi; Te praedicavi et docui; nihil umquam contra Te dixi, nec sum pertinax in sensu meo, sed, si quid male dixi de hoc Sacramento, totum relinquo correctioni S. Rom. Ecclesiae, in cujus obedientia nunc transeo ex hac vita. Ecce virum pro Deo, Christi gloria, Ecclesiae salute laborantem adeoque etiam eruditionis scopulos sollicite evitantem. Quia ex amore Dei pro Christo laboravit, ideo etiam libenter oravit et ideo ad excitandam ac nutriendam cordis devotionem quovis die de collationibus Patrum aliquid (dimissa speculatione) legere consuevit. Et quoniam Deo, omnium donorum largitori, omnia in acceptis retulit, ideo quoque humilis, suavis, obediens permansit. —

Cum aliquando in Bononiensi conventu transiens moraretur et more solito per claustrum contemplativus incederet: accidit, ut quidam frater alterius conventus, qui Thomam non noverat, quive a Priore licentiam cum eo, qui primus sibi occur-

reret, in civitatem negotiorum causa eundi obtinuerat, ad eum veniret dicens: Bone frater, Prior mandavit, ut eas mecum. Thomas nullo ad studium et contemplationem, qua occupabatur, vel morbum pedum, quo laborabat, habito respectu, statim inclinans caput secutus est eum. At cum non potuisset ita festinanter, uti socius, incedere, frequenter ab eo redargutus, humiliter se excusabat. Quidam praetereuntes, qui noverant Thomam, exprobrabant fratri tantam inhumanitatem, indicantes simul illi, quis socius ejus esset. Itaque postquam ad monasterium rediissent, frater ad S. Doctorem conversus veniam petiit, quoniam ex ignorantia id fecisset. Cui Thomas subridens respondit: Tu non peccasti, frater; attamen pes meus me impedivit, quo minus possem tibi, uti volueram, servire.

In publicis disputationibus, etiamsi offensus, pro sua mansuetudine et humilitate bene semper cavit, ne vel verbo aliquem offenderet, imo apertam repugnantiam contraria asserentium aequo animo pertulit. Ita quum aliquando Parisiis religiosus quidam licentiandus in vesperis, sicut tunc moris erat, quasdam quaestiones disputasset et disputando contrariam veritati, quam S. Doctor in scholis suis tuebatur, opinionem defendisset, sine ullo verbo, quietus mente, cum fratribus sociis ad conventum rediit. Studentes vero et socii fratres, non ferentes talem injuriam, dixerunt: Nos graviter in tua persona offensi sumus, quia licentiandum non decebat, disputare contra opinionem tuam, teque non oportebat hanc veritatis injuriam coram omnibus magistris Parisiensibus sustinere. Quibus magister: Filii, respondit, visum mihi fuit, novo magistro in prin-

cipio esse parcendum, ne confunderetur coram omnium magistrorum conspectu. Quod meam vero doctrinam attinet, non timeo contradictionem cujuscumque doctoris; si tamen fratribus aliud videtur, die crastina supplere potero, quod omisi. Itaque die altera, quum in aula Episcopi Thomas cum reliquis convenisset, et eaedem quaestiones ac determinationes per licentiandum sine correctione aliqua fuissent repetitae; Thomas cum omni moderamine: Magister, dixit, ista opinio tua salva veritate teneri non potest, quia est contra (quod nominavit) Concilium; ideo oportet te aliter dicere, si non vis a concilio discordare. Tunc aliter quidem licentiandus dicere coepit, ast opinionem in sententia non mutavit; quocirca Thomas ipsum iterato arguens et Concilium contra ipsum adducens compulit eum, ut errorem suum confiteretur ac humiliter veritatem a tanto Doctore peteret. Docuit igitur ipsum Thomas, quod erat pro veritate tenendum. Mirati sunt omnes magistri tam scientiam Doctoris, quam tranquillitatem mentis ejus et verbi.

Id quoque memoratu dignum est, quod S. Thomas, qui acutissimus erat in disputationibus publicis scholarum, de suggestu ad populum dicens numquam non talia proposuerit, quae populus capere poterat, quaeque ipsi utilia erant, rejectis omnibus scholae subtilitatibus. Ideo etiam saepius dicebat, mirari se, quomodo praecipue religiosi possint de suggestu de alio loqui, quam de Deo aut his, quae aedificationi animarum inserviunt. Hac in dicendo popularitate tantum populo, qui sermones Thomae summo cum gaudio excipiebat, profuit, quantum

eruditione ac subtilitate doctis omnis generis, ac convertendis haereticis atque Judaeis.

Studeamus igitur et nos, fratres, praeprimis sacris litteris, doctrinae Patrum ac caeteris disciplinis theologicis, quin ideo studium philosophiae ac bonarum artium negligamus, ut simus potentes in doctrina sana et parati ad respondendum cuivis poscenti a nobis rationem fidei, quam profitemur, aptive tam ad populum fidelem rite instituendum, quam ad errores infidelium, haereticorum et judaeorum convellendos. Videamus dein, ne, uti monet S. Gregorius *), scientia nos extollat nec superbientes faciat et accepta sapientia, cum ignorantiae tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat. Deo potius, qui dedit nobis intellectum et scientiam, gratias agamus, pro ipsius gloria studeamus, vigilemus, laboremus semper, ut finito vitae hujus curriculo eandem, quam Thomas, mercedem accipiamus. —

Quodsi, quae hucusque de vita ac doctrina divi Thomae Aquinatis narravimus, denuo in mentem revocemus, facile fuerit errores detegere, devia invenire, a quibus viri docti, imprimis Theologi, sibi cavere debent.

1. Inter principaliores, de quibus nostris temporibus disputant, quaestiones, haec quoque occurrit: Num liceat Theologo catholico Philosophiae operam dare? — Sunt, qui id affirment, sunt, qui negent. Illi rationem tamquam excellentissimam, quam a Deo acceperant, dotem considerantes ingratos erga Deum, Optimum, Maximum se fore existimant, ni illa ad eruendas, accuratius definiendas et in systema redigendas religionis veritates uti ve-

*) In moral.

lint, idque eo magis, cum et Christus et Apostoli rationis suae usum fecerint tum ad seligendas pro diversitate adjunctorum loci, temporis, personarum materias institutionis suae, tum ad veritates propositas rite probandas et contra adversariorum commenta defendendas. Imo sunt, qui rationem suam tamquam supremum in dijudicandis religionis veritatibus judicem considerantes veritates quoque positivas intellectu suo pervadere, omnia mysteria modo prorsus naturali captuve facili explicare, suumque veritates adeo sublimes concipiendi ac explicandi modum tamquam unicum possibilem et verum et a ratione probatum omnibus obtrudere velint, hosve, ni consentiant, tamquam homines obscuros, superstitiosos, omnis intellectus illustrationis et progredientis humani generis culturae inimicos plenis buccis declarare audeant. Alii e contra, magnum illum luminis naturalis abusum, vagas philosophorum sententias, systemata illorum sibi invicem repugnantia perpendentes, ab omni disputatione et veritatum perscrutatione abstinendum atque divinae auctoritati simpliciter cum plena rationis propriae submissione inhaerendum existimant, ut hoc modo puritas religionis servetur et omnibus sophistarum, haereticorum, infidelium erroribus via obstruatur. Jam si modum agendi divi Thomae consideremus, ipsum media incessisse via, in propatulo est. Fecit ille quidem usum suae rationis, at nonnisi in honorem, commodum et exaltationem revelationis. Utebatur iis, quae vera invenit in philosophorum placitis, errores autem illorum sollicite declinavit. Habuit suum veritates concipiendi, proponendi ac explicandi modum, attamen doctrinae Ecclesiae in omnibus accom-

modatum atque judicio sacrae sedis apostolicae submissum, et a Pontificibus, uti Joanne XXII., Urbano V., Clemente VIII., qui Thomae doctrinam tamquam veridicam et catholicam commendarunt, probatum. Fides sancta et inconcussa rationem ejus dirigebat, Philosophia formam Theologiae subministrabat. Ideo Suessanus a) divum Thomam omnis Philosophiae decus appellat. Et Marcus Antonius Flaminius b): In hoc (philosophandi) genere, ait, apud Graecos floruere imprimis Basilius M. et duo Gregorii, Nyssenus alter, et alter Nazianzenus; apud Latinos multi quidem, sed ante omnes, sine ulla controversia, Thomas Aquinas, vir sanctitate morum et litterarum gloria praestantissimus, qui profecto, si disciplinam Aristotelis contempsisset, pulcherrima illa monimenta nobis non reliquisset, quae tendentibus ad cognitionem sapientiae splendidissimum lumen proferunt atque in sacrarii rerum divinarum abdita et penetrabilia tuto ac facili itinere perducunt.

Utinam et nos, fratres, hacce *media via* incederemus, Salvatorem tamquam unicum magistrum nostrum et doctrinam sanctae Romanae Ecclesiae tamquam unice veram habentes ac venerantes, nec vero ideo usum rationis revelationi congruum fugientes ac despicientes; nemo enim, ut ait Paulus (I. Cor. 3, 11.), fundamentum aliud ponere potest, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Ratio lumine indigebat, hocque lumen est Christus Jesus. Philosophia veritate indigebat, haecque veritas est Christus Jesus. Nemo dicat (I. Cor. 1, 12.): Ego qui-

a) Praef. in l. Psy. Arist.

b) In 12 Arist. l. de prima Phil.

dem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi. Quid enim est Petrus, quid Paulus, quid Apollo? Omnes (discipuli) Christi, qui solus habet verba vitae aeternae (Jo. 6, 69.). Unus Dominus ac magister noster, una fides (Ephes. 4, 5.), una veritas. Ut autem unam hancce fidem et veritatem hominibus nostri temporis, doctis et indoctis, rite proponere, sufficienter probare, et ad illorum vitam applicare, et contra quoscumque inimicorum insultus defendere queamus, ratione utamur, praeconceptas hominum opiniones, sophismata philosophorum noscamus oportet. Quod si fecerimus, numquam a vera fide deflectemus simulque veritates religionis modo hominibus nostrae aetatis congruo ac gravi proponemus, atque insignem illam, quam merentur, aestimationem illis conciliabimus a).

2. Thomas familiae divi Dominici adscriptus erat. Jam cum haec duas in Universitate Parisina cathedras obtinuisset, indigne id ferebant reliqui Universitatis doctores, eique ex invidia utramque eripiebant. E quo sat magnum Dominicanos inter et ceteros doctores Parisinos exortum est dissidium, quod impediebat, quo minus justo tempore Thomas Doctor ab Universitate salutaretur. Nec posteriori tempore deerant, qui, ut jam audivimus, tanti luminis splendorem ferre non valentes, de orthodoxia S. Doctoris dubitarent, varioque modo scripta ejus impugnarent. — Ecce quantum malum *invidia* eruditorum! Quamvis enim, ut ait S. Gregorius b), per omne

a) Lege D. F. G. Benkert Religionsfreund 1833. Aprilheft: „Verbindung der Intellectualität mit der Religion.“ Von Wilhelm von Schütz.

b) Lib. 5. Moral.

vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur; in hac tamen nequitia sua tota viscera serpens commovit et imprimendae malitiae pestem vomuit. Invidia est filia superbiae, uti observat S. Augustinus a). Hinc et inter eruditos quidam sibi ipsis sapientes (Rom. 11, 25.), ingenio suo superbientes, scientia sua inflati, qui summum se eruditionis fastigium conscendisse autumant, aegre ferunt, si alii quoque altius ascendere eandemque consequi lauream cupiant, libros in lucem edant, in quibusdam diversas ab illis sententias defendant. Inde tanta dissidia, tantae rixae ac contentiones! Alii progressibus, studio, eruditioni aliorum non invident, imo potius congaudent, si modo hi fuerint fratres, i. e. ejusdem familiae, ejusdem Ordinis viri, eidem provinciae, eidem imperio vel nationi adscripti; sin vero minus, a priori jam quaecumque illorum dicta et scripta, quin illa accuratius noscant, vituperant, rident, scommatibus proscindunt. — Talibus deest humilitas, pietas, universalis illa charitas, quam Christus Dominus inculcat, studium gloriae divinae, cor rectum, ut cum Chrysostomo loquamur. Quemadmodum enim columna, ait Chrysostomus b), si recta fuerit, accepto pondere amplius confirmatur, si autem modice obliquata fuerit, non solum non confirmatur, sed amplius vadit ad latus: sic et cor hominis, si fuerit rectum, videns opera viri justi, audiens doctrinam sapientiae ejus, amplius confirmatur. Sed si cor perversum fuerit, non solum non con-

---

a) De verb. Dom. super Matth.

b) Super illa Matth. 21.: Indignati sunt.

firmatur, sed magis ad invidiam excitatur et magis pervertitur.

A tali errore divus Thomas alienissimus erat. Ipse etenim, etiamsi sicut sol caeteris praefulgeret, humillime semper de se sentiebat; in refutando Guilielmi a S. Amore contra religiosos mendicantes libello operam suam industriae ac conatibus tum Alberti Magni, ejusdem, tum Bonaventurae, alterius Ordinis religiosi, conjungebat; diversas eruditorum de rebus nondum ab Ecclesia definitis adeoque disputabilibus sententias libenter tolerabat, imo utrasque, licet diversis locis, in scriptis suis allegabat, et si quando, uti in disputationibus, contradicendum erat, etiam exasperatus, summâ cum modestia et humilitate, dulcedine ac humanitate id faciebat, eo unice consilio ductus, ut veritati testimonium perhibeatur, ut doctrina Ecclesiae sanctae catholicae triumphet.

Caveamus igitur nobis, fratres dilectissimi, ne et nos in sat vulgarem illum eruditorum errorem labamur! Procul sit a nobis omnis invidia, omnis fastus, et quaevis partium studiosa, imprudens dilectio fratrum. Gaudeamus in Domino, si ipse Altissimus viros omni eruditionis laude conspicuos et ingenio florentes in Ecclesia sua excitaverit tamquam doctores caeterorum, cujuscumque demum ordinis vel familiae fuerint. Gaudeamus de illis, illisque adhaereamus, quamdiu ipsi Ecclesiae, Christo, fidei catholicae adhaerent! Procul sit a nobis omnis spiritus discordiarum, rixae, dissensionis! Unita vi contra communem fidei ac religionis hostem pugnemus; nullus quaerat, quae sua sunt, omnes, quae sunt Jesu Christi. Sit hic vel ille fortior vel potentior, verbo

aut opere; dummodo Christus annuntietur (Philipp. 1, 18.), dummodo Christus glorificetur, dummodo Christus ejusque Ecclesia vincat et triumphet. Quare opera aliorum pressuram nobis suscitent (Philipp. 1, 17.)? Divisiones sunt gratiarum (I. Cor. 12, 4.). Quilibet deserviat Domino in omni humilitate secundum proprium, quod habet ex Deo, donum (I. Cor. 7, 7.). Non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei (Rom. 9, 16.). Hic plantat, ille rigat; nec hic est aliquid, nec ille, sed, qui incrementum dat, Deus (I. Cor. 3, 7.). Nos, etiamsi omnia fecerimus, quae praecepta erant nobis, servi tamen inutiles sumus (Luc. 17, 10.): Deo igitur ac Salvatori nostro Jesu Christo, qui nos omnes sine omni nostro merito elegit misitve in vineam suam, Christo, qui nobis vires et sapientiam dedit, honor, laus et gloria! — Si autem fides vera catholica, si conscientia contradicere nos jubent: modeste ac humiliter, sine ira et odio, ex amore Dei et proximi id faciemus, quaerentes secundum divi Augustini monitum in necessariis unitatem, relinquentes in dubiis libertatem, observantes in omnibus charitatem. Confusus dein recedet antiquus ille hostis generis humani, callidus serpens, qui si viderit servos Dei convalescere, nil antiquius habet, quam ut semen discordiae inter illos spargat, illos debilitet ac communi inimicorum ludibrio exponat.

3. In vita S. Thomae legimus dein, illum in societate cum aliis doctoribus Parisinis novam et quidem meliorem studiorum *methodum* adornasse, et publicis scholarum disputationibus non contentum, multis quoque scriptis Ecclesiam ejusque doctrinam illustrasse. —

Valde errant scholarum publicarum magistri, qui certae cuidam in tradendis disciplinis methodo assueti, quamlibet aliam, forte perfectiorem, ea de causa, quod nova sit, vel commoditatem ipsorum turbet, fastidiunt. Errant, qui ingenti quodam scribendi novaque systemata condendi pruritu feruntur, cum vix limina disciplinae cujusdam salutaverint et nec principia sat firma teneant, nec linguae sat gnari sint, nec scribendi dexteritate polleant. Errant non minus, qui, cum variis ingenii dotibus instructi, longiori studio, multa experientia, exercitio non intermisso disciplinas quasdam in succum et sanguinem converterint et vel novum systema condere vel principia nota clarius exponere, uberius demonstrare, tribus verbis, ad disciplinam perficiendam vel illustrandam aliquid conferre possint, id scripto facere recusent, infausta fors criticorum, qui opera illorum recensent, judicia imo et convicia timentes. Ubi enim perfectioni locus datur, studendum illi. Si nova fors methodo majorem doctrinae claritatem conciliare, vel auditores faciliori breviorique modo ad ejus cognitionem sat claram et solidam perducere vel saltem attentionem illorum magis excitare possimus: cur eandem non adoptemus? Qui citius, quam oportet, i. e. ante annos necessariae spiritus maturitatis, quae tamen annis physicis non est dimetienda, librorum scriptionem aggrediuntur: teste experientia plus detrimenti quam utilitatis causant; auctoris enim fama ac gloria titillati facile perverso aevi genio se accommodant, falsas quoque vel speciem tantum veri habentes sententias defendunt, quas dein in senectute fors ipsi perhorrescent ac retractabunt; vel saltem

rem probatam ac sanctam minus dextere tractantes, ansam inimicis illam impugnandi vel cavillandi praebent, nec ad eam amplectendam alliciunt, sed potius ab ea repellunt. Qui autem sufficientibus dotibus ac scientiis instructi ex vano timore vel commoditate scribere recusant; genium aevi sui non satis assecuti sunt, nec tantum, quantum possunt, ad gloriam Dei conferunt. Nostris enim temporibus, quibus tot et tam perversa opera prelo dantur, ac leguntur, hocce quoque gladio, scriptione bonorum librorum, dimicandum est. Scienti vero bonum facere et non facienti, peccatum est illi (S. Jac. 4, 17.).

Studeamus igitur nos, fratres, exemplum divi Thomae imitantes, optimae in tradendis disciplinis theologicis methodo, nullamque fugiamus operam, ut, si necessarium et utile fuerit, non modo verbo, oratione, sed et scriptis doctrinam Ecclesiae exponamus, probemus ac defendamus, hocque modo ad gloriam Dei, exaltationem s. matris Ecclesiae, salutem fidelium conferamus, caeterum praecox illud scribendi desiderium fugientes. Sane enim honori non est Clericis, si tot funestis libris Ecclesiam in genere, vel ejus doctrinam, disciplinam, hierarchiam, jura ac privilegia infestantibus ac pervertentibus ipsi sileant vel laicis opus defensionis scriptae relinquant. Nos, qui de altari vivimus, pro altari quoque pugnare debemus, bene attendentes, ut omnibus omnia fiamus, i. e. semper ad genium, indolem, captum, indigentias tum eruditorum, quum populi respiciamus.

III. Ultima vitae S. Thomae Aquinatis momenta.

Anno 1274. ad Concilium Lugdunense secundum generale a Gregorio decimo evocatus iter arripuit mense Januario, portans libellum, quem de mandato Urbani Papae fecerat contra Graecos; castrumque Magenae, Terracinensis dioecesis jam debilis ingressus est, visurus dominum castri praedicti, Hannibaldum de Ceccano ejusque uxorem Franciscam de Aquino, quae erat Thomae neptis (i. e. fratris germani filia). Ibi tali affectus est stomachi imbecillitate, ut nullum fere cibum gustare posset. Hac de re a medico interrogatus, de nullo cibo, nisi de halecibus, quos comederat in Francia, dicebat se posse gustare. Attamen etiam cum, non sine speciali divinae providentiae beneficio, tales pisces fuissent inventi et Thomae allati; renuebat edere dicens: Melius est, ut divinae providentiae me committam, quam de his piscibus, divina concessis potentia, manducare praesumam. O quantum divinae pietatis, sensibilem quoque servi sui appetitum reficere volentis indicium!

Quis Thomam non imitetur? Quis divinae non confidat providentiae? Quis ejus ductui totum se non committat? Deus novit pusillum et magnum, de omnibus, etiam minimis, aequaliter cura est illi (Sap. 6, 8.), quoniam et capilli capitis nostri omnes numerati sunt (Luc. 12, 7.). — Pro tanta bonitate oportet, ut moderato usu et abstinentia gratum erga Deum animum testemur, quemvis abusum devitantes atque pauperum quoque curam habentes.

Post aliquot dies adhibitis remediis confortatus

iter suum prosequutus est Thomas, atque juxta monasterium Fossae novae (Cisterciensis Ordinis) transiens, ab Abbate et monachis invitatus volensque ibi aliquibus diebus vires resumere, praedictum monasterium ingressus est cum iis, qui comitabantur ipsum, accedens primo ad ecclesiam, ut sanctissimo altaris Sacramento, sicut consueverat, debitam reverentiam exhiberet, et dein ad claustrum, spiritu prophetico tactus, audientibus pluribus monachis et ordinis sui fratribus, praecipue Raynaldo dixit: Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam (Psalm. 131.). Quo dicto lamentantibus fratribus, praecipue sui Ordinis, deductus est in cubile Abbatis, caeteris sociis, sicut exigebat necessitas, cum magna charitate collocatis. Jam cum S. Doctor, majori gravatus infirmitate, ibi decumberet, monachi magna cum reverentia et humilitate serviebant ei, ita ut et de silva propriis humeris ligna deferrent, felices se reputantes, si tanto ac tali viro servitium aliquod exhibere possent. Thomas autem: Unde hoc mihi, ajebat, ut servi Dei serviant homini et onus tantum de longe deferant? Rogatusque ab aliquibus monachis, ad exemplum divi Bernardi provocantibus, ut aliquod memoriale suae scientiae eis relinqueret, date mihi spiritum Bernardi, respondit et implebo petitionem vestram; denuo autem rogatus exposuit illis breviter Canticum Canticorum. Dein, cum sensisset, finem vitae suae appropinquare, saepius verba illa divi Augustini *) pronuntiavit: Cum inhaesero Tibi (Domine)

*) Lib. 10. Conf. c. 28.

III. Ultima vitae S. Thomae Aq… momenta.

Anno 1274. ad Concilium Lugdun… generale a Gregorio decimo evocat… mense Januario, portans libellum, … Urbani Papae fecerat contra Gr… Magenae, Terracinensis dioece… sus est, invisurus dominum c… baldum de Ceccano ejusque … Aquino, quae erat Thoma… mani filia). Ibi tali affectu… ut nullum fere cibum … medico interrogatus, d… bus, quos comederat … stare. Attamen etiam … providentiae benef… et Thomae allati… ut divinae pro… his piscibus, … indigno plus praesumam. … qui diutius in hac quoque ser… praesenti mortali vitae dicium! … consolatus intrarem. Unde

Qui… quia ego in omnibus sum in confidat … cum coepisset nimia debilitate denon c… cum devotione petiit exhiberi sibi chri… de o… peregrinationis viaticum. Quod cum fuisset (Sa… cum reverentia ab Abbate et monachis adm… portatum: ipse, prostratus ad terram, debilis corpore, fortis mente, Domino suo cum lachrymis obviam occurrit, et oblato sibi corporis dominici Sacramento de fide in hoc sanctissimum Sacramentum,

...at, interrogatus, libera voce, devote
...is respondit: Credo et pro certo scio,
...um esse et hominem, Dei Patris et
...ium et sic credo animo et confiteor
...s proposuit de hoc sanctissimo
...issis aliquibus devotis verbis
...xit, sicut jam innuimus de
...tis: Sumo Te, pretium
...ro cujus amore studui,
...avi et docui; nihil
pertinax in sensu
...ramento, totum
...esiae, in cu-
Sacramento
...rae unctionis
die) in osculo Do-
...c die 7. Martii, hora
... et octo annos tantum natus
, aut secundum alios quinquage-
annum a quibusdam mensibus in-

...a quis non miretur, fratres, plenam hujus
...ri in voluntatem divinam resignationem! Cum
vix 50. aetatis suae annum attigisset, docendo et scribendo plurimum Ecclesiae prodesset et nec opus suum perfectissimum (Summam Theologiae) finivisset, nunc, ad Concilium vocatus, adeo necessarius omnibus Ecclesiae fautoribus videretur: Deus illum ad coelestem mercedem vocat. Ecce servum humilem, qui numquam magna et excelsa de se cogitavit; ecce servum fidelem, qui nihil nisi gloriam Dei in omnibus quaesivit; ecce servum in vinea Dei indefessum, qui fractis quoque corporis viribus do-

ex omni me, nusquam erit mihi dolor et labor; et viva erit vita mea, tota plena Te! Nunc autem, quoniam Tui plenus non sum, oneri mihi sum. — Raynaldum quoque, socium suum, nimis contristatum de periculo mortis, in quo magister versabatur, placide consolatus est. Postquam enim ille magistro unam tristitiae suae causam revelasset, nempe quod sperasset, ipsum in Lugdunensi Concilio, quo tendebat, ad magnam aliquam assumptum iri dignitatem, quae ad honorem cederet Ordinis et proprii generis gloriam temporalem; S. Doctor, qui semper, solo sapientiae divinae amore contentus, mundo altior et omni temporali dignitate sublimior erat, respondit: Noli, fili, de hac causa turbari, quia hoc a Deo inter alia mea desideria petii et Deo gratias referens impetravi; ut me indignum in hoc gradu humilitatis de hac vita susciperet. Et quamvis potuissem amplius proficere in scientia et prodesse aliis in doctrina ex revelatione mihi facta: nunc placuit superioris scientiae revelare secretum; unde mihi indigno plus quam aliis doctoribus contulit, qui diutius in hac vita manserunt, ut citius aliis praesenti mortali vitae cederem, qui in aeternam consolatus intrarem. Unde consolare te, fili! quia ego in omnibus sum in consolatione. Postea cum coepisset nimia debilitate deficere, magna cum devotione petiit exhiberi sibi christianae peregrinationis viaticum. Quod cum fuisset maxima cum reverentia ab Abbate et monachis adportatum: ipse, prostratus ad terram, debilis corpore, fortis mente, Domino suo cum lachrymis obviam occurrit, et oblato sibi corporis dominici Sacramento de fide in hoc sanctissimum Sacramentum,

sicut moris erat, interrogatus, libera voce, devote ac cum lachrymis respondit: Credo et pro certo scio, hunc verum Deum esse et hominem, Dei Patris et Virginis Matris Filium et sic credo animo et confiteor verbo, sicut sacerdos proposuit de hoc sanctissimo Sacramento; et praemissis aliquibus devotis verbis sumendo Sacramentum dixit, sicut jam innuimus de intentione S. Doctoris agentis: Sumo Te, pretium redemptionis animae meae, pro cujus amore studui, vigilavi et laboravi. Te praedicavi et docui; nihil umquam contra Te dixi; nec sum pertinax in sensu meo, sed si quid male dixi de hoc Sacramento, totum relinquo correctioni S. Romanae Ecclesiae, in cujus obedientia nunc transeo ex hac vita. Sacramento suscepto petivit subsequenti die sacrae unctionis oleum; et post paululum (tertio die) in osculo Domini placidissime obdormivit die 7. Martii, hora matutinali, quadraginta et octo annos tantum natus secundum quosdam, aut secundum alios quinquagesimum aetatis annum a quibusdam mensibus ingressus.

Jam quis non miretur, fratres, plenam hujus s. viri in voluntatem divinam resignationem! Cum vix 50. aetatis suae annum attigisset, docendo et scribendo plurimum Ecclesiae prodesset et nec opus suum perfectissimum (Summam Theologiae) finivisset, nunc, ad Concilium vocatus, adeo necessarius omnibus Ecclesiae fautoribus videretur: Deus illum ad coelestem mercedem vocat. Ecce servum humilem, qui numquam magna et excelsa de se cogitavit; ecce servum fidelem, qui nihil nisi gloriam Dei in omnibus quaesivit; ecce servum in vinea Dei indefessum, qui fractis quoque corporis viribus do-

cere non destitit; ecce servum pium, obedientem, charitate in Deum et Jesum Christum plenum, qui in omnibus providentiae divinae se commendavit, cognita voluntate divina libenter terram deseruit et ad coelestia avolavit. Quod summi semper fecerat, hoc et in ultimo vitae suae momento declaravit, fidem in sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, obedientiam filialem erga S. Romanam Ecclesiam.

Fratres perdilecti! Vos quidem omnes in flore aetatis constituti estis. Vos omnes desiderio, Ecclesiae serviendi, multaque docendo pro gloria Dei et salute fratrum agendi, flagratis. Attamen quis scit, num et quam diu haec pia desideria explere vobis datum fuerit? Numerus mensium nostrorum est apud Deum (Job. 14, 5.). Ipse novit sessionem nostram et resurrectionem nostram (Psalm. 138.). Igitur plane et perfecte voluntatem nostram voluntati divinae subjiciamus, quotidie laborantes, tamquam longo adhuc tempore hisce in terris victuri, et tamen quamlibet diem tamquam ultimam vitae nostrae considerantes; parum de hoc, quo munere fungamur, quo in loco Deo et Ecclesiae serviamus, multum autem de eo, ut quolibet munere, minimo quoque, rite et ad gloriam Dei fungamur, ut semper et ubique fideliter serviamus illi, solliciti; nihil boni propter metum mortis intermittentes et tamen qualibet hora ad rationem judici reddendam parati, imo gaudentes, si Deus sufficienter probatos igne tribulationis, miseriarum ac laboris de corpore mortis hujus nos liberaverit et ad libertatem filiorum suorum nos evocaverit.

Thomas jure meritoque cum Apostolo (II. Tim. 4, 7.), dicere poterat: Bonum certamen certavi, cur-

sum' consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus et iis, qui diligunt adventum ejus. Utinam et nos hisce periculosis temporibus, quibus a tam multis, doctis et indoctis, fides impugnatur, honestas vilipenditur, sancta Romana Ecclesia infestatur, et in specie devotio erga sanctissimum altaris Sacramentum vilescit, bonum certamen certaremus et fidem sanctam illibatam usque ad terminum vitae servaremus! Tu es Petrus, ajebat Salvator ad Simonem (Matth. 16, 18.), et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Quid igitur timeamus, quid titubemus, si tempestas insurgat in mari, non absimiles discipulis, quos Jesus modicae fidei appellavit (Matth. 8, 26.)? Si in fide sanctae Romanae Ecclesiae, fundati super fundamentum Apostolorum, signa cum inimicis contulerimus: Christus erit nobiscum divino auxilio suo; ipse pugnabit pro nobis, ipse vincet ac triumphabit. Accedamus quotidie pie ac devote, plena fide ac fiducia ad aram Domini, in elevatione Corporis Christi cum Thoma in cordibus nostris clamantes: Tu rex gloriae, Christe, Tu Patris sempiternus es Filius! Christus, rex gloriae, triumphabit super omnes inimicos suos. Cui si fuerimus uniti in fide, spe et charitate, quis poterit resistere nobis? Arma dehinc nostra non erunt carnalia, sed potentia a Deo; omnem destruemus altitudinem sophistarum atque haereticorum fratrumque falsorum extollentem se adversus scientiam Dei, in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi (II. Cor. 10, 4—6.), ita ut laus sit non in nobis, sed in virtute Dei. — Curemus, fratres, ut fides ac devo-

tio erga sanctissimum Eucharistiae sacramentum in dies crescant; saepe hocce divinissimum sacramentum in sermonibus nostris proponamus, ac propriae devotionis exemplo pietatem in cordibus fidelium excitemus, ut Christum Salvatorem diligant ac frequenter ad sacram mensam accedant et in articulo mortis hocce sacramento, tamquam viatico in fine peregrinationis terrestris, reficiantur. O rem non satis deplorandam, si videamus sacerdotes solis diebus dominicis vel festivis ad aram, imo et ad ecclesiam accedentes, sacerdotes sine praeparatione, sine expiatione conscientiae ad altare properantes, sacerdotes cum incredibili levitate ac celeritate, sine debito devotionis signo tremendum illud sacrificium peragentes, nil antiquius habentes, quam ut, quam primum fieri potest, ab altari iterum recedant! O rem multis lacrymis deflendam, si infirmi esuriant panem coelestem et sitiant sanguinem Domini, et ministri sacri surgere de lecto recusent, aliis negotiis occupati, quin imo terrenis gaudiis dediti venire cunctentur, atque hoc modo infirmos supremum diem sine coelesti hac refectione obire sinant! Vos, fratres, precor atque obtestor, ne umquam in contemptum sacri ministerii nostri sanctaeque Romanae Ecclesiae tale quid faciatis, ne a sancto fervore in tantam tepiditatem, ne a firma fide in tantam incredulitatem, ne a filiali timore in tantam levitatem incidentes scandalum populo fideli praebeatis, ne Ecclesiam moerore afficiatis, atque Spiritum sanctum, qui datus est vobis, contristetis! Obdurate aures vestras insusurrationibus filiorum hujus mundi, vobis adulantium, vestrum ingenium, vestram eruditionem

extollentium, fidem autem Ecclesiae ejusque probatam tot saeculorum decursu disciplinam blasphemantium! Sequimini potius exemplum angelici Doctoris nostri, pro Christo in vita sua laborantis et vigilantis atque in fide et obedientia Ecclesiae sanctae e vita decedentis, cujus memoria est in benedictione!

Post obitum S. Doctoris Abbas monasterii et monachi, dolentes de tam subita tanti Ecclesiae luminaris eclipsi, solemnes circa Sancti corpus exequias celebrarunt, quibus interfuerunt Ordinis fratres, qui de diversis conventibus ad eum visitandum venerant, Episcopus Terracinensis, Ordinis Fratrum Minorum cum pluribus de suo Ordine, multi de Campania nobiles, quorum quam plures traxerat carnalis affectio, multos provocaverat fama scientiae ejus, exemplum vitae ejus. Jam neptis divi Thomae, Francisca, de qua supra erat sermo, cum ausa non fuisset monasterium ingredi, petivit ab Abbate, ut faceret funus ad ostium monasterii afferri. Quo viso ipsa cum aliis duabus supra tanti viri funus lugubre fecerunt lamentum, sicut postulabat consanguinitatis affectio et doloris magnitudo. Quarum gemitus cum longius personaret, mulus, cui Sanctus insederat, de stabulo fracto fune se dissolvit et nullo ducente appropinquans ad feretrum, mortuus sine omni alia infirmitate defecit. Corpus dein ad ecclesiam delatum et debito cum honore prope altare magnum tumulatum fuit. Caeterum ut de naturali ejus corporis dispositione quaedam addam, S. Thomas magnus erat corpore, tenerrimae complexionis

in carne et staturae rectae, coloris triticei, magnum habens caput, aliquantulum calvus.

Multi deflebant tanti Doctoris obitum, imprimis fratres Ordinis et in his Raynaldus, individuus Thomae socius, cui servivit non solum ut magistro discipulus, ut patri filius, sed ut Sancto devotus. Hic post peractum dolore lugubri sepulturae officium et depositum publicum innocentiae sancti viri testimonium, locum quaesivit silentii, lachrymarum conscium et doloris amicum. Ibi in lachrymas et gemitus prorupit, quorum excessum solummodo beatus magistri obitus temperare potuit. Nec mirum. Quis enim potuisset in tanti Doctoris obitu cordis temperare dolorem, lachrymas continere, supprimere quaerelas? Flos innocentiae cecidit, lumen scientiae obnubuit, siluit doctrinae organon, disparuit sanctitatis exemplum. Etiam Albertus Magnus, qui fuit magister Thomae, audiens mortem ejus, ploravit fortiter et quotiescumque postea audiebat memoriam ejus, plorabat affirmans, illum fuisse florem et decus mundi. Imo tota morti tam venerandi Doctoris illacrymabatur Ecclesia, per ejus perlucida ac salutifera documenta (ut ait Papa Urbanus V. in Bulla) illustrata virtutibusque decorata, moribus informata. Universitas quoque Parisiensis cum toto Ordine indoluit suumque dolorem datis ad Capitulum generale Dominicanorum eo ipso anno (1274.) Lugduni coactum litteris, quibus insuper scripta quaedam Thomae petebat, publice manifestavit *).

*) Vide Baulaei Hist. Univ. Paris. Tom. 3. p. 408., in qua haec verba occurrunt: ,,Singultuoso clamore totius Ecclesiae universale dispendium nec non et Parisiensis studii ma-

Post felicem transitum S. Thomae divina non defuere miracula, quibus mirificavit Dominus sanctum suum et assumptum in gloriam terrigenis de-

---

nifestam desolationem lacrymabiliter deplangimus et his diebus praeelegimus in communi non immerito deplorare. Heu! heu! quis det Nobis, ut repraesentare possimus Jeremiae lamentum, qui supra solitum modum in mentes deinceps singulorum inauditam ecstasim causans et inaestimabilem stuporem adducens, demum viscerum nostrorum viscera transfodit, et quasi letaliter cordium intima penetravit. Fatemur, vix valemus exprimere. Amor enim trahit, sed dolor et vehemens angustia nos compellit ex communi relatu multorum et certo rumore, Nos scire, Doctorem venerabilem F. Thomam de Aquino ab hoc saeculo fuisse vocatum. Quis posset aestimare, id divinam providentiam permisisse et stellam matutinam, praeeminentem in mundo, jubar in luce saeculi, imo, ut verius dicamus, luminare majus, quod praeerat diei, suos radios retraxisse! Plane non irrationabiliter judicamus, solem istum revocasse fulgorem et passum fuisse tenebrosam eclypsim, dum toti Ecclesiae tanti splendoris radius est substitutus. Et licet non ignoremus, Conditorem omnium ipsum toti mundo ad tempus speciali privilegio concessisse, nihilominus, si antiquorum philosophorum auctoritatibus vellemus inniti, eum videbatur simpliciter posuisse. Nam ad ipsius occulta elucidanda et cor scrutandum ne verbis talibus immoremur. — Cum eum a nostro Collegio generali Capitulo vestro Florentiae celebrato, licet requisissemus instanter, proh dolor! non potuimus obtinere, tum ad tanti Clerici, tanti Patris, tanti Doctoris, non existentes ingrati, devotum habentes affectum, quem vivum non potuimus rehabere, ipsius defuncti ossa a vobis humiliter pro maximo munere postulamus. Quoniam omnino est indecens et indignum, ut altera natio aut locus, quam omnium studiorum nobilissima Parisiensis civitas, quae ipsum prius educavit, nutrivit et fovit, et postmodum ab eodem doctrinae documenta et ineffabilia fomenta suscepit, ossa

claravit. Hinc Joannes XXII. Pontifex Maximus anno salutis 1319. processum inquisitionis in vitam, conversationem ac miracula Thomae instituit, illumque 18. Julii anni 1323. catalogo Sanctorum adscripsit. — Corpus Sancti hujus, quod primitus in ecclesia monasterii Fossae novae, dein in castro et civitate Fundorum ad Linguam Occitanam asservabatur, et a Serenissimo Siciliae rege Ludovico instanter petebatur, ex decreto Pontificis Urbani V. anno 1368. in festo Corporis Christi Ordini Praedicatorum gratiosa atque perpetua largitione donatum et 28. Januarii anni 1369. Tolosam ad domum Praedicatorum translatum, ejusdem autem corporis dexterum brachium Parisios, ad decorem totius studii Parisini, in quo, ut ait Pontifex, idem Sanctus sua fervida facundia coelestis irrigui gratia influente Scripturarum aenigmata reseravit, solvit nodos, obscura dilucidavit, dubiaque declaravit, ad domum Praedicatorum transmissum, ibique 13. Julii cum ingenti pompa collocatum; dein anno 1372. ex concessione Capituli generalis Dominicanorum Tolosae celebrati brachium alterum conventui Dominicanorum Neapolim transmissum, dein ex ecclesia S. Dominici ad ecclesiam metropolitanam translatum est.

Ipse Sanctus Patronus civitatis Neapolitanae electus honorifice ibidem, sicut in civitate Tolosana

---

inhumata habeat et sepulta. Si enim Ecclesia merito ossa et reliquias Sanctorum honorat, nobis non sine causa videtur honestum et sanctum, tanti Doctoris corpus in perpetuum penes nos haberi in honore, ut, cujus famam apud nos scripta perpetuant, ejusdem perseverans memoria sepulturae ipsorum in cordibus successorum nostrorum stabiliat sine fine etc."

et aliis in locis colitur. Colamus et nos, fratres, sanctum huncce virum, doctorem egregium, humilem et devotum, rogantes Deum, ut gratia ipsius, quae Sanctus ille docuit, intellectu perspicere, et quae egit, imitatione complere valeamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Index.

Historia vitae

S. Laurentii Justiniani,

primi Patriarchae Veneti.

I. Laurentius Just. transacta pueritia statum eligit religiosum.

Illustris Justinianorum familia, e qua natus est Laurentius noster, a Justiniani Imperatoris posteris defluxisse dicitur. Hujus familiae virtus cum multis in bellis tum in eo maxime claruit, quod a Vitali Michaele II., duce Veneto (tricesimo octavo; ab anno 1156. usque 1173.) adversus Emanuelem Comnenum, Joannis Comneni filium, Imperatorem Constantinopolitanum feliciori initio, quam eventu gestum est. Classis nempe nobilissima centum triremium et 20 navium, quam dux Venetus confecit et in altum deduxit, quum capta ac spoliata insula Chio ad insulam S. Panagiae divertisset et aquatum descendisset, incredibili lue vastata est. Justiniani ad unum omnes, qui classem illam conscenderant, sic volente Deo aut ferro aut morbo exstincti sunt. Domi praeter aliquot senes unus supererat adolescens, Nicolaus nomine, apud monachos S. Nicolai. Vitalis dux in patriam reversus impetravit a Pontifice Alexandro III., ut liceret adolescenti monacho solvere vinculum religionis ad reparandam sobolem suae gentis, eique unicam filiam suam, Annam nomine, despondit. Faustae fuere nuptiae. — Laetus prospera sobole Nicolaus et Deo gratias agens, voti veteris religionisque non immemor, ad monasterium reversus est, aedificato prius coenobio virginum sub nomine S. Adriani, in quo uxor ipsa quoque monasticam coepit

vitam. — Ex hac igitur propagine ortus est Laurentius, Bernardo Justiniano patre, qui juvenili adhuc in aetate fatis cessit, Quirina matre clarissimo genere, quae anno aetatis vigesimo quarto amisso viro et 5 liberis susceptis reliquam aetatem coelibem duxit, domum suam regens (I. Tim. 5, 9.), et filios in timore et mandatis Dei instituens, instans orationibus die ac nocte, jejuniis et vigiliis, cilicio et catena aerea circa lumbos gestata carnem suam castigans, praecipue autem in pauperes misericors ac benefica.

Natus est Laurentius Venetiis anno 1381. sub finem belli Genuensis, eoque die, quo pro insigni apud Clodiam (Chioggia vel Chioza) per Andream Contarenum, Venetiarum ducem, parta victoria universa civitas supplicationibus et omni laetitiae genere redundabat (Calendis Juliis secundum Egnatium, 7mo calendas Julii secundum Sabellicum). Mater ejus dicere solebat, se, dum in ea laetitia pareret, gaudio quodam animi perfusam, Deo primum gratias egisse, quod eum partum, quem tantis in laboribus periculisque gestasset, in lucem edidisset, deinde Deum suppliciter orasse, ut hostibus aliquando formidini esset et saluti civibus.

De pueritia Laurentii hoc solummodo constat, quod ob singularem morum elegantiam omnibus amabilis fuerit, quodque animum ejus, ad summas res semper intentum, nihil ludicri, ut solet juvenes, delectaverit, ita ut aliquando Quirina mater, metuens, ne mundi honores amplecteretur plus, quam par esset, „quod infernum sapiat ista superbia,“ eum attentum fecerit. Cui Laurentius veluti per jocum: Noli timere, mater, reposuit, magnum me Dei servum adhuc videbis.

Annos natus undeviginti apparitione dignatus est, quae maximum in electionem status sui influxum habuit. Ipse Sanctus hanc apparitionem in libello, cui titulus: Fasciculus amoris c. 16. describit. Agit nempe in antecedentibus de eo, quod homines pacem quidem semper quaerant, ast numquam in creaturis, numquam in delectabilibus hujus saeculi, sed unice in Christo inveniant. Et prosequitur dein hocce modo: „Venite itaque, sectatores pacis et inconcussi boni amatores, qui hactenus supervacue laborastis, et pereuntis saeculi amore onerati fuistis. Venite, inquam, et gratis narrabo vobis, quanta fecerit Deus animae meae. Communicabo vobis pro Dei gloria vestroque profectu, quod in cordis penetralibus occulte percepi. Eram et ego aliquando vestri similis, quaerens anxio aestuantique desiderio pacem in extrinsecis; nec inveni. Tandem divina praeventus gratia, speciosissima quaedam, sole splendidior balsamoque suavior, mihi apparere dignata est, cujus omnino nomen ignorabam. Haec namque propius accedens venusto vultu placidoque affatu inquit: O juvenis, in me diligende, cur effundis cor tuum, pacemque sectando variaris per multa? — Quod quaeris, in me est, quod concupiscis, tibi polliceor spondeoque, si tu me in sponsam habere volueris. — Fateor, quoniam ad eloquium illius elanguit cor meum et amoris ejus jaculo transfixus sum. Complevit quadam insueta laetitia mentem meam, et omnia interiora mea spirituali exultatione perfusa sunt. Cum vero, in his positus, nomen ipsius, dignitatem et genus scire peroptarem, adjecit: se Dei sapientiam vocari et esse, quae in temporis plenitudine pro hominum reconciliatione humanam formam suscepit et quae

ante invisibilis erat cum Patre, visibilem naturam, ut aptius amaretur, accepit ex matre. Cui cum ingenti gaudio dum praebuissem assensum, dato pacis osculo laeta discessit. — Tunc et deinceps amoris illius flamma excrevit, memoria viguit, et dulcedinis illius abundantia perduravit. Hanc itaque amavi, ut sponsam, hanc ut charissimam tenui, ipsaque mediante pacis bonum, quod ante quaesiveram, utcumque gustavi. Hinc hortor fiducialiter universos, properare ad illam, sciens, quod laetissime excipit omnes accedentes, pacisque inebriat poculo ita, ut ultra sitire non possint.“ — Redeamus nunc ad Laurentii historiam.

Hac visione perculsus rem detulit Laurentius ad Marinum, Quirinae matris consobrinum, qui erat in monasterio Canonicorum collegiatorum S. Georgii in Alga, virum doctum ac sanctum. Hic, quamvis animum juvenis ad altioris vitae rationem tendentis intellexisset, tamen aliquo tempore penitius illius animum perspicere et corporis infirmitatem experiri maluit, hisque convenientia profecto juveni consilia dedit. Laurentius in vestitu nihil mutavit, ne cultus sordidior proderet animi sui propositum; res autem matri, nimium filium amanti, diu secreta esse non potuit, quae, cum praeter suspiciones alias ligna quaedam rudia super lectum sternere, superque his lignis cubitare filium deprehendisset, metuens pro molliori matris natura, ne filius non satis difficultates religionis intelligeret, in animum induxit, tentare filii propositum et nuptias apparare. Offerebatur virgo, forma, nobilitate et amplis divitiis praestans. Id cum animadvertisset Laurentius et fratres cum matre conjurasse perspiceret: fugam suam maturavit atque ad Marinum, avunculum suum, se con-

tulit. Dicebat autem hac super re Laurentius: se initio conversionis suae animo proposuisse hinc omnia fortunae bona, nobilitatem, magistratus, honores, uxorem, liberos, pecuniam et omnis praeterea generis voluptates; illinc inedias, vigilias, aestus, algorem, servitutem; sedisse se dein quasi judicem inter ista et ita secum locutum esse: Considera nunc etiam atque etiam, Laurenti, quid agas? Putasne, quod haec perferre poteris aut illa contemnere? Tunc sese ad Domini crucem convertisse ac dixisse: Tu es Domine spes mea, ibi posuisti certissimum refugium meum. — Sic confirmatus animo, relicta matre fratribusque, calcatis praeterea opibus et honoribus et florentis aetatis illecebris, claustrum ingressus est.

O admirandam *clementiam* divinam, quae juvenis tam praeclaris dotibus instructi et ad magna aspirantis miserta, via occulta et mirabili ad amorem sapientiae coelestis eum traxit, et terrena omnia contemnere fecit! Quis in variis vitae hujus angustiis constitutus ei non confidat? Quis deliberans, quid in hoc vel illo casu facere se oporteat, ad eam non confugiat? Quis non clamet (Psalm. 142, 8.): Notam fac mihi Domine viam, in qua ambulem, dirige gressus meos et vias meas, ut sciam, quid beneplacitum sit in oculis tuis et consiliis tuis conforme! — Deus non despiciet nos, nec derelinquet nos, sed illuminabit mentem nostram et dabit auxilium tempore opportuno. Ipse enim dixit (Ps. 90.): Clamabit ad me et ego exaudiam eum, et cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. — Recte igitur monet Petrus Blesensis *): In

*) De instit. episc.

omni angustia totam spem tuam jacta in Domino, quoniam nomen Domini plurima fortitudo.

At vero Deus saepius etiam, quin precemur ipsum, loquitur ad cor nostrum, excitat nos, illuminat nos. Nos autem obturamus aures nostras et obduramus cor nostrum, nolentes vocem Dei audire, nolentes sequi mandatum ejus. — O utinam exemplum S. Laurentii Justiniani imitaremur, qui, visione illa mirabili edoctus, non deliberavit diu, quid facere se oporteat, sed mox, amore coelestium captus, mundum et quae sunt in mundo, divitias, honores, dignitates, despicere, delectationes vitae praesentis exstinguere, propriis voluntatibus contraire (S. Gregor. a), omnes animi motus rationi subigere, omnia carnis desideria spiritus virtute frenare conatus est. Facilius ei fuerat, suis quoque se abnegare b), domum paternam, fratres perdilectos, imo amatissimam matrem deserere, nuptiis aliisque vitae deliciis, regio cultui, honoribus et divitiis renuntiare, quam vocationi divinae non obedire. — De Laurentio, sicut et de Paulo Apostolo, depraedicare possumus, quod mundo crucifixus omnia detrimentum fecerit et arbitratus sit ut stercora propter eminentem scientiam et amorem Jesu Christi, Salvatoris nostri (Philip. 3, 8.). Noverat enim Laurentius 1., nihil pretiosius esse *Christo*, in quo omnes thesauri sapientiae et scientiae sunt absconditi (I. Coloss. 2, 3.). Si illi aequiparaveris argentum, ait ipse c), si aurum, si gemmas, si mundum, si ea, quae in mundo sunt, si coelum, sive ea, quae su-

a) Lib. 7. c. 8.

b) S. Amb. de fuga saeculi c. 2. n. 7.

c) Lib. de contemptu mundi c. 14. pag. 433.

per coelos sunt: prorsus omnia nihil aestimabis in comparatione illius. In eo quippe invenies opes immensas, quae numquam deficiunt, praecelsas dignitates, quae inflari non sinunt, delectationes spirituales, quae fastidire nequeunt, vitae diurturnitatem, senectutis ac corruptionis ignaram, sonora carmina coelestium gaudiorum, splendidissima convivia civium supernorum, pretiosaque monilia internarum gratiarum. Omnium profecto desiderabilium frueris abundantia, si ipsum in cordis tui hospitio habebis absconditum. Reficiet namque te dulcedine, replebit sapientia, irradiabit splendore, exuret charitate, devotione cibabit, laetificabit spe, fide nutriet, ditabit virtutibus, humilitate attollet, tibique adeo se familiarem exhibebit, ut vix te permittat separari a se. Tecum illum senties gradientem, tecum stantem, te alloquentem, te custodientem, te erudientem, te dirigentem, teque dilectione castissima complectentem. — Noverat Laurentius 2., nil esse vanius, inconstantius, fallacius *mundo*. Jam enim sapientissimus rex satis sufficiens hujus rei testimonium dedit, dicens (Ecclc. 2, 10. 11.): Omnia, quae desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur et oblectaret se in his, quae paraveram. Cumque me convertissem ad universa opera, quae fecerant manus meae, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. Vanitas vanitatum et omnia vanitas (Ecclc. 1, 2.). Suffragatur piissimus auctor libri de imitatione Christi, dicens *): Vanitas vanitatum, et omnia vanitas praeter amare Deum et illi soli ser-

*) De imit. Chr. l. 1. c. 1.

vire. — Vanitas est, divitias perituras quaerere et in illis sperare. Vanitas est, honores ambire et in altum se extollere. Vanitas est, carnis desideria sequi et illud desiderare, unde postmodum graviter oportet puniri. Vanitas est, longam vitam optare et de bona vita modicum curare. Vanitas est, praesentem vitam solum attendere, et quae futura sunt, non praevidere. Vanitas est, diligere, quod cum omni celeritate transit, et illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet. Ideo ait etiam Dominus (Matth. 16, 26.): Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur! (Matth. 6, 19. 20.) Nolite thesaurizare thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo, ubi nec aerugo nec tinea demolitur, neque fures effodiunt nec furantur. — Inconstantiam mundi quotidiana testatur experientia. Quem heri divitem vocabas, hodie pauperem vides; quem heri honoribus fulgentem conspexisti, contumeliis affectum hodie cernis; qui hesterna die sanus fuit, hodie decumbit, ut adeo recte affirmaverit S. Petrus Damian. *), mundum quantocius in amaritudinem verti, quibus blanditur. Non incongrua inconstantiae hujus mundi imago est hedera illa virens, quae sensim erumpentibus foliis supra caput prophetae (Jonae) lassi sese explicabat et amoenissimum, velut extensi tentorii, umbraculum effecerat, sed, cum miser, plenus solatio, sub umbra ejus quiesceret et laetitia magna laetaretur, subito exarescens emarcuit, et Jonam ferventissimi solis ardoribus expositum reliquit (Jon. 4, 6. seq.). Jacoponus in Threnodia comparat gaudia

*) Opusc. de contemptu saeculi.

hujus mundi umbrae hominis, gloriam mundi festo brevi, potentiam ejus vasis figuli, aitve:

Nil tuum dixeris, quod potes perdere;
Quod mundus tribuit, intendit rapere.
Superna cogita, cor sit in aethere;
Felix, qui potuit mundum contemnere.
Plus crede litteris scriptis in glacie,
Quam mundi fragilis vanae fallaciae.
Fallax in praemiis, virtutis specie,
Qui nunquam habuit tempus fiduciae.

Hocce respectu imitatur totus mundus, secundum ideam P. Segneri *), genium Vesuvii montis, qui, si videas culturam in circumsitis collibus, messem spondet aut vindemiam uberrimam, perpetuum ver, pascua semper virentia, autumnum aeternum, maturis semper frugibus abundantem; verum cum minime creditur, ex visceribus suis vomitu portentoso eructat integros sulphuris et bituminis torrentes, cineribus et saxis intermixtos, paucarumque horarum intervallo ingentem stragem edit. Fugite, ingeminat igitur propheta (Jerem. 51, 6.), fugite de medio Babylonis et salvet unusquisque animam suam.

Noverat Laurentius 3., Christum ipsum *exemplo* suo, quomodo contemnendus sit mundus, nos docuisse atque illis, qui reliquerint patrem et matrem, fratres et sorores aut agros propter nomen ejus, promisisse, illos centuplum accepturos et vitam beatam possessuros (Matth. 19, 29.). Unde tot et tanti homines, qui, coelestium praemiorum spe allecti, omnia, honores, voluptates, praedia imo et conversationem socialem respuentes, vitam ducerent in montibus et speluncis et in solitudinibus vastis, ut commodius Deo vacare liceret, vel coenobia construerent, ibi-

*) Serm. 30. pag 383.

qus remoti a turbarum fragoribus simul viverent, et diu noctuque in laudibus occuparentur divinis, sacris vacarent lectionibus, orationibus instarent, mutuisque exhortationibus ad profectum in virtutibus se accenderent. Hos imitaturus Laurentius congregationi Canonicorum S. Georgii ad Algas se addixit.

Et nos, fratres, etiamsi in mundo vivamus, oportet contemnere mundum et ea, quae in mundo sunt, et *nihil habere commune cum saeculo*, ut ait Chrysostomus a).

1) Amatores enim mundi inimici sunt Dei, inimici sunt Christi. Quicumque voluerit amicus esse saeculi hujus, ait S. Jacobus (4, 4.), inimicus Dei constituitur. Et S. Bernardus b): Amatores saeculi inimici sunt crucis Crucifixi. Quomodo enim, ut ait S. Augustinus c), pro Christo suum dabit sanguinem, qui pro eo non vult abjicere mundi vanitatem? Si Christus pro te de coelesti sede descendit, tu propter ipsum fuge terrena. Si dulcis est mundus, dulcior est Christus; si amarus est mundus, omnia pro te sustinuit Christus.

2. Amor mundi Clericos in multa pericula conjicit. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Impossibile est enim, uti ait Petrus Damianus. d), ut is, qui rerum familiarium curis opprimitur, qui simul habitando et colloquendo turbis quotidie popularibus admiscetur, mundo corde sanctis valeat interesse

a) Hom. 4. in ep. ad Tit. c. 2.
b) Serm. 1. de resurr.
c) De contemptu mundi inter opera S. Aug. tom. 9. edit. Lovan. pag. 2.
d) Opuscul. 27. c. 3.

mysteriis, in quibus videlicet terribilibus sacramentis coelum aperitur, et virtutes angelicae simul cum hominibus diversantur. Qui se negotiis saecularibus implicant, ait Richardus a S. Victore a), ab internis et aeternis semet ipsos alienant, nec valent de invisibilibus magna considerare, qui a visibilibus animum nesciunt revocare. Et S. Joannes Damascenus b): Quemadmodum, qui vinculis adstricti sunt, aegre incedunt; sic, qui huic vitae impliciti tenentur, virtutis curriculum pure ac plene perficere nequeunt. In mundo et per oculos et per aures irritamenta ad peccatum suscipiuntur, ait Basilius c), et latenter ipsi assuescimus. Dein

3. Mundi amatores, qui terrena quaerunt, negotiis saecularibus se implicant, cum mulieribus incaute conversantur, omnibus vitae deliciis frui exoptant, ipsi populo fideli sunt offensioni. — Quapropter cum non liceat nobis egredi e mundo, quasi coacti caute in mundo et cum mundo conversemur, non aliter quam cum latrone vel proditore. — Hic agendi modus facile illustrari potest historia quadam e vita pii Henrici Suso e familia divi Dominici d), cum illi aliquando iter fuisset ex Germania inferiore in superiorem per silvam, non tam ferarum copia, quam latrociniis infamem. Hanc enim cum sero jam die et sine comite ingrederetur, ecce latronem, corporis magnitudine, vultu gestuque formidandum, hastaque armatum obviam habet. Hic cum fixos in

a) Lib. 1. in apocal. c. 1.
b) Parall. lib. 3. c. 74.
c) Quaest. fus. disp. q. 6.
d) Vide Pauli Segneri e S. J. quadraginta Sermones. Edit. 2. Dilingae 1693. Serm. 30. pag. 388. seq.

Henricum oculos conjecisset, sta, inquit, Pater, et, quia te virum bonum esse arbitror, aures confitenti praebe. — Credebat Henricus, haec eum in finem dici, ut a via regia abductum securius certiusque trucidaret. Igitur consilii inops milleque animi fluctibus agitatus nesciebat, quid potissimum ageret. Quid enim? Sequeretur latronem? — Res plena periculi. Fugeret? — Vanum et incassum. Clamaret? — Temerarium. — Dum autem has inter angustias fluctuaret, divinae confisus providentiae latronem insequi statuit, qui hunc in modum ei locutus est: Scias, inquit, Pater, me annis plurimis silvae hujus inquilinum id unum egisse, ut viatores primo fortunis, tum vita spoliarem eorumque cadavera bestiis in praedam darem. — Quis Henrico ad sermonis istius exordium animus fuerit? Firmato tamen ad constantiam vultu, perge, inquiebat, et historiae tuae filum absolve. Cui latro, ecce, inquit, sub hac quercu hominem jugulavi; sub illa ilice feminae gulam fregi; hic vero, ubi modo consistimus, hic, inquit, sacerdotem tibi non absimilem obviam nactus sum, qui me a peccatis absolvit; veritus autem, ne me ad judicem deferret, transacto per corpus ense, in undas eum praecipitavi. — Hic Henricus trepidare et identidem anxie circumspicere coepit, manifestaque terroris sui signa dare. Latro autem, vere poenitentis animi stimulis permotus, integram Henrico scelerum suorum confessionem fecit, actisque humaniter gratiis per reliquum silvae comiter eum duxit et implorato precum subsidio, cui se salutem suam debere professus est, illaesum a se dimisit. —

Ecce quid agat, qui cum latrone agit et coactus

quidem. Conversatur illi, sed ideo solum, quia aliter non licet; interim tamen affligitur, torquetur, Deo se commendat, timet, tremit, palpitat et in horas imminens exitium metuit. — Sic et nobis cum mundo agendum est. Mundus enim, si sincera apud nos criminum confessione perfungi vellet, latronem se esse ingenue fateri deberet, qui multos, et sacerdotes, fortunis ac vita spirituali spoliavit et in abyssum perversitatis dejecit. Itaque conversando cum illo, nonnisi cum timore et tremore, oculis in Deum et Jesum Christum defixis, dies nostros vivamus, ut sine offensa vastam vitae terrestris silvam, inimicis salutis nostrae plenam, transeamus. Nam etiamsi personalis persecutor minime appareat, non tamen deficiunt a diabolo, hominibus, nec a sensualitate illatae molestiae. Equidem variis tentationibus insequitur diabolus sanctos, ut eos avertat a Christo et ad facinoris assensum trahat. Ab hominibus inferuntur rerum damna, detractiones, convicia. Cupiditatibus ac voluptatibus blanditur caro, ut saeculi sectentur illecebras, quod profecto durum est persecutionis genus. Non est nobis colluctatio, ait Apostolus (Ephes. 6, 12.), adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus. Hi hostes spirituales pugnant, utendo nostra sensualite et malis hominibus, eorum perversis principiis, verbis et scriptis, omni calliditate adversum nos, ut nostrum diripiant spiritualem thesaurum, ut impediant iter nostrum ad coelum. Totus mundus silva est, in qua tot tenduntur laquei, quot immittuntur tentationes. Haeve nobis occurrunt in divitiis et paupertate, in

gloria et ignobilitate, in voluptatibus et austeritate, in nitore et sordibus, in laetitia et fletu, in libertate et subjectione, labore et otio, in debilitate corporis et sospitate.

Quam cautus fuerit S. Laurentius, quam provide ac strenue pugnaverit, quanta animi fortitudine semet ipsum vicerit, testatur ulterior historia vitae ejus, quam nunc audiamus.

II. Laurentius congregationi S. Georgii ad Algas adscriptus mortificat carnem suam.

Congregationi adscriptus Laurentius primum sibi certamen indixit cum *corporis* illecebris tamquam hoste capitali, facto, nihil, quod molle esset, sibi concedendi, firmissimo proposito. Ex hoc itaque tempore adeo parcus erat in sumendo cibo, ut numquam ad saturitatem, sed vix ad ultimam necessitatem cibum sumserit. Sitim tam heroice tolerabat, ut nec per jejunium vel operationem manuum vel peregrinationem adduci potuerit, ut potum deposceret, quin invitatus a fratribus diceret: Quo igitur pacto feremus purgatorii calores, si parvam hanc sitim ferre non possimus? — Hac in re constans permansit usque ad ultimam senectutem, ita ut in ipsis aegritudinibus vix remissiori ratione corpus suum foverit. Accidit, ut medicus eum jam ferme septuagenarium et morbo laborantem ad edendas carnes tempore Quadragesimae invitaret, et, quo facilius ei suaderet, exemplum Sancti alicujus afferret ex recentioribus, qui ob aegritudinem haud majorem dominica passionis pulpam phasiani comedisset. Petivit primum Laurentius, an abstinere pösset

carnibūs sine vitae periculo? quod cum medicus non negasset, Laurentius, unusquisque, inquit, abundet in sensu suo; sed ut verum fatear, valde me delectant veterum exempla Sanctorum. Video autem Confessores per carnis macerationem, Martyres autem per sanguinis effusionem ad coelestem patriam contendisse.

Vigilias a Patribus institutas non solum ita servavit, ut ad matutinum primus veniret, ultimus discederet; sed quum multorum monachorum mos fuerit, post matutinum ad somnum redeundi, donec sol illucescat, Laurentius numquam de ecclesia discessit, donec ad Primam fratres convenirent. Stabat gradu nixus, dum divina canerentur officia, non dextera, non laeva sedilibus haerens. Rigente hyeme accedere ad ignem numquam visus est, quod mirabile fuit propter corporis ejus imbecillitatem. Accidit, ut Pater quidam ad ignem illum invitaret. Recusante Laurentio, palpavit Pater illius manum, quumque obrigentem frigore sensisset, admirans, o fili, inquit, magnus calor est, quo intus ardes, si frigora ista non sentis, quibus obriguisti. Quinimo rigor Laurentii tantus erat, ut ne in hortum quidem remittendi animi causa umquam accesserit, quod unicum fere solebat esse monachorum solatium. Quum factus esset Laurentius aetate vergente debilior, cogebant eum Patres ex capituli decreto, ut cibo et somno et veste moderato rigore uteretur. Aegre id ferens Laurentius, quasi ad delicias compelleretur, jubete, dicebat, ut lubet, jussis parebo; scire tamen vos velim, ei, qui pro Christo pati decrevit, patiendi viam non defuturam. Verosimiliter

hisce verbis verbera et plagas intellexit, quibus vehementius affligi solebat.

Admirabilis dein fuit patientia ejus in sufferendis doloribus corporis. Cum enim initio religionis in morbum fistularum incidisset, quas medici scrophulas vocant, hisque omne collum ejus repletum esset: desperabant medici de juvenis salute, unumque remedium dabant, si setis equinis, per transversum collum saepe deductis, corrupti humores educerentur adurerenturque dein ferro candenti; verum timebant, ne dolorem ferre non posset. At Laurentius vultu, quo semper erat aequali: Quid dubitatis, ait, fratres? Secet et urat medicus, ut libet. An non poterit Dominus mihi dare fortitudinem, qui eam dedit tribus pueris in fornace candenti? Trajectus itaque et sectus et adustus est. Ubi hoc quoque admiratione dignum, quod praeter unam vocem Jesu, semel emissam, ne minimum quidem gemitum edere deinceps auditus sit.

Caeterum et in ultima aetate sua (quum jam Episcopus esset) eandem animi firmitatem demonstravit. Quum enim guttur ejus majorem in modum intumuisset ac resolutio tardior appareret et difficilis, eo, quod in cubiculo inclusus ovibus suis vacare non posset, ad ictum ferri immobilis stetit, timenti medico dicens: Incide audacter, neque enim laminas martyrum novacula tua superabit.

Nemo his auditis aegre ferat, si modo ansam arripimus agendi de *mortificatione* corporis, id intendentes, ut perspecta ipsius necessitate ac utilitate, nos quoque, ab omni vita molli abstinentes, viam crucis eligamus atque in illa constanter progrediamur.

Consistit autem corporalis haec exercitatio, teste

S. Bonaventura *), in duobus: a) in subtractione delectabilium secundum carnem, qualia sunt: abundantia in delicato cibo potuve, amoenitas in molli lecto et immodico somno, exquisita commoditas in habitatione et vestitu, continuae recreationes in ludis, saltationibus, conviviis, venationibus, equitationibus, congressibus et confabulationibus cum personis facetis et acceptis, oblectationes sensuum, praesertim oculorum et aurium et alia quae vitam mollem et jucundam sensibus reddunt. b) In assuefactione asperitatum, uti sunt: vilis cibus, durus lectus, asper corporis habitus, cilicia, flagellationes, — et in assuefactione laborum. — Illa ipsa, quae ex vita S. Laurentii Justiniani audivimus, rem sufficienter illustrant.

Num autem, quaeres ex me, tales corporis castigationes laudem aliquam et commendationem merentur? an non potius mox tamquam exercitationes vanae, ad finem hominis supremum nil facientes, imo noxiae, quia in melancholiam inducentes et innocua vitae gaudia turbantes, aliaque mala in rempublicam redundantia procurantes primo intuitu repudiandae, ad summum incolis claustrorum relinquendae? Nequaquam. Exercitationes enim ejusmodi, si rite (uti in subsequentibus dicturi sumus) instituantur, plurimum conferunt, imo plane necessariae sunt, ut finem nostrum supremum securius assequamur vel ut 1) innocentiam vitae custodiamus, 2) pericula peccandi et in peccata relabendi evitemus, 3) officiis status, saepe perquam arduis, satisfaciamus, 4) sanctitatem et gratias quasdam singulares a

*) De profectu lib. 2. c. 1. n. 3.

Deo consequamur, 5) dignam pro peccatis poenitentiam faciamus et iram Dei avertamus.

Principium et quasi fundamentum virtutis est: vitium fugere, innocentiam conservare. Quomodo autem hanc conservare, illud evitare licebit, si carni et sanguini pleraque, etiamsi per se non vetita, libere indulgentur? Anne nos latet fragilitas naturae nostrae, qua a primo nativitatis die ad malum proclives sumus, venumdati sub peccato? Anne nos latet, quod, cum caro concupiscat adversus spiritum, quamdiu in hoc mortali corpore vivimus, tam diu hostem periculosum intra nos ipsos circumferamus, habentes aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostrae et captivantem nos in lege peccati, quae est in membris nostris (Rom. 7, 23.)? Cui umquam hominum hostis ille pium se probavit, cui aetati indulsit? Ipse, ait Mascardi a), simul nobiscum nascitur, nobisque crescentibus pariter crescit, sanguine nostro utitur, somno nostro restauratur, reficitur nostra quiete, nostrisque armis accinctus munitur; in annis tenerioribus velut leunculus quidam blandus esse videtur; in ferventiori aetate ferociter rugit et saevit, maturus vero factus non aliunde, quam sanguine et rapinis pascitur et usque ad mortalis diei suae occasum ex vi antiquae consuetudinis nos si non dilaniet unguibus, voce ad minus et magnifico aspectu terrorem nobis incutit. Hostem hunc crudelissimum nec fugere possumus nec fugare, uti ait S. Bernardus b), sed circumferre illum necesse est, quoniam alligatus est nobis, et, quod periculosius est et mirabilius, hostem nostrum cogimur susten-

a) Vide Jos. Mansi locup. Bibl. mor. tom. 3. pag. 403.
b) Serm. 3. in fragm.

tare; ipse a) sodalis est noster in laboribus, in otio dominus, testis in negotiis, in conversationibus frater, auditor in sermonibus, in actionibus spectator, adversarius in bene operando, turbator in precibus, in locis publicis insidiator, sollicitator in clausuris, per omnia importunus, ex omni parte inimicus. Ipse nusquam te deserit, spumantis maris vultum non formidat, velocissimaeque pennae praevenit volatum. — Nulla pestis efficacior est ad nocendum, ait Petrus Bles. b), quam familiaris et domesticus inimicus. Hic est ignis in gremio, serpens in sinu. Haec est uxor hominis litigiosa pessima caro nostra. — Contra hunc igitur hostem strenue ac quotidie pugnandum. Quomodo? Mortificando membra nostra, quae sunt super terram, crucifigendo carnem cum concupiscentiis suis. Nam c) licet passiones et concupiscentiae sint in anima et appetitu concupiscibili vel irascibili; tamen quia hi appetitus sedem habent et quasi castra sua figunt in membris, per eaque se exserunt, hinc pariter concupiscentiae in membris suam habent sedem, ut ira in felle, libido in membris generationi destinatis, amor in jecore etc. Qui itaque membris delectabilia detrahit vel aspera infert, mortificat concupiscentias suas ipsisque (ut cum Chrysostomo loquamur d) quasi feris frenum injicit, utpote quo solo ligari possunt. Abstinentia, ait S. Maximus e), concupiscentiam macerat atque edomat; voluptas vero cibique ac potus saturitas

a) Mascardi l. c.
b) Epist. 10.
c) Cornel. a Cap. super Jac. 4, 1.
d) P. Jos. Mansi Bibl. mor. tom. 3. pag. 404.
e) Lib. ad pietatem exerc. tom 1. pag. 377.

ventri calorem conciliat et ad turpis libidinis appetitum accendit, totumque animal ad illegitimae copulae devia contrudit. Tunc lascivi oculi, effrena manus, lingua loquens, quae aures mulceant, auris inanium avida, mens Deum spernens, animus secum ipse cogitandi actu adulterium patrans et ad nefanda sceleris ipso opere corpus provocans. Ciborum saturitas, ait S. Isidorus a), carnis luxuriam suscitat; edacitatis vitio crescit carnis tentatio. Saturitati semper libido adjuncta est. At contra jejunio libido restringitur, jejunio luxuria superatur. Incrassatus est, exprobrat Moyses Israeli (Deuteron. 32, 15.), dilectus et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum et recessit a Deo salutari suo. — Somnus immoderatus, ait Dionys. Carthusian., malos parit humores et multorum fomentum est vitiorum. Samson, dum cum Philistaeis pugnavit (ait S. Augustinus), non potuit capi ab hostibus; sed posteaquam dormivit in sinu feminae, et cum ea otiose remansit, mox capitur et coecatur ab hostibus. — Mollis vestis, ait S. Chrysost. b), dissolvit rigidam animam; facto corpore molliore, necesse est, et animam participare laesionem. De foris vitia et delicta nascuntur, ait S. Ambros. c), ex sensibus, i. e. de auditu, visu, tactu, odoratu, vel gustu et carni deputantur. Et S. Gregor Nyss. d): Undique peccatorum retia nobis circumfusa sunt per omnia sensuum instrumenta. — Gustus voluptas mater singulorum malorum est e).

a) Lib. 2. Soliloq.
b) Super Matth. 11, 7. in Caten. D. Tem.
c) Super Rom. 8, 13.
d) Orat. 3. de orat.
e) S. Gregor. Nyss. Orat. 5. de orat.

Nonnumquam nasus olfactu et attractu vaporum magnis vitiis hominem inficit interiorem a). Unguentorum usus ad libidines impellit, ait S. Clemens Alex. b). Ex solo tactu corpus inquinatur, ait Climacus c). Nihil sensu isto gravius, nihil periculosius. Haec pericula eo graviora sunt, cum sciamus, quod et daemoni solemne sit, ad ruinam animae per carnis illecebras aditum sibi patefacere. Adversae siquidem potestates (ut ait S. Hieron.) solitos contemnunt cibos et peregrina alimenta desiderant. Intrat sagitta satanae (ait S. Bernard.) per januas oculorum usque ad animam. Et S. Augustinus d): Dant homines locum diabolo ex concupiscentiis suis. — Quodsi itaque innocentiam tuam conservare, periculum peccandi vel in peccata relabendi effugere desideras: carnem cum concupiscentiis crucifigere, corpus castigare, etiam a licitis quandoque abstinere debes; dum enim a licitis abstinemus, magis admonemur illicita vitare e). Qui autem (Clemens Alex. f) omnia faciunt, quae licent, cito adducuntur, ut ea faciant, quae non licent.

Sciebat haec Paulus Apostolus, et ideo carnem suam ipse castigabat. Castigo, inquit (I. Cor. 9, 27.), corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. Heu, Paulus Apostolus, doctor gentium, electum vas, columna Ecclesiae, trepidat ducitque necessarium, ca-

a) S. Gregor. Nyss. or. 3. de resurr.
b) Paedag. lib. 2. c. 8.
c) Grad. 13. de castit.
d) Serm. 72. de temp.
e) S. August. Serm. 64.
f) Paedag. lib. 2. c. 1.

stigare corpus suum, crucifigere carnem suam cum concupiscentiis suis, ne efficiatur reprobus; et tu, qui non es sanctior Paulo nec sapientior, imo multo fragilior, tam firmum animum tuum arbitraris, ut inter tot illecebras, quae vel oculis, vel auribus, vel gustui aut tactui tuo arrident, numquam sis collapsurus? — Innocentissimus Joannes Baptista in continua quadam nec umquam intermissa mortificatione vixit, habitans in deserto, habensque vestimentum de pilis camelorum et pro esca locustas ac mel silvestre; et tu, qui ipsi comparatus nil es, nisi arundo quovis vento agitata, et in media hominum turba versaris, persuades tibi, posse te molliter vivendo innocenter vivere, virtutem tueri ac servare? Esne fortior Davide, qui induebatur cilicio et in jejunio humiliabat animam suam, cujus oculi anticipaverunt vigilias, qui sitiens vehementer et desiderans aquam de cisterna Bethlehem, postquam allata fuit, noluit bibere eam, sed libans Domino effudit in terram (II. Reg. 23, 14—18.)? Esne fortior tot sanctis viris, qui sine respectu ad teneritudinem corporis vel innocentiam vitae quotidie semet abnegarunt, quotidie corpus suum mortificarunt? — Hac ratione fortes facti sunt ignesque, equuleos, gladios et maxima persecutorum tormenta sustinuerunt. Mortificatio itaque ideo quoque

2. necessaria est, ut *officia* et munera, sat gravia et difficilia, statui nostro propria vel omnibus communia, *facilius* adimpleamus. — Christiani omnes injurias ignoscere, inimicos suos diligere, amicos intimos, si ipsos a Deo avertunt, fugere, injuste possessa etiam cum incommodo et dedecore suo restituere tenentur. Anne haec fieri possunt sine sancta sui ipsius violentia? Mulier marito obsequi, libe-

ros sollicite educare, domesticos bene gubernare; maritus uxori condescendere, ejus imbecillitates aequo animo tolerare, educationi et sustentationi liberorum suorum prospicere; et hunc in finem mulier linguam suam refrenare, visitationes inutiles imminuere, recreationibus variis extra domum renuntiare, maritus multa onera in se suscipere, curis se immergere, animi remissionibus parcius uti tenetur. Anne hoc fieri potest sine mortificatione? Quid dicam de principibus terrae ac magistratibus, qui tempus, quietem, oblecattiones, aliquoties et sanitatem bono publico immolare debent? Quid de sacerdotibus, qui pro ovibus suis diu noctuque laborare, vigilare, sudare, imo et animam propriam tradere, cum periculo vitae et detrimento sanitatis aegris ac moribundis alacriter et absque taedio assistere, domi ad studia indefesse incumbere, e suggestu saepe cum zelo verbum divinum praedicare, in sacro tribunali heroica patientia et mansuetudine poenitentibus succurrere tenentur? Anne ad haec officia implenda sacerdos, vitae sensualis, mollis, delicatae amator, paratus erit? Sacerdos, qui non assuevit abnegare semet ipsum, castigare corpus, crucifigere carnem suam cum vitiis et concupiscentiis suis? Minime. Sacerdos ejusmodi immortificatus, modo sibi bene sit, parum de ovibus curabit. Vinea Domini jacebit inculta. Rudes non habebunt, qui eos instruat, peccatores qui eos reducat; poenitentes non habebunt, qui eos adjuvet, moribundi, qui eos soletur et adeundae aeternitati rite praeparet. Ex quo tempore imminutus est indefessorum in vinea Domini operariorum numerus?

Ex quo copiosior factus númerus sacerdotum, sui, suae carnis, suae commoditatis amatorum.

O fratres perdilecti! Perpendite uberius, quae reticere tum veritatis amor, tum officium mihi incumbens vetat. Totus fere mundus vitae molli ac delicatae est deditus, fere omnes volunt felices esse ac beati hisce in terris, omnes omnibus frui voluptatibus, divitias possidere, altiorem honoris gradum conscendere; fere omnes amant convivia, saltationes, choreas, ludos, spectacula, concentum musicae, vitae commoditates, splendorem vestium, cubilium ornatum; omnes fere jejunia, abstinentias, vigilias, mortificationes horrent, crucem omnes fere aversantur. Quodsi sacerdotes quoque Domini huic mundo sese conformaverint, quodsi ipsi quoque luxum, ornatum, splendorem, commoditates amaverint, ubivis locorum esse, omnia videre, omnia audire, omnibus frui voluerint et jejunia, abstinentias, vigilias, labores ac sudores aversati fuerint: quis resistet pessimae contagioni temporis, temporis vulneribus quis medebitur?

Macti virtute, fratres, erigite animum! Nolite conformari huic saeculo, reformamini potius in novitate sensus vestri (Rom. 12, 2.)! Aspicite in Jesum Crucifixum. Non decet sub capite spinoso, vulnerato, crucifixo membrum esse delicatum; mortificate corpora vestra, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus vestris (II. Cor. 4, 10.). Christus e cruce pendens non invitat ad gaudia mundi, comessationem, venationem, ludos, conventus hilares; Christus clamat: Veni, abnega temet ipsum, tolle crucem tuam (crucem carnis) et sequere me (Luc. 9, 23.). Venite omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego

reficiam vos! Apud me invenietis requiem animabus vestris (Matth. 11, 28. 29.). — Aspicite in Christum et agite secundum propositum vobis exemplar. Christus enim passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus (I. Pet. 2. 21.). Christo occiso omnes ministri (Sacramenti videlicet Eucharistiae), ait S. Thomas Aquin. a), debent conformari. — Eo habitu ac figura, ait Cassianus b), qua pro nobis in patibulo fuit Ille suspensus, nos quoque necesse est, in hac vita degere, ut scilicet affligentes de timore Domini carnes nostras, universas voluntates nostras ac desideria, non nostrae concupiscentiae servientia, sed mortificationi ejus habeamus affixa. — *Sponte* sua passus est Christus, sponte fuit in laboribus a juventute sua, sponte sustulit frigus et algorem, famem ac sitim, dolores multos, et jejunavit 40 diebus et noctibus in deserto et, postquam per diem praedicasset, noctem integram solus in monte consumpsit in oratione (Matth. 14, 23. seq. Luc. 6, 12.). Sponte et vos macerationes carnis in vos suscipite. Vovete vos Christo, ut Christi sitis et carnem vestram crucifigatis cum vitiis et concupiscentiis (Gal. 5, 24.). Mundo crucifixi nemini eritis scandalo, omnibus aedificationi. Tunc magnum adjuvante gratia divina sanctitatis gradum assecuti, exemplo magis quam verbo docebitis salubrem, quem fides christiana in animum ac mores hominum habet, influxum, quantam in coercendos naturae carnalis impetus exerceat vim, ad quam sublimem virtutis gradum evehat hominem. Deus benedicet laboribus vestris dabitque omnes, quibus indigebitis, gratias,

a) Supplem. quaest. 39. artic. 4.
b) Lib. 4. instit. c. 34.

ut possitis vincere mundum et quae in mundo sunt, ut possitis fortiter annuntiare fidelibus Christianis scelera eorum (Jes. 58, 1.), et sanare vulnera eorum et facere eos populum sanctum coram oculis Domini, afferentem fructus *bonorum operum.*

3. Deus enim, qua est benignitate ac misericordia, remunerat ejusmodi abnegationes et mortificationes specialibus *gratiis ac donis.* Si spiritu facta carnis mortificaveritis, ait Apostolus (Rom. 8, 13.), vivetis; ad quae Doctor Angelicus a): Si spiritu, i. e. per spiritum, mortificaveritis facta carnis, i. e. opera, quae ex concupiscentia carnis proveniunt, vivetis vita gratiae in praesenti et vita gloriae in futuro. Si mortui sumus cum concupiscentiis nostris cum Christo, ait Apostolus (Rom. 6. 8.), credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo, i. e. quanto majorem vim intulerimus cupiditatibus nostris, tanto ampliorem in nobis ipsis experiemur immunitatem a vitiis et defectibus, quibus scatent, qui abeunt post infrunitas concupiscentias suas. Mortificatio mentem purgat a vitiis eamque ditat ornatque virtutibus. Mortificatione voluptatum, ait Cassianus b), vitia exstirpantur et marcescunt universa; expulsione vitiorum virtutes fructificant atque succrescunt; pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur, puritate cordis apostolicae charitatis perfectio possidetur. — Si crucifixerit sacerdos concupiscentias suas, omnes in eo fulgebunt virtutes, nitor castitatis, solida proximi dilectio, larga erga egentes misericordia, profunda humilitas, zelus animarum, nullo labore fatigandus, rerum terrenarum contemtus, amor

a) Jos. Mansi Bibl. mor. tom. III. pag. 407.
b) Lib. 4. Inst. c. 43.

coelestium, insigne orationis et contemplationis donum, vera majorve cum Deo conjunctio. Sicut enim animalis homo terrena duntaxat quaerit, amat et aestimat, nec percipit ea, quae sunt Spiritus Dei (I. Cor. 2, 14.): ita homo spiritualis et carni mortuus quaerit, amat et aestimat ea tantum, quae sunt spiritus, quae sunt Dei. Desipiunt ipsi omnia, quae Deum non sapiunt, ad Deum nec tendunt nec ducunt. Deus ipsi est summum Bonum et omnia. Ad Deum tamquam centrum desideriorum suorum animus ejus avolat, eique uniri ardenter desiderat.

Quodsi autem Deus hominibus animalibus, qui non Deo, sed sibimetipsis vivunt, benevolum se exhibeat, suasque eis gratias largiatur: quam profusam Dei benevolentiam, quam multiplices gratias percipient homines sibi mortui et Deo viventes, homines ope mortificationis a vitiis quibusque gravioribus immunes, divites virtutibus! Sane jucundum erunt divinis in oculis spectaculum, speciale divinae benevolentiae objectum, divinae gratiae ditissimum receptaculum. David rex, cum ei molesti essent inimici, induebatur cilicio et humiliabat in jejunio animam suam (Psalm. 34, 13.), et Deus dedit ei victoriam super inimicos ejus, Philistaeos, Ammonitas, Amorhaeos. Judith, vidua Bethuliensis, licet innocentis vitae, gestabat super lumbos suos cilicium, jejunans omnibus diebus vitae suae praeter Sabbata et festa domus Israel (Lib. Judith. 8, 6. 13, 10.), et ipsa interfecit inimicum gentis suae, Holofernem. — Cum promulgatum fuisset crudele Assueri edictum contra Judaeos, Esther jejunabat tribus diebus et noctibus, antequam contra legem ad regem ingressa esset (Lib. Esther. 4, 16.) — et gratiam invenit in conspectu regis seque ac gentem suam salvavit. Daniel,

Ananias, Misael et Azarias, qui praeferebant leguminibus vesci et aquam bibere, scientia et sapientia a Deo donati sunt et post paucos dies vultus eorum apparuerunt meliores et corpulentiores prae omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio et vinum bibebant de mensa regis (Daniel. 1, 8—16.).

Ita et sacerdoti mortificato Deus non denegabit gratiam, dabitque conatibus ejus ac laboribus, sicut laboribus Pauli reliquorumque Apostolorum, incrementum, ut possit hostes Ecclesiae vincere, infideles ad cognitionem veritatis perducere, obstinatos confundere, tribus verbis, fructum multum afferre. Gratia Dei sum, ait Paulus (I. Cor. 15, 10.), quod sum; et gratia ejus in me vacua non fuit. Profecto si Paulus carnem suam non castigasset, si secundum desideria cordis, secundum concupiscentias suas vixisset, aurum, argentum aut vestem alicujus concupivisset; nec tantas gratiarum divitias obtinuisset, nec tam stupendos laboribus suis apostolicis effectus produxisset. Mensurae mortificationis ejus commensurabatur abundantia divinae gratiae, fructus suscepti laboris. Ita et tu frater sacerdos, si castigaveris corpus tuum, praesens habebis adjutorium Dei eoque majus et efficacius, quo plenior et perfectior erit tui tuarumque cupiditatum abnegatio et refrenatio.

4. Quoniam autem nemo a peccatis liber et causa peccatorum in carne quoque quaerenda: ideo castigationes carnis suscipiendae, ut voluntaria corporis castigatione pro peccatis *satisfaciamus*, et flagella Dei avertamus. Adimpleo, ait Apostolus (Coloss. 1, 24.), ea, quae desunt passionum Christi in carne mea. Passiones Domini, cum propter infinitam personae dignitatem infiniti sint valoris et pretii, sufficientes

sunt ac superabundantes ad expianda totius mundi peccata. Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato (I. Joan. 1, 7.). Sanguis autem Christi per societatem earundem passionum nobis applicatur, hanc igitur applicationem passionum Domini in carne sua Paulus adimplebat, quam et nos adimplere debemus. Per quae quis peccat, ait S. S. (Sap. 11, 17.), per haec et torquetur. Peccavit caro per immunditiam et impudicitiam, per comessationes et ebrietates, per socordiam et somnolentiam: contraria his oppone medicamenta peccatis. Jejunet oculus, ait S. Bernardus *), a curiosis aspectibus et omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in poenitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Jejunet auris, nequiter pruriens, a fabulis et rumoribus et quaecumque otiosa sunt et ad salutem minime pertinentia. Jejunet lingua a detractione et murmuratione; ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis, interdum quoque ob gravitatem silentii et ab ipsis, quae videri poterant necessaria. Solenne est misericordiae divinae, talibus sponte susceptis castigationibus ad parcendum inflecti. Achab, rex Israel, fecit malum in conspectu Domini; cum autem audisset ab Elia propheta (III. Reg. 21, 19. 21. 24.): Haec dicit Dominus . . . ecce ego inducam super te malum . . . si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes; si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres coeli — conterritus minis adeo formidandis scidit vestimenta sua et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco et ambulavit demisso capite (III. Reg. 21, 27. 28.). Quid ad haec mitis et misericors Deus? Factus est, ut ait Scriptura (III. Reg. 21, 28. 29.),

*) Serm. 3. de jejun.

sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: Nonne vidisti humilitatem Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa (i. e. quia poenitentiae causa cilicio se operuit, quia jejunavit et dormivit in sacco etc.), non inducam malum in diebus ejus. Quomodo Deus Ninivitarum, qui sedebant in cinere et sacco propter impietatem suam, misertus fuerit et, quae comminatus est, se facturum, non fecerit; sat notum est. Haec perpendens S. Hieronymus: Saccus et jejunium, ait a), arma sunt poenitentiae, auxilia peccatorum. Qui ergo desiderat reatum poenae cum reatu culpae pariter abolere, ad mortificationem sui corporis confugiat. Teste S. Cypriano martyre b) virgas et flagella adeo re ipsa post peccata sentimus, quia his divinam iram non mitigamus. Ita facit Deus, ait Chrysost. c), cum ejus iram non curamus, illam infert vehementiorem; cum autem eam curamus, mitiorem, imo ne deinceps quidem illam infert; vult enim, ut nos ipsi peccatorum poenas a nobis exigamus. — Ex dictis sufficienter patet, quantum mortificatio corporis ad servandam innocentiam vitae et adipiscendam sanctitatem, ad evitanda peccata et exstirpanda vitia, ad implenda graviora status officia, ad avertenda flagella divina et promerendas gratias hacce in vita et gloriam in futura faciat. Deus enim, ut ait S. August. d), luctam nostram cum carne considerat, et vincentem coronat. — Examinemus igitur nosmet ipsos, fratres dilectissimi! num hucusque exemplum S. Laurentii Justiniani imitati fuerimus, an

a) In Jonae c. 3. p. 140.
b) Ep. 7. pag. 41.
c) Hom. 8. in I. Cor. pag. 72.
d) In psalm. 32.

et in quantum nosmet ipsos abnegaverimus, refrenantes sensus, crucifigentes carnem et desideria ejus, circumferentes semper mortificationem Jesu in corpore nostro (II. Cor. 4, 10.). Consideremus, quomodo et quam graviter etiam sacerdotes, qui nullam sibi, carni suae, cupiditatibus suis vim intulerunt, lapsi fuerint et quanta dehinc scandala populo fideli dederint, destruentes exemplo suo, quod aedificarunt verbo; dicamusque corde pleno ac sincero: O Jesu, da semper circumferre mortificationem Tuam in corpore nostro; si enim Tecum compatimur, Tecum quoque conglorificabimur (Rom. 8, 17.).

Probata sufficienter mortificationis externae sive corporalis necessitate ac utilitate, quaedam de *necessariis* ejus *conditionibus* adjiciamus oportet, quo objectionibus adversariorum facilius occurramus.

Divus Paulus, ad cujus exemplum jam provocavimus, in epistola ad Rom. c. 12, 1. obsecrat quidem fratres per misericordiam Dei, qua vocati fuere ad fidem, ut exhibeant corpora sua hostiam viventem, sanctam et Deo placentem; addit autem simul, ut *rationabile* sit obsequium ipsorum. Igitur etiam mortificatio nostra corporalis sit *rationabilis* ex mente divi Pauli, sive ratione temperata, discreta, naturae, aetati, vocationi atque specialibus cujusvis adjunctis rite adcommodata, ne justos per excessum vel immoderantiam terminos transgrediatur, et hoc modo variis tentationibus ansam det, accuratae officiorum adimpletioni obsit, sanitati ac vitae noxia fiat, hocque modo finem, cujus gratia commendatur, impediat magis, quam promoveat, progressus in via virtutis retardet potius, quam acceleret. Quidquid cum modo et temperate fit, ait S. Hiero-

nymus a), salutare est, optimus in omni re modus, laudabilis ubique mensura. — Discretio, ait S. Bernardus b), est moderatrix et auriga virtutum. Cum corpus animae sit instrumentum, regendum est, ait Dionysius Carth. c), secundum exigentiam utilitatemque animae, ut tantum affligatur in parsimonia cibi, potus, somni, vestitus et omnium exteriorum consolationum, quantum anima ferre potest sine corporis defectione; idcirco discretio summe necessaria est, quae est mater et custos ac fotrix virtutum. — Videat igitur etiam hac in re quisque, quid valeant humeri, quid ferre recusent; quilibet habet donum proprium. Qui robustiori est corpore, matura aetate, laboribus minus onustus, plures fortassis et rigidiores carnis macerationes sustinere valebit. Juvenes e contra, tenerioris physicae complexionis homines, infirmitatibus laborantes et qui variis multisque funguntur muneribus: castigationes corporis restringere debebunt, ne ex illis plus detrimenti capiant, quam utilitatis. Affligendum est enim corpus aliquando, uti S. Bernard. ait d), sed non conterendum, ipseque deplorat et plangit, quod in prima conversione nimis in corpus suum austerus fuerit e). Satius est, in genere loquendo, scribit Salesius in introductione ad vitam devotam f), corporales vires impensius aequo conservare, quam eas plus aequo destruere et exhaurire. Semper quippe, cum volu-

a) In ep.
b) Serm. 44, in Cantic.
c) In gloss. ad Rom. 12. 1.
d) Ad fratres de monte Dei.
e) S. Franc. de Sales Philoth. p. III. c. 23.
f) Par. III. c. 23.

mus, eas destruere possumus, sed non semper, cum volumus, reparare ac resarcire. Qui nimia austeritate (nimia ciborum egestate vel somni penuria) immoderate corpus suum affligit, teste Hieronymo de rapina holocaustum affert adeoque Deo ingratum. Longa et immoderata jejunia, scribit idem S. Pater ad Laetam a), plurimum mihi displicent, in iis praesertim, qui juniores sunt et teneriores. Experimento didici, addit S. Franc. de Sales, asellum in via, cum lassus fuerit, diverticula quaerere, i. e. adolescentiores, contractis ob excessum in jejunando infirmitatibus, facile ad delicias et lautitias in cibis consectandas dilabi, — quo dehinc non citius, sed serius finem suum assequuntur. S. Martinus, narrat Jos. Mansi b), aliquando circa vesperam, quemdam Parisiis offendens aurigam, ab eodem, ut currum conscenderet, rogatus fuit. Cui Sanctus, si modeste et discrete rotas promoveris, conscendam; sin minus, numquam. Quibus verbis se illusum ratus auriga equos agitare coepit, in quo proinde violento cursu ruptae fuerunt rotae; dumque eis resarciendis insudaret, tantam fecit temporis jacturam, ut ad urbem accedere prohiberetur, praeventus a tenebris. Ita multi, in perfectionis quadriga gradientes, magnos meditantur facere progressus, eoque fine multas sine discretione aggrediuntur austeritates, suis viribus superiores; perseverare autem non valent, nausea replentur, retro respiciunt, imo saepe cum spiritu coeperint, in carne consummant. — Extrema se invicem tangunt. Tentationibus (carnis) tum maxime obnoxii sumus, uti observat S. Franc. de Sales c), cum

a) Vide Philoth. S. Franc. de Sal. l. c.
b) In locup. Bibl. mor. t. III. p. 427. n. 7.
c) Loc. cit.

corpus nostrum et plus aequo suffartum et saginatum est, et dum nimis exhaustum; sagina namque ipsum in commodis suis insolens, oppressio vero in incommodis suis desperabundum efficit. Et sicuti nos ipsum ferre non possumus, cum nimis pingue et saginatum est, sic ipsum vice versa nos ferre nequit, cum nimis macilentum est et attritum. In abstinentia nimia saepe vitium generat, ut ait S. Gregorius M. a). Et S. Hieronymus in epistola ad Rusticum scribit: Per jejuniorum excessum debilitas stomachi, ex hac autem cruditas quaedam consequitur, quae parens libidinum est. — Quid quod defectus moderationis in castigationibus corporis sanitati ac vitae plurimum noceat corpusque nimium debilitando ad debita officia et opera exequenda ineptum reddat. Neque immoderata imperamus jejunia, scribit S. Hieronym. ad Demetriadem b), et enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur, et ante aegrotare incipiunt, quam sanctae conversationis jecere fundamenta. Corporis debilitas nimia, ait idem Hieron. c), etiam vires animae frangit, mentis quoque ingenium marcescere facit. Sic necesse est, scribit S. Gregorius M. d), ut artem quisque continentiae teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat. Nam plerumque dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoque vel praedicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorum in se funditus suffocare festinat. Adjutorium quippe

a) In past.
b) Lib. 2, ep. 18.
c) In ep.
d) Lib. 30. Mor. c. 14.

habemus intentionis internae hunc hominem, quem exterius gestamus. . . . Saepe vero dum in illo hostem insequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus. . . . Cum immensa continentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. Unde necesse est (concludit S. Pater), ut interior homo noster aequus quidam arbiter praesideat in se, . . . quatenus ei homo suus exterior et semper ad debitum ministerium servire sufficiat, et numquam superbus libera cervice contradicat.

Non ii quidem sumus, qui negemus, viros quosdam in castigatione corporis sui eo usque progressos esse, ut excessum quemdam commisisse viderentur. Quis enim ignoret, ut reliquos taceam, S. Simeonem Stylitem per duos et 20 annos inter jejunia, imbres, aliasve äëris tempestates supra columnam stetisse? Quis ignoret, S. Macarium Alexandrinum toto septennio cocti nihil in cibum admisisse, quadragesimam sine cibo, 20 dies sine somno transegisse? Quis ignoret, beatum Nicolaum, cui nomen von der Flue, ultra undeviginti annos nec bibisse nec manducasse? — Attamen quis vias extraordinarias, quibus Deus pro sapientia ac misericordia sua animas quasdam ducere dignatus est, cum via trita et ordinaria confundere ausus fuerit? Quodsi Deus quibusdam gratias extraordinarias concesserit: ex sapientissimis consiliis, quae adorare potius, quam scrupulosius perscrutari nos oportet, id fecit. Nulli autem permissum est, Deum tentare vel signa ab ipso postulare. Si Deo placitum fuerit, hisce quemdam gratiis cumulare, profecto certis quoque signis voluntatem suam manifestabit. Ideo recte monet

S. Franc. de Sales *), austeritates corporales nonnisi e consilio et suasu directoris nostri spiritualis usurpandas esse.

Hisce praemissis facile fuerit, omnes illas adversariorum objectiones refutare, quibus illi omnes omnino corporis mortificationes abrogatas vellent. Vel enim illas omnino impossibiles esse vel saltem naturae nostrae, aetati, variis vitae adjunctis, vocationi minus convenientes praetendunt, vel pessimos effectus, uti detrimentum sanitatis, melancholiam, irrisiones hominum mundanorum et similia exinde timent. —

Castigationes corporis, viribus nostris (quae variae esse possunt) superiores, illasque destruentes, officiorum vocationis adimpletionem vel alia bona opera impedientes alioquin reprobavimus; illas autem, si modus non excedatur et ratio eas dirigit, cum omni aetate, sexu, variae vocationis officiis facile consistere adeoque impossibilitatis nota signari non posse, tot Sanctorum exempla demonstrant et quotidiana confirmat experientia. S. Laurentius noster, etiamsi tenerioris fuerit corporis complexionis, ab annis adolescentiae suae usque ad canitiem corpus suum castigavit. Si corpus longiorem nocturnam quietem postulat, jejunet. Si jejunare non possit, somno quid detrahat. Si nec jejunia nec somnum breviorem sustinere queat: solitudinem amet vel sensus suos restringat, aequali semper temperantia mensae accumbat, numquam ad plenam satietatem comedat, a cibis lautioribus abstineat, indefesse et usque ad fatigationem laboret, infirmitates et varias aegritudines sine querela toleret et sic porro. — Omni attentione digna sunt idcirco verba divi Franc.

*) Loc. cit.

Salesii *): Si ferre jejunium possis, consulto facies, si praeter indictos ab Ecclesia jejunii dies etiam aliquoties jejunes..... Et licet non multum jejunemus, nihilominus inimicus magis nos timet, dum nos jejunare posse novit..... Si labor, quem subibis, ad Dei gloriam necessarius est, aut cumprimis utilis, malo laboris quam jejunii poenam subeas. Atque hic est communis Ecclesiae sensus, quae, ut labores Dei et proximi obsequio utiles subiri commode possint, illos, qui eos suscipiunt, a jejunii etiam praecepto excusat. Uni laboriosum est et grave, jejunare; alteri, aegris inservire, captivos invisere, confessiones excipere, concionari, afflictos consolari, orare et similia exercitia obire. Posterior certe labor utilior est et majoris valoris et meriti, quam prior jejunandi; nam praeterquam, quod labor uterque aequaliter debilitet, fructum tamen posterior habet multo desiderabiliorem. . . . Continua et moderata sobrietas melior est, quam violenta et intensa quaedam, diversis vicibus et interruptim suscepta et magnis remissionibus intermixta abstinentia. Concordat hoc effatum S. Franc. Sal. cum sententia D. Hieronymi in ep. ad Fur.: Parcus cibus et venter semper esuriens triduanis jejuniis praeferendus; et multo melius est, quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluvia illa optima est, quae sensim descendit in terram. Subitus et nimius imber in praeceps arva subvertit. — Majoris (uti mihi videtur) virtutis est, prosequitur S. Franc. Sal., indiscriminatim comedere, quidquid tibi offertur et eo, quo id tibi apponitur, ordine, sive id tuo sapiat palato, sive desipiat, quam semper, quod deterius est,

*) Loc. cit.

seligere... Licet enim haec posterior agendi ratio videatur austerior, alia tamen plus continet resignationis; per hanc quippe homo non solum gustui suo, sed et electioni suae renuntiat. Accedit, quod hocce mortificationis genus nequaquam emineat, nulli noceat, et vitae civili maxime conveniens et proprium sit. Pluris facio, quod S. Bernardus aquae aut vini loco oleum biberit, quam si dato studio et ultro aquam absinthiam bibisset; illud quippe signum erat, eum ad id, quod biberet, non respexisse.... Semper tamen hic excipio cibos sanitati et valetudini noxios, atque etiam, qui spiritui incommodant; — excipio quoque certos quosdam casus, quibus natura nostra recreanda est, ut aliquem pro Dei gloria laborem suscipiat.... Nox dormitioni est destinanda et impendenda, unicuique juxta suam complexionem, quantum scilicet ad utiliter per diem vigilandum requiritur. — Profecto qui in dirigenda corporis sui castigatione haec principia secutus fuerit: nec natura sua, nec vocationis officiis, nec societate, in qua vivit, se excusare debebit, nec tristes illos effectus, uti detrimentum sanitatis corporalis, melancholiam, irrisiones timebit. Sponte enim et lubenti animo omnia suscipiet et ita diriget, ut minime videantur, simulque omnibus vitae adjunctis conveniant. Caeterum irrisiones hominum parum curandae, si agitur de salute aeterna. Nec Christus Dominus, nec divus Paulus, nec alii viri sancti curarunt, num rideantur ab hominibus vel glorificentur. Per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam (II. Cor. 6, 8.) exhibuerunt semet ipsos sicut Dei ministros. Horum imitatores nos esse oportet.

2. Ast urgebis: Ipse S. Paulus, qui dicit, se ca-

stigare corpus suum, in 1ma ad Timoth. epistola 4, 8. sic scribit: Corporalis exercitatio ad modicum utilis est; ergo Apostolus ex propria experientia parvam ejusmodi castigationum utilitatem testatur. Et Joel propheta inclamat 2, 13.: Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra et convertimini ad Dominum Deum vestrum. Et profecto, quid prosunt omnia jejunia, omnes abstinentiae et castigationes corporis rigidissimae, si cor maneat impoenitens, si spiritus non sit contritus et humiliatus? —

Vera dicis, imo verissima. Nec nos audemus tibi vel Apostolo vel prophetae contradicere, nec nos castigationes corporales fidei, spei et charitati, in quibus secundum doctrinam divi Thomae Aquinatis (ad Rom. 12.) bonum hominis et justitia ejus principaliter consistit, anteponimus; nec nos in eis essentiam perfectionis christianae collocamus, sed pro meris perfectionis christianae mediis eas habemus. Profecto omnia illa opera mortificationis externa parum valent, si spiritui contrito et humiliato non sint juncta, si non sint concupiscentiae, irrefrenatorum cordis appetituum mortificatoria atque haec est altera conditio castigationis corporalis, quam nos postulamus: Maceratio corporis sociari debet *cum puritate bonae conscientiae* et cum resecatione omnium vitiorum. Merito deflenda est (scribit S. Joan. a Cruce *) quorumdam inscitia, qui inordinatis sese onerant vitae asperitatibus aliisque multis (loquor nunc de voluntariis seu sponte susceptis) parum discretioni conformibus exercitiis, spem suam in illis reponentes, seque illis solis — absque mortificationis appe-

*) P. 14. 15.

tituum suorum in aliis rebus studio — sufficienter ad divinae Sapientiae unionem perventuros arbitrantes. Verum aliter res se habet. Haud quaquam eo attingent, nisi omnem adhibeant curam in istis appetitibus resecandis. Qui enim Christi sunt, ait Apostolus (Gal. 5, 24.), carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Addidit: cum vitiis et concupiscentiis, ait ad hunc locum Cajetanus a), ut intelligamus, non sufficere cruciatum carnis absque cruciatu passionum. Gratis nobis, scribit S. Eucher. b), de corporis cruce blandimur, si exterior (homo) noster sanctis laboribus exercetur et a passionibus non curatur interior. Sic est, quomodo si aliquis statuam faciat a foris auream, ab intus luteam; vel quomodo si domus magnifica a foris pulcherrimis coloribus depicta videatur et ab intus serpentibus et scorpionibus plena sit. — Frustra, ait S. Ambros. c), contra exteriores inimicos bellum gerimus in campo, si intra ipsa urbis moenia civis insidians habetur. Impleri debet jejunium, scribit S. Leo d), non ciborum tantummodo parcitate, sed maxime privatione vitiorum. — Quid prodest, ait S. Augustinus e), jejunare visceribus et luxuriae venatibus deservire; abstinere a cibis et saturari peccatis; castigare corpus inedia, mentem exercere nequitia; vinum forte non bibere et ebrium cogitatione malignitatis incedere? — Et S. Hieronym. epistola ad Celantiam f): Quid prodest

a) Vide P. Jos. Mansi Bibl. mor. tom. 3. p. 424. n. 7.
b) Hom. 4. ad Relig.
c) Vide P. Jos. Mansi Bibl. mor. tom. 3. p. 424.
d) In catena ad Matth. 6.
e) Serm. 13. tom. 2. supplem.
f) Vide P. Jos. Mansi Bibl. mor. tom. 3. p. 419.

tenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebimur de pallorum jejuniis, si invidia lividi simus? Quid virtutis habet, vinum non bibere et ira atque odio inebriari? — Incassum (ait S. Gregor M. in Past.) per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis moribus dimissa mens vitiis dissipatur?

In vita S. Philippi Nerii a) legitur, ipsum valde magni fecisse eos, qui mortificationi corporis moderate intenti, in mortificanda praecipue voluntate et intellectu omne suum studium ponebant. Et Blosius refert b) de S. Catharina Senensi, edoctam fuisse illam a Domino, quod vera sanctitas non consistat in illis arduis poenitentiae operibus exercitiisque corporalibus, sed in propriae voluntatis ac vitiorum mortificatione. Et profecto sola voluntas propria causa est peccatorum, atque una ipsa plus nocet nobis, quam omnes junctim inferi, cum nulla vis daemonum, nisi ab illa adjuta, nobis valeat nocere. Illa salutem nostram turpiter prodit, et cum hostibus nostris conspirat in perniciem nostram, iisque nos tradit in probrosissimam servitutem. Ideo ait S. Bernard. c): Cesset voluntas propria et infernus non erit. Hujus mortificatio voluntatis acceptissima est Deo, quia hic non in parte aliqua, uti in aliis, mortificamur, sed ex toto plene et integre Deo nos dedicamus, nosque Deo offerimus. Nihil Deo gratius offerri potest (ait vir quidam in vita spirituali versatissimus d)

a) Lib. 2. c. 14. n. 10.
b) In conclavi animae c. 2. §. 2. n. 3.
c) Serm. 3. de resurr. Dni.
d) Laetiensium Abbas. Vide Joan. Euseb. Nierembergii Vita div. c. 19. p. 186.

resignatione propriae voluntatis, quia homini nihil est charius ipsa voluntate et arbitrii libertate. Quando quis propter Deum sensualitati voluntatique propriae, etiam in rebus minimis, reluctatur ac se mortificat, rem ipsi Deo magis optatam facit, quam si multos mortuos ad vitam revocaret.

Ex hoc autem non sequitur, negligendam esse castigationem carnis, sive mortificationem externam, quoniam ob arctissimum, quo animus corpori cohaeret, nexum mortificatio externa internam juvat (uti jam audivimus), imo studium, voluntatem, passiones, appetitus, uno verbo, hominem internum mortificandi, veraciter exprimit. Utraque ergo est jungenda. Bonum est, ait S. Franc. Salesius a), carnem mortificare, sed ante omnia affectus bene sunt expurgandi et cor restaurandum et redintegrandum. Bonus medicus, ait S. Thom. Aquin. b), tunc bene curat, quando adhibet remedia contra causam morbi; caro autem est radix vitiorum, si ergo volumus domare vitia, oportet domare carnem. S. Bernardus: Quod carnis mortificatio castigatione ipsa sua, poenae amaritudine et sensuum afflictione potentissimum sit medicamentum, quo homines a peccatorum putredine vindicantur, est certum. Guerricus Abbas scribit c) ad locum illum Pauli (Gal. 5, 24.): Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt etc. Noverat vir multae scientiae et experientiae, multos esse aut fore, qui crucifigerent concupiscentias carnis et sinerent regnare vitia cordis; multos e contrario, qui fiducia pacati cordis negligerent mortificationem corporis;

a) Loc. cit.
b) In gloss. ad Gal. 5, 24.
c) Serm. 2. in Ramis.

eapropter vult Apostolus, ut crucifixis tam vitiis interioribus, quam concupiscentiis exterioribus mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctimoniam in timore Dei. Richardus de S. Victore vitia distinguit in spiritualia et carnalia et ait a): Contra hos utrosque animae hostes oportet sane fortiter dimicare, et alii quidem conterendi sunt corporis afflictione, alii autem cordis contritione affligendi.

3. Mortificatio corporis ut sit proficua et meritoria, exerceri debet cum *intentione placendi* Deo. Propter Te, Domine, dicat homo, propter Te nolo illud videre, illud audire, illud gustare, illud loqui, illud tangere. Propter Te volo hoc cibo vel potu abstinere, hac hora surgere, hac die vel hora omnem societatem fugere etc. Si quis enim solummodo ex respectu humano, propter laudem hominum vel utilitatem suam, etiam aliquas delicias et consolationes spirituales, austeritates quasdam exerceat: nullum exinde lucrum spirituale habebit. Meritum nostrum tanto majus est, quanto major amor noster. Qui corpus macerat, ait S. Anselmus b), sed honores anhelat: crucem carni intulit, sed mundo per concupiscentiam pejus vivit. Glorificate, monet Apostolus (I. Cor. 6, 20), et portate Deum in corpore vestro.

4. Et hoc modo ordinata mortificatio corporis (discreta et cum interna mortificatione et pura intentione conjuncta) *perduret, sit continua et universalis*, i. e. non semel tantum vel saepius exercenda est mortificatio carnis, sed incessanter, sine ulla intermissione, quovis loco et tempore, prout necessitas

a) In psalm. 90.
b) Ad Galat. 3.

vel utilitas postulat, et in omnibus rebus, ut adimpleamas mandatum Apostoli (II. Cor. 4, 10.): Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes. Vitia enim carnis continuo pullulant, ideo sine intermissione contra illa pugnandum. Profecto cum S. Bernardo a) dicere possum: Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur exstincta et sopita denuo excitantur. Parum est ergo, semel putasse; saepe putandum est, imo si fieri posset, semper, quia semper, quod putari oporteat, si non dissimules, invenis. Quantum libet, in hoc corpore manens, profeceris, erras, si vitia putas emortua et non magis suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Jebusaeus; subjugari potest, sed non exterminari. — Quantumvis per absolutionem sacramentalem, per contritionis actus, per bona proposita exstinctum sit peccati venenum: nihilominus remanent consuetudines et inclinationes, injuriarum reminiscentia, voluptatum memoria, motus inordinati, suggestiones, fomitis vehementia, malorum sociorum instantia et seductio, quae omnia, ut quis elidat, mortificatione solida, permanente atque efficaci opus habet; ut sensuum effrenem cohibeat licentiam, ne oculus in tale amplius feratur objectum, ne auditus obscoenos ultra audiat discursus, ne corpus laute tractetur vel delicate vestiatur et sic porro. Ideo S. Hieron. b) quotidie, ait, credens in Christum tollit crucem suam et negat se ipsum. Coepisse et paulo post iterum desiisse, parum laudabile est; difficultates, inamoenitates, quae mortificationi junctae sunt, hoc modo non tolluntur, sed augentur, et

a) Serm. 58. in Cantic.
b) Ad Alges. 3. T. 3.

quoties de novo quid molimur, semper majores apparent.

Dein mortificationi in *omnibus rebus* locum esse oportet In omni conversatione, opere, cogitatione, sermone negemus nosmet ipsos, ait Hieronymus a). Non sufficit, si, in quantum nostra vitae ratio permittit, omnia bona terrena deseramus, nullo erga ea affectu feramur; sed necessum est etiam, ut sensuum quoque oblectamenta, imo etiam delectationes spiritus relinquamus et deseramus, solasque res, quae affligunt, solumque Deum, neque externam neque internam delectationem, quaeramus. Joannes Taulerus b) adducit talis mortificationis exemplum e vita amici cujusdam, cui Deus per internam illuminationem omnes Scripturae sacrae sensus revelabat, multaque alia mira aperiebat, quique sic Deum rogabat: O benignissime Deus, ego nec haec, nec illa volo; aufer, obsecro, illa a me, quia multum me cruciant. Subtraxit ergo Deus praefata omnia ab illo et per quinquennium absque consolatione eum in magnis tentationibus, angustiis atque calamitatibus dereliquit. Contigit autem aliquando, ut vehementer fleret; et cum duo angeli eum consolari vellent, dixit ad Dominum: O Domine Deus meus, ego nullam consolationem peto; sed abunde hoc sufficit mihi, ut locum illum, ubi Tu ipse habitas, in anima mea custodire possim, ne quid aliud in eum ingrediatur, aut in eo appareat. — Hoc modo etiam in sanctissimis operibus, uti oratione, nos vincere, mortificare possumus, nostram voluntatem in omnibus voluntati divinae subjiciendo, et nil, nisi quod Deus vult,

a) Loc. cit.

b) Vide Joan. Eus. Nierembergii Vita div. c. 20. p. 207.

desiderando. Ita quaecumque demum contigerint, tranquillo ea animo feremus, omnia divinae providentiae commendabimus atque in ejus sinu, quasi infantuli ad amantissimae matris suae ubera, suavissime securrissimeque quiescemus.

Quam constans, assidua atque ad summam producta senectutem, austera quidem, at simul discreta fuerit mortificatio Divi Laurentii, ex antea narratis patet. Addimus nunc quaedam ad illustrandum, quam *ordinata et universalis* quoque fuerit.

Omnibus fortis ille athleta Christi affectibus, inclinationibus, passionibus dominabatur. Idem ubique erat. Numquam eum quisquam aut laetitia magis exhilaratum, aut ira magis commotum, aut solutiorem remissione animi videre potuit; non ullum in eo vestigium metus, cupiditatis, doloris, voluptatis. Accidit forte, ut tectum monasterii, ubi fratres omne penu in spem anni reposuerant, igne conflagraret. Aberat eo die Laurentius. Advenienti vero moesti fratres triste nuntium cum attulissent, hilari vultu Laurentius: Eja filii, ait, quid mali actum est nobis? Nonne paupertatem vovimus? Benedictus Deus, qui nos voti compotes facit; ipse, qui dat semen serenti, panem etiam ad manducandum praestabit, tantum ne amittamus confidentiam nostram, quae, ut inquit Apostolus, magnam habet remunerationem.

Inter affectiones naturae maxime congruas simulque validissimas pertinet affectio erga parentes et propinquos. Laurentius et hanc mira fortitudine superavit. Postquam enim in claustro Deo se dedicasset, maternam aut fraternam domum non est ingressus. Bernardus Justinianus, unus e Sancti propinquis, qui

vitam S. Laurentii conscripsit, refert, se puerum adhuc vidisse Sanctum ad domus paternae januam pulsantem panes petere, domum tamen et januae limen non ingredi; sed foris stantem panes opperiri. Mater aegre ferens, filium, tanto onere gravem, per urbem vagari, jubebat ministros, ut saccum illi panibus implerent. Recusans semper Laurentius duobusque contentus panibus discedebat, ut operam navaret humili mendicationi et non domestico quaestui. Matris morti interesse pietatis esse putabat, ibique noctem egit, ut materni amoris praeceptum impleret. Dignum vero memoria, quod matrem, quam tamen unice dilexit, morientem videre potuerit sine lacrymis et plorantibus aliis ipse siccis oculis ultimum persolverit officium.

Idem ille contemni non modo non timuit, sed potius desideravit. Teste Maffeo, ejus discipulo et successore, quum aliquando de more exiissent (Laurentius et Maffeus) ad petendum panem, accidit, ut frequentiora urbis loca penetrarent. Sensit Maffeum Laurentius motum loci celebritate et cupientem declinare homines, ideo, Maffee, inquit, quid moveris? Vadamus constanti gradu, nil enim profecimus, si reliquimus verbo mundum, nisi etiam opere id declaremus. Eamus cum saccis istis quasi crucibus et gloriosum hodie de saeculo triumphum referamus. — Contumelias summa cum humilitate tulit. — Quum jam Rector esset monasterii, et de hujus negotiis aliquando in capitulo ageretur: frater quidam simplicioris ingenii accusavit, nescio quid a Laurentio factum. Laurentius quamvis nosset hominis ingenium, et purgare se facile posset, substitit primum, quasi non audiret, tandem leni gradu in medium proce-

dens, genibus flexis: Ignoscite, inquit, Patres, peccavi in coelum et coram vobis, ecce poenitentiam, quam dederitis, agam. Tactus poenitentia frater ille ad Laurentium accurrit et veniam petens ejus pedibus advolutus est. — Iterum autem, quum simile quidpiam falso objiceretur, compressa Laurentius mordicus lingua, nihil respondit, scilicet ne aut mendax confessio malum exemplum proderet, aut negatio contentionem gigneret. Haec suffecerint. — Nil amplius restat, quam ut secundum propriam vitae rationem Sanctum hunc imitemur, continuo, in rebus omnibus, discrete, ordinate interne et externe nos mortificantes, ad gloriam Dei, aedificationem proximi et salutem animae nostrae.

Cum de utilitate mortificationis corporalis égissemus, inter caetera, quae proposuimus, argumenta, etiam hoc a nobis adductum fuisse constat: Deum pro sua benignitate ac misericordia specialibus nostras mortificationes remuneraturum esse gratiis ac donis. Hujus rei exemplum singulare in nostro conspicimus Laurentio, quem Deus de die in diem majoribus ornavit virtutibus auxitque donis, inter quae primum occupat locum gratia contemplationis, donum orationis et lacrymarum.

III. Laurentius gratia contemplationis, dono orationis ac lacrymarum a Deo ornatus.

Ipse cuidam discipulo revelavit, sibi a Deo datum esse, ut, quocumque loco aut tempore se colligere vellet et in coelum mentem erigere, semper posset. Phantasiae imagines, quibus plus minusve turbari solet mens nostra, eâdem, qua oberrantes ab oculis pelluntur muscae, facilitate abigebat. In variis

causarum actionumque turbinibus semper quietus manebat et immobilis, ac si nihil audiens in coelo esset animus ejus, corpus in terris. Interpellatus autem (si orationi aut scriptioni se dedisset) ab aliquo ipsum adeunte, sine molestia, coepto opere intermisso, jucundo vultu, quasi otiosus, venientem excepit. Sola divinae bonitatis meditatio illum emollire poterat, ita ut profuse lacrymas emitteret. — Aliquando quum post prandium sederet et de divinis sermonem haberet familiarem, conversus ad eos, qui aderant, ferventiori quodam mentis affectu: Quid, inquit, agam, fratres, quid agam, quum ad judicem deducar? Quid egi miser, in quo sperare possim? Nihil habeo, nisi quod ad illius sanctissimi ligni radicem provolvar et plangam. Haec cum dixisset, totus est solutus in lacrymas, quas tamen, ne quid laudis humanae subreperet, affectus cujusdam sensualitati adscripsit, non verae devotioni. — Quicumque eum ad altare conspexerat, magna animum ejus subibat veneratio. Quae decentia vultus! Quae gestuum compositio! Quae lacrymae! Cum aliquando missam nocte dominicae nativitatis celebraret, post consecrationem Eucharistiae solutus est in mentis excessum, in eoque Christum Dominum sub pulcherrimi infantis specie videre promeruit.

Quanti donum *contemplationis* animique collecti faciendum, vel ex hoc apparet, quod nos ipsi communiter mente distractâ oremus, aliud volventes mente et aliud ore pronuntiantes. Heu, quanta fragilitas nostra! Etsi enim nostras indigentias graviter sentiamus, etsi non sine omnimoda praeparatione ad Deum deprecandum accedamus, nec diu in oratione persistamus: tamen rarissime preces nostras

devote persolvimus. Variae cogitationes ineptae, vanae, profanae ac saeculares, imo quandoque et impurae attentionem nostram abripiunt mentemque a Deo avertunt, ita ut a Deo exaudiri cupientes nosmet ipsos non audiamus, ut stantes coram medico salutis nostrae propriae infirmitatis, et stantes coram Domino coelorum ditissimo propriae paupertatis nostrae obliviscamur.

Nota est piissimorum querimonia sacerdotum de distractionibus mentis inter celebrationem Missae et officii divini recitationem occurrentibus. Ipse S. Hieronymus conqueritur, quod creberrime in oratione sua aut per porticus deambulet aut de foenore computet aut abductus sit turpi eorum cogitatione, quae dictu sunt erubescenda. S. Bernard. a) cor suum appellat cor vanum, vagum et instabile, quo nil fugacius in se, quodve, omni mobili mobilius, per innumera huc illuc discurrat. Et Thomas a Kempis inclamat b): Sic ego homo infelix mecum pugno et factus sum mihimetipsi gravis, dum spiritus sursum et caro quaerit esse deorsum. O quid intus patior, dum mente coelestia tracto et mox carnalium turba occurrit oranti.... Confiteor enim vere, quia valde distracte me habere consuevi; nam ibi multoties non sum, ubi corporaliter sto aut sedeo. — S. Chrysostomus mores coaevorum suorum depingens c): Multi ecclesiam ingrediuntur, ait, innumeros orando absolvunt versus, egrediuntur, nesciunt, quid dixerint. Labia moventur, auditus vero non percipit. Genua, inquis, flexi, at mens tua extra volitabat;

a) Medit. c. 5.
b) Lib. 3. c. 48.
c) Hom. de orat.

corpus intra erat et animus tuus extra. Os tuum preces recitabat, et mens tua numerabat foenora, commercia, commutationes, possessiones, amicorum congressus. Sunt multi, ait S. Vincent. Ferren. a), describens cogitationes indignas, quae in mente multorum tempore psalmodiae vel aliarum precum circumvolvuntur, sunt multi, qui dicant: Pater noster, ore et in corde cogitent de coquina vel de taberna. —

Anne autem preces nostrae, tot dissipationibus mentis junctae, Deo acceptae esse ac effectum quemdam habere possunt? An non summam erga Deum irreverentiam manifestat, qui coram Deo stans et cum Deo loquens, mox ab imaginatione ad alia cogitanda tractus, Deo quasi tergum vertit et cum servis ejus fabulatur hocque modo servos Domino, creaturas Deo anteponit? Cum amico colloquens, ait S. Chrysost. b), cum attentione illud facis; cum Deo autem de peccatis tuis agens et condonationem postulans et veniam orans, subinde torpescis, genibusque humi positis saepe per forum saepe per aedes mentem tuam divagari sinis, ore tuo interim temere inaniterque garriente. — Si cum homines accedimus, tam intenti sumus, ut prope stantes saepe numero non videamus, sed ad eum solum spectemus, ad quem accedimus: quanto magis apud Deum idem facere congruit? Quis non stultum reputet hominem, qui ad regem accedens, varias gratias impetraturus, sic se gerat, ut non attendendo ad id, quod profert, regem ad indignationem magis excitet, quam flectat? Simili modo stultus est, qui mente sua inter preces

a) Serm. in Vigilia Palm.

b) Tom. 1. c. 22.

huc illuc evagatur, quia teste divo Basilio non solum nihil impetrabit, sed etiam Deum magis irritabit. Non plus delectatur Deus, ait Bellovacensis a), in oratione vocali sine attentione mentali, quam in garritu avium vel in grunnitu porcorum. Orans Psalmista dicit Domino: Intende voci orationis meae, Rex meus et Deus meus. Et alibi: Fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae. Sed si tu ipse non attendis tibi, quomodo speras, Deum intendere tibi? Magnam injuriam, ait S. Bernardus b), Deo facio, cum illum precor, ut meam vocem audiat, quam ego, qui fundo, non audio. Deprecor illum, ut mihi intendat, ego vero nec mihi, nec illi intendo. Qui vocem suam regulare et moderari nescit, quando cantat, ait noster Laurent. Justin. c), certum est, quod per suam dissonantiam iis, qui eum audiunt, displiceat et nauseam provocet, sicut et instrumentum, quod sonat, si a tono cantantis discordat. Ita quid oratio prodest strepitu verborum, ubi est cor mutum? Sicut enim vox sine modulatione auribus hominum onerosa existit, sic oratio absque devotione auribus Dei inexaudibilis est d). Abundantia malarum cogitationum plurimum, ne exaudiatur oratio, obstat. Merito non exaudiri meretur, qui obscoenis irretitus cogitationibus non intelligit, quid oret. — Non incommode igitur, quod Paulus de charitate dixit, et nos de attentione in orando dicere possumus, nempe quod, etsi quis omnes libellos precatorios recitando absolvat, attentionem autem non

a) Spec. mor. l. 3. par. 10. dist. 33.
b) Medit. c. 8.
c) De lign. vit. c. 6.
d) De orat. c. 4.

habeat, attentionem ad Deum, quem orat, et ad rem, ob quam orat, nihil sit et factus velut aes sonans aut cymbalum tinniens.

Hinc omnes monitiones S. Scripturae, SS. Patrum et Conciliorum eo tendunt, ut oremus et psallamus non tantum ore, sed et spiritu et mente, i. e. summa cum devotione. Sufficit adduxisse ex Patribus verba S. Cypriani et Bernardi, quorum prior super orationem dominicam scribens: Quando stamus, ait, ad orationem, incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis et saecularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem, praefatione praemissa, parat fratrum mentes dicendo: Sursum corda, ut, dum respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur, se nihil aliud quam Dominum cogitare debere. S. Bernardus monet fratres a), nec solas (inter orandum et psallendum) vitandas cogitationes vanas et otiosas, sed et illas, quas officiales fratres pro communi necessitate quasi necessario frequenter admittere compelluntur, additve: sed ne illa quidem profecto recipere tunc consuluerim, quae forte paulo ante in claustro sedentes in codicibus legeratis, qualia et nunc me — viva voce disserente — ex hoc auditorio Spiritus Sancti recentia portatis. Salubria sunt, sed minime illa salubriter inter psallendum revolvitis; Spiritus enim Sanctus illa hora gratum non recipit, quidquid aliud, quam debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris.

Omnes, qui horis canonicis persolvendis deputati sunt, ordinat Concil. Trevirense 1549. b), dent operam,

a) Serm. 47. in Cant.

b) Cap. 9. de Horis can.

utcollectis animis, quoad fieri potest, debitum pensum absolvant, nec ita se habeant, ut, dum voce psallunt, quidvis potius, quam Deum, animo cogitare videantur.

Quo facilius autem hisce monitis respondeamus, non abs re fuerit, quaedam *media* indigitasse, quibus distractiones mentis arceri possint.

a) Ante omnia opus est, ut *fontes*, e quibus dissipationes mentis communiter promanant, *obstruamus*, inter quos primo loco collocanda vita nostra antecedens, voluptatibus et gaudiis hujus mundi dedita, cor creaturis adhaerens. Quaecumque enim saepius agere, audire, loqui consuevimus, ea necessario frequenter ad animum, quasi solitam propriamque suam sedem, redeunt. Objecta, quae in mundo videmus, narrationes, cantus et hymni, quos audimus, voluptates, quibus fruimur, magnam faciunt impressionem, et profundam in corde radicem figunt ac vestigia in phantasia nostra relinquunt. Hinc etsi ad solitudinem redierimus, cantus et concentus musici adhuc insonant in auribus nostris, saltatrices oculis conspicimus, ad mensam accumbimus, colloquia miscemus, anxiamur, exultamus, innumerasque cogitationes vanas, profanas, indecentes, imo fors et irreligiosas mente volvimus — quae quasi muscae (uti ait S. Franc. Sales.) in unguento moriuntur et ideo bonum illius odorem corrumpunt. Mens, quae ante orationem in illicitis cogitationibus occupatur, ait S. Isidorus *), dum in orationem venerit, confestim illi imagines rerum, quas nuper cogitavit, occurrunt, aditumque precis obstruunt, ne se mens libera ad coeleste desiderium erigat. Quapropter bonas faciamus vias nostras et studia nostra oportet

*) Lib. 3. Sent. c. 3.

et habitabit Deus nobiscum (Jerem. 7, 3.). Renuntiemus vitae pristinae, reprimamus possiones nostras, emundemus cor nostrum, fugiamus voluptates et dissipationes mundi, et facilius animum nostrum colligemus. Ut eo fervore ac puritate, ait Cassianus a), qua debet, emitti possit oratio, ... primo sollicitudo rerum carnalium generaliter abscindenda est; ... detractiones, vaniloquia seu multiloquia, scurrilitates quoque similiter amputandae, irae prae omnibus sive tristitiae perturbatio penitus eruenda. — Oportet, ait Bellovacensis b), ut orans sit sine conscientia peccati mortalis, i. e. ut non habeat voluntatem peccandi vel in peccando remanendi. Et noster Laurentius c): Puritas plurimum valet, ait, ut deprecantis oratio fiat accepta, et ipsius orantis animus ad orationem idoneus efficiatur. Beati, inquit Dominus (Matth. 5, 8.), mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. — Praeparatio (ad orationem) remota est orantis vita laudabilis. Multum enim juvat orationis puritatem, si in omni loco, actu et tempore nos ab operibus temperemus illicitis et divinis obediamus praeceptis, si semper ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigemus et linguam; quia cogitationes impurae mentem perturbant et vita laudabilis animum purgat et sanctificat et orantis precem efficit acceptabilem.

Alter fons distractionum sunt negotia causaeve hujus vitae variae, officia muneris, status, conditionis. Jam cum his renuntiare non possimus, eorum cura autem ac memoria evagationes mentis inter

a) Collat. 9. c. 3.

b) Spec. mor. l. 3. par. 10. dist. 33.

c) De orat. c. 5.

orandum producat: nil aliud restat, quam, ut tum negotiis nostris perficiendis, tum precibus consuetis aut praeceptis persolvendis certum diei tempus destinemus, ac dein hoc tempore totos quantos aut precibus aut negotiis nos tradamus. Opportunissimum hoc respectu ad orandum tempus fuerit tempus matutinum, antequam negotia suscipiantur, et tempus vespertinum, postquam jam omnia confecta fuerint et finita. Quod talem temporis dispotionem nullus status civilis, nulla vitae conditio, nullum officiorum genus impossibilem reddat, docent exempla virorum, qui, etsi summis negotiis occupati curisve defracti, orationem tamen numquam neglexerunt. David rex septies in die dixit laudem Domino. Carolus V. Imperator orationi aliquando incumbens magni regis legato, per internuntium urgenti, ut admitteretur, cum rem magni momenti afferret: nec ego quidem nunc leviter sum occupatus, respondit, qui cum Deo ago *). Hoc si accurate observarent ecclesiastici, profecto majori cum diligentia et attentione officium divinum persolverent.

Cum autem saepius accidat, ut mediis immersi negotiis ad ecclesiam accedamus vel orationi incumbamus: necessaria est

b) *praeparatio* quaedam ante orationem. Ante orationem, monet Spiritus S. (Eccl. 18, 23.), praepara animam tuam et noli esse quasi homo, qui tentat Deum. Adverte (ait Bellovac.) quod reus ante sententiam judicis diligenter cogitat, quomodo possit judicem ad misericordiam flectere; pauper eleemosynam petiturus cogitat, quomodo possit cor divitis efficacius ad pietatem movere; advocatus sollicite

*) Vide P. Jos. Mansi Bibl. mor. tom. 3. pag. 844. n. 8.

meditatur rationes, quibus causam suam possit facere meliorem. Qua fronte, qua temeritate, qua praesumtione audebit homo sine praeparatione praevia sacra verba resonare, coram summo judice reus accedere, coram summa Majestate, etiam summis spiritibus tremenda, non praemeditatus assistere?

Haec autem praeparatio postulat:

α) ut omnes cogitationes nostras recolligamus et, quantum humana debilitas nostra patitur, omnem negotiorum terrenorum reique familiaris memoriam et imaginationem pro tempore orationis deponamus curasque extrinsecas amoveamus, i. e. quasi ostium cubiculi interni (cordis) claudamus, ad exemplum S. Francisci Seraphici, qui, cum ecclesiam oraturus ingrediebatur, dicere solebat: Manete hic cogitationes meae profanae, donec egrediar, et ubi opus Dei complevero, si indigere me vobis contingat, iterum vos assumam a). Ante orationem, ait S. Laurentius Justin. b), purgandus est animus atque a temporalium rerum cogitatione restringendus, ut pura acie, vere et simpliciter ad spiritualia dirigatur, quia longe est a Deo, qui in oratione cogitationibus saeculi fuerit occupatus. Et S. Ephrem c): Cum Deo assistis orans, cum timore et tremore coram illo te compone, cogitationes et sollicitudines quascumque rerum temporalium circumquaque ex corde tuo abscinde.

β) Dein postulat praeparatio, ut omnem cogitationem nostram in *Deum praesentem* nosque videntem dirigamus, ut recordemur, nos, qui cinis et pulvis sumus, constitutos esse in conspectu Sanctissimae

---

a) Vide Marchant in hort. past. tr. 2. lect. 8.

b) De orat. c. 3.

c) Tom. 1. de Virgin.

Trinitatis, Jesu Christi Salvatoris nostri, Beatissimae Virginis, omnium Angelorum et Sanctorum, ad exemplum Davidis regis, qui praesentiam Dei assiduo cogitabat dicens (Psalm. 15, 8.): Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dexteris est mihi, ne commovear. S. Joan. Climacus refert a) de quodam monacho, quem inter psallendum prae caeteris attentiorem viderat et devotiorem, illum solitum fuisse in principio officii divini magna cum diligentia cor et cogitationes suas recolligere, easque coram se advocare et dicere: Venite, adoremus et procidamus et ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster et nos populus et oves pascuae ejus. Omnes Patres hocce medium commendant. S. Ephrem b): Cum in oratione constiteris, ait, coram quo assistas, cognosce, sitque anima tua et cor tuum totum ad eum. S. Chrysostomus hocce remedium menti suae adeo infixum habuit, ut diceret c): Cogita, ad quem accedis, et sufficiat ad inducendam vigilantiam. Quomodo, interrogat S. Basilius d), quis inter orandum non distrahetur? Et respondet: Si certo credat, Deum se ante oculos habere. Si enim principem aliquem aut praesidem intuens et cum eo loquens ab eo dimoveri non solet: qui non tandem credibilius est, intentam mentem habiturum illum, qui Deo preces adhibeat, in eum, qui scrutatur renes et corda?

Profecto quisquis ante orationem vere et serio perpendit, orationem esse familiare quoddam collo-

a) Gr. 18.
b) De timore Dei ad imit. Prov.
c) In psalm. 145.
d) Reg. brev. inter. 201.

quium cum Deo (S. Anselm.) seque constitutum esse coram illa Majestate, quam adorant Dominationes, coram qua tremunt Potestates: facile non tantum ab omni irreverentiae et inurbanitatis actu abstinebit, sed et tota attentione, toto affectu, sine mentis evagatione preces suas et supplicationes proponet. At haec est fragilitas nostra, quod nequidem sufficientes simus, vivide praesentiam Dei nobis repraesentare ac longiore tempore Deum praesentem cogitare; haec fragilitas nostra, quod et nos sacerdotes missam celebrantes et post consecrationem ad orationem dominicam pervenientes jam consecrationis vix factae, adeoque et praesentiae Christi obliviscamur, imo teste S. Bernardo a) vix semel orationem dominicam sine distractione recitare possimus. Talibus igitur in angustiis faciendo signum crucis ad Sanctissimam Trinitatem, ad Christum Dominum, qui novit omnes infirmitates nostras, confugiamus, et Spiritum Sanctum brevi oratione vel suspirio invocemus, ut nos adjuvet et spiritum devotionis nobis infundat; benedictus enim est Deus, qui non amovit misericordiam suam a nobis; magnitudo desiderii clamor est, quem Deus exaudit. S. Franciscus Xaver. pro attentione comparanda ante singulas officii horas hymnum: Veni S. Spiritus, recitabat tanto fervore, ut ei animus deficere videretur b).

c) Ad attentionem nostram durante oratione excitandam et conservandam multum quoque confert *loci*, in quo, et *temporis*, quo oramus, conditio, etiamsi ultro fateamur, semper orandum et ab oratione numquam desistendum esse (I. Thess. 5, 16.),

a) Tob. Lohner Bibl. man. conc. ed. 6. tit. 108. pag. 237. n. 5.
b) Vide vitam ejus l. 6, c. 5.

Deumque ubivis locorum in spiritu et veritate adorari posse (Joan. 4, 24.). Quanto magis nempe in loco quodam hoc illove tempore custoditi fuerint sensus nostri et ad coelum elevati: tanto minus evagatio mentis nostrae locum habere poterit. Ideo ait S. Bernardus a): Quando profundus sopor nocturnum induxit silentium: tunc purior et securior est oratio, utpote nullo strepitu, nullo clamore turbata, nulla aspicientium laude tentata. Mane et vespere, ait S. Isidorus b), tempus orationis opportunum. Quod locum adtinet, Salvator ipse ait (Matth. 6, 6.): Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. Minus enim teste Laurentio Just. c) vanis cogitationibus stimulatur, qui orat, ubi non est hominum frequentia, sicut minus avaritia tentatur, qui concupiscibilia non cernit. Christus Dominus hanc habuit consuetudinem, ut frequenter in loco remoto et solitario oraret, id quod Div. Chrysost. notans ait d): Consueverat seorsim orare, ut nos erudiret, quietem ac tranquillitatem in orationibus diligenter appetere. — Alter locus ad orandum valde idoneus est templum, quod et domus Dei, domus orationis audit nosque modo prorsus singulari attentos facit, Deum, Christum Dominum esse praesentem, modisque variis sensus nostros fascinat et ad coelestia elevat. Elegi et sanctificavi locum istum, ajebat Dominus de templo Salomonis (II. Paralip. 7, 16.), ut sit ibi nomen meum in sempiternum et permaneant oculi mei et cor meum

a) V. Bellovac. spec. mor. l. 3. pag. 10. dist. 33.
b) Lib, de summo bono c. 7.
c) De orat. c. 6.
d) Hom. 48. in Matth.

ibi cunctis diebus. Si templum Salomonis fuit sanctificatum, quanto magis templa nostra, in quibus sanctissimum Altaris Sacramentum asservatur. Facilius igitur fuerit, coram Sanctissimo Altaris Sacramento Deum praesentem cogitare, omnesque cogitationes, sensus et animi affectus ad Deum dirigere. Hinc est, quod divus Thomas Aquinas postulet a), ut sacerdos, si potest, in ecclesia persolvat horas canonicas juxta illud Psalmi 67: In ecclesiis benedicite Deum.

d) Ne autem durante oratione mens evagetur, necesse est: α) ut ad cuncta, quae ore proferimus, verba eorumque sensum attendamus et congruas affectiones in nobis excitemus; β) ut externe quoque reverentiam ac devotionem nostram manifestemus; γ) ne affatim obvenientibus alienis quibusdam cogitationibus orationi finem imponamus, sed in oratione, etiam aliquatenus distracta mente, perseveremus; de caetero orationem ultra modum ac vires nostras non protrahamus.

Qui *mechanico* quodam modo preces suas, praesertim quotidianas, e libellis precatoriis, usu tritis, recitat, quin ad sensum verborum mentem advertat et congruas sensiones in corde excitet: facile distracta mente orabit. Nec mirum, si sacerdotes cum nausea officium divinum persolvant, si mechanice psalmos officii divini recitent. Stude intelligere ea, quae dicis, ait S. Bonaventura b), si potes; si vero non potes intelligere, reverere, quia, sicut dicit sapiens, per reverentiam accedet tibi bona gratia. Pres-

---

a) Opusc. 65. de sacerd. offic. part. 1. de horis can.
b) Reg. Novit. c. 1.

byter, ait Concil. Colon. I. 1536. a), ex intimo affectu elevataque mente in solum Deum nocturnum hoc diurnumque suae servitutis pensum exsolvat. Verba singula notet, mandat Concil. Mediolan. V. b), interpretationem studio assequatur, unde mens animusque ad aliquem salutarem affectum incendatur.... Magna animi attentione se ad verba sententiasque psalmi accomodet, ita ut laudet, gemat, extimescat, sicut psalmorum voces indicant, et, quod denique ore profert, animo primum concipiat. Ad verba adjungat animo cogitationem vel amoris vel reverentiae vel humilitatis, atque ita quidem affectum aliquem excitet, ut si de virtute verba psalmi profert, desiderio accendatur imitationis; si de peccatis, intime doleat, et sic de aliis item, quae psalmo significantur. Si orat psalmus, ait S. Augustinus c), orate; et si gemit, gemite; et si gratulatur, gaudete; et si sperat, sperate; et si timet, timete.

β) *Externa corporis compositio* nequaquam est negligenda, quia propter intimum, qui corpus inter et animam intercedit, nexum externa reverentiae ac devotionis signa internam pietatem ac mentis devotionem excitant, nutriunt, conservant ac promovent. Hinc illa Conciliorum sanctorumque virorum statuta, ut sacerdotes in choro pro temporis et officii ratione ex instituto et more Ecclesiae sedeant, stent, flectant genua, caput aperiant, et submittant, caeteraque ejus generis adhibeant; non vagentur in choro vel ecclesia nec locum mutent d); extra chorum, ne

a) Part. 2. c. 8.
b) Part. 3. tit. quae ad div. off. pertin.
c) In psalm. 30. enarrat. 4. n. 1.
d) Con. Mediol. I. part. 2. tit. Quomodo versandum in choro.

deambulando horas dicant, sed in aliquem locum orationi aptum tantisper concedant, ne mentis evagatio, quae ex tumultuaria deambulatione nasci solet, fructum orationis intercipiat a); ut dimissis omnibus, quaecumque in manibus fuerint, stantes cum reverentia juxta traditionem ecclesiasticae disciplinae Creatori suo debita cum devotione laudes exsolvant, flectentes genua vel inclinantes (caput) pro tempore cum timore Dei. Si quando eos ad sedendum debilitas evidens vel nimia lassitudo compellat, saltem ad initium Officii, invitatorium, hymnos, ad orationem dominicam surgere non omittant, et si etiam in lecto aegritudinis decumbant, reverentiam nihilominus aliquam faciant, prout possunt, nec aliam officio divino occupationem admisceant, manus cessent, oculorum evagatio reprimatur, ut mens ab exteriori cura penitus libera soli valeat Deo vacare b).

γ) Experientia quotidiana docet, *perseverantiam* a Deo coronari. Quodsi itaque ab initio orationis vel serius aliquantum distracti fuerimus, non mox ab oratione cessemus, sed perseveremus et propositum nostrum, attente orandi, saepius renovemus. De S. Aloysio legimus c), quod magnam noctis partem, summa etiam hyeme, positis humi genibus vel prae languore jacens ac pronus in coelestium contemplatione traduxerit et interdiu quoque 3, 4, 5 horas in ea immotus perstiterit, donec unam saltem, animo nusquam distracto, percurrisset. Praemium constantiae hujus fuit stabilitas mentis inter orandum alio

a) Conc. Trevir. 1549. c. 6. de horis can.
b) S. Bonav. spec. discipl. ad Novit. part. 1. c. 16. part. 2. c. 1.
c) In Brev. Rom. in festo S. Aloys. Gonz. Lect. V.

non vagantis, imo perpetua velut ecstasi in Deo defixae. Quodsi flagitiosarum cogitationum vis, ait S. Basilius a), vehementior insurgat, ne sic quidem dejiciendus est animus, neque suscepta certamina ex dimidia parte confecta relinquenda, sed eo usque obfirmate perdurandum, quoad Deus, perspecta nostra constantia Spiritus sancti gratia, effulgeat. Quoniam autem experientia teste mens defatigata facile evagetur, nec omnium vires iisdem oneribus ferendis pares sint: etiam in orationibus et contemplationibus, quod diuturnitatem illarum adtinet, modus est servandus. Quod accuratius perpendentes facile intelligemus, cur Ecclesia variis diei temporibus horas canonicas recitandas praescribat.

Quodsi autem omnia, quae in nostra sita sunt potestate, praestiterimus, et tamen distractiones inter orandum occurrant: hae tamquam involuntariae atque a Deo eum in finem immissae, ut cognita tam insigni naturae nostrae fragilitate coram Deo nos humiliemus, in ejusque ope ac gratia unice confidamus, patienter sunt tolerandae, opusque pietatis perficiendum. Tunc bona nostra voluntas, pium desiderium, sanctus conatus non minus Deo placebit, quam opus perfectum. Si non potes, solebat dicere beatus Aegydius, nisi distractas orationes et meditationes offerre, tamen offer, quia Deus etiam pilos caprarum in tabernaculo acceptabat. S. Thomas Aquinas b) docet, quod attentio in oratione semper debeat manere secundum sui virtutem ... et quod tunc maneat attentio in oratione secundum virtutem, quando quis accedit ad orationem cum intentione aliquid

a) Const. Mon. c. 13.
b) 4. Dist. 15.

operandi vel Deo debitum obsequium reddendi, etsi in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur, nisi tanta sit vagatio, quod depereat vis primae intentionis. S. Basilius de eadem re loquens ait *): Si debilitatus a peccato fixe nequis orare, quantumcumque potes, te ipsum coercëas, et Deus ignoscit eo, quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, ut oportet, resistere coram Deo.

Ne simus igitur anxii, dilectissimi fratres, si inter orationes, contemplationes, recitationem breviarii, celebrationem missae, infirmitate humana ad inferiora deprimamur, nec ob distractiones involuntarias, ob defectum devotionis, cogitationum et imaginationum conflictum orationem deseramus, in specie recitationem Breviarii, taedio affecti, negligamus. Scit enim Pater coelestis infirmitates nostras, et facile ad compassionem erga nos movebitur. Quomodo miseretur, ait Scriptura (Psalm. 102, 13.), pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Humiliemus potius animas nostras coram Altissimo, et ingemiscamus dicentes: Ne elongeris a nobis Domine (Ps. 70, 12.) neque declines in ira a servis tuis (Ps. 26, 9.). Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum: ita oculi nostri ad Te Dominum Deum nostrum (Ps. 122, 2.). Ne derelinquas nos, veni et adjuva nos et concede nobis Spiritum devotionis!

Divus Laurentius Justinianus in praemium mortificationis suae insignitus fuit praeter donum assiduae contemplationis singulari quoque *dono lacrymarum*, quale in aliis, sanctitate conspicuis viris, uti Romualdo, Francisco Seraphico, Raymundo

*) V. Bellovac. Spec. mor. l. 3. p. 10. dist. 31.

(e familia divi Dominici), Philippo Nerio conspicimus.

Attamen magnopere falleremur, si omnes donum lacrymarum sortitos esse existimaremus, qui proni sunt ad lacrymandum. Experientia enim docet, ebrios quoque, qui tamen Deo non placent, facile lacrymari, multosve in poenitentiae tribunali lacrymas fundere, quin Deum suum sincere ament, atque peccata sua vere detestentur. Quidam dein, praesertim, qui puerilem nondum egressi sunt aetatem, et personae alterius sexus in genere tam tenerae sunt complexionis, ut facile, e causis levissimis, tristitia afficiantur et amare fleant.

Videndum proin in dijudicando hocce dono, quaenam causae et qui effectus sint lacrymarum, quas homines fundunt. Si causae sint merae res temporales, et effectus relate ad emendationem vitae nulli: lacrymae sunt solummodo naturales.

Nemo in hoc mundo, (quem Ecclesia appellat vallem lacrymarum) extraneus a miseria, ideo nemo naturali modo alienus a fletu. Unusquisque nostrum, ait S. Cyprianus, dum nascitur et hospitio hujus mundi excipitur, initium sumit a lacrymis, et quamvis adhuc omnium nescius et ignarus, nihil aliud novit in illa ipsa prima nativitate, quam flere. Providentia naturali lamentatur vitae mortalis anxietates, et labores et procellas mundi, quas ingreditur, in exordio statim suo ploratu et gemitu rudis anima testatur. — Plurimi homines gemunt et plorant modo naturali, si in temporalibus aliquid infausti illis accidit, e. g. si ager diluvio devastatus est, si domus conflagravit, si fur pecuniam abstulit, si mors prolem, amicum, parentes eripuit, si negotium ali-

quod male cedit, morbus ingravescit et sic porro. Attamen tales lacrymas (pro temporalibus) Hugo Card. inutiles, vel saepins etiam nocivas declarat. Frustra Esau, qui primogenita fratri suo pro esca vendiderat, amissionem benedictionis primogenitorum cum ejulatu magno flebat (Gen. 27, 38.). Non invenit poenitentiae locum, ait S. Gregor. a), quamquam cum lacrymis inquisisset eam, quia videlicet fructum non habent lamenta, quae student cum gemitu desiderare peritura. S. Laurentius Just. hocce in puncto adeo semetipsum abnegabat, ut et matrem morientem sine lacrymis videret et officium divinum pro ea siccis oculis persolveret. Nihil fletus causa (sit), ait Simon de Cassia b), quam spiritualis mors. Nihil plangendum ab hominibus, quam peccatum. Quid civitatum excidia, quid exitia corporum, quid vero mundi hujus mala universa, si non incurritur in peccatum?... Solum peccatum justam habet materiam deplorandi. — Tantum peccatum lugeamus, ait S. Chrysostomus c); omnia vero alia, sive paupertas, sive morbus, sive mors intempestiva, sive calumnia, sive exagitemur ab aliis, sive quodcumque aliud mali genus nobis acciderit, infracto animo feramus. Numquid Apostolus praecipit flere rerum amissionem, ait S. Bernard. ad illa Apostoli verba: Flete cum flentibus d), intermissionem voluptatum, filiorum mortem, morborum instantiam, gravitatem inopiae, potentiam fortiorum? Absit! Probandi enim sunt, qui taliter plorant. Religiosa enim tristitia aut alienum luget peccatum aut proprium.

a) Lib. 11. Mor. c. 5.
b) Lib. 5. c. 13.
c) Serm. de dormient.
d) Serm. de S. M. Magd.

Verumtamen etiamsi peccata plangantur, si non sequatur emendatio, lacrymae nihil prosunt. Inanis est poenitentia, ait S. Augustinus a), quam sequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum sanatur tardius; sic lugens et peccans veniam non meretur. Saepe filii Israel, in eremo correcti a Mose, fleverunt coram Domino, at poenitentia illis nihil profuit, ad pristinas concupiscentias denuo resolutis. Levaverunt vocem et fleverunt, et tamen paulo post facere malum coram Domino addiderunt. Qui plangunt peccata, ait S. Antonius b), et tamen non deserunt, sunt similes ei, qui lavat laterem crudum, qui quanto plus lavatur, plus luti facit.

Longe aliter autem comparatae sunt lacrymae eorum, qui dono lacrymarum gaudent. Causa lacrymarum, quas illi fundunt, est supernaturalis; non sensualitas, sed amor Dei, amor Jesu Christi, amor coelestis patriae. Hinc non gemunt amissionem temporalium, sed peccata sua et aliena, praeprmis ingratitudinem suam maximam, considerando innumera beneficia, quibus Deus illos et totum genus humanum cumulavit, considerando clementiam illam infinitam, qua Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis peccatoribus, inimicis tradidit illum, considerando passionem Domini et districtum judicium divinum. Hinc gemunt tamquam exules filii Evae in hac lacrymarum valle de dilata felicitate, pro desiderio coelestis patriae, ubi nullum bonum deerit, nullum malum aderit, sed Deus omnia in omnibus, ad instar illorum, que sedentes super flumina Babylonis fleverunt, dum recordarentur Sion. Quae sunt

a) V. Jos. Mansi Bibl. m. t. 3. pag. 43.
b) Par. 4. tit. 7. c. 6. §. 3.

causae nostri doloris, ait S. Bernardus a), pro quibus in hac vita mortali ploramus? Respondeo: (Ploramus) propter peccata nostra, et propter miseriam hujus mundi et propter compassionem proximi et propter dilectionem caelestis praemii. — Ita fleverunt David rex, Petrus et Magdalena peccata sua. Auribus percipe lacrymas meas, clamabat regius Psaltes (Ps. 38, 13.), quoniam peccatum meum contra me est semper (Ps. 50, 5.). Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte (Ps. 41, 4.), lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo (Ps. 6, 7.). De Paula, Eustachii matre, scribit S. Hieronymus b): In ea fontes crederes lacrymarum. Ita levia peccata plangebat, ut eam crederes gravissimorum criminum ream. Cumque a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis: turpanda, respondebat, est facies, quam contra Dei praeceptum purpurissa et cerussa et stibio saepe depinxi; affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis; longus risus perpeti compensandus est fletu. Ita etiam S. Franciscus Seraphicus, cum medicus prohibuisset, ne fleret, ne videlicet per frequentes lacrymas visum amitteret, respondit: malle se corporalis visus lumen amittere, quam lacrymas, quibus oculus mundatur interior, ut Deum videre valeat, repressa devotione spiritus impedire c). Arsenius Abbas toto tempore vitae suae, sedens ad opus manuum suarum, pannum habebat in sinu propter lacrymas, quae crebro currebant ex oculis ejus, eo quod tam diu a

---

a) Serm. 10. de mod. bene viv.
b) In ep. ad Eustach.
c) S. Bonav. in Vita S. Franc. c. 5. n. 7.

coelestis patriae ingressu suspendi se videret a). S. Philippus Nerius multas effudit lacrymas. Die quadam, cum Angelus Victorius de Bagnarea, medicus saeculi illius insignis, Philippi cameram ex improviso ingressus esset, invenit illum vitas Sanctorum legentem pariter et lugentem, cui, luctus causam sciscitanti, Philippus respondit: Lugeo, quia Sanctus hic, cujus gesta prae manibus habeo, abdicavit se mundo, ego autem nil umquam boni feci, ac subdidit: O mi Angele, quid, si videres me aliquando per urbem fustibus caedi? Utique tunc diceres: Respice Philippum istum, qui sanctimoniam profitebatur; impinge carnifex, impinge gravius — et haec enuntians lacrymis profluebat b). Quam amare S. noster Laurentius, considerando clementiam divinam et districtum judicium divinum, ad pedes Crucifixi fleverit, jam audivimus.

Quid autem de fructibus atque *utilitate* harum lacrymarum dicam?

O lacryma humilis, exclamat S. Laurentius Justin. c), tua est potentia, tuum regnum. Tribunal judicis non vereris, inimicorum tuorum accusationibus silentium imponis; non est, qui te ad Deum accedere vetet, si sola intres, vacua non redibis. Quid plura? Vincis invincibilem, ligas Omnipotentem, inclinas Filium Virginis, aperis caelum, fugas diabolum. Tu cibus animarum, roboratio sensuum, abolitio delictorum et sic porro.

In specie notamus: 1. quod lacrymae, e corde contrito et amoris in Deum pleno profluentes,

a) Vit. Pat. l. 5. in l. 3. n. 1. de comp.

b) Vita S. Philip. Nepii l. 2. c. 4. n. 4.

c) In ligno vit. c. 9. Conf. S. Ambros. supra Luc. l. 5.

veniam obtineant peccatorum. Ipsae sunt secundum mentem Hugonis Victor. a) unus e fontibus Salvatoris, in quo fonte est salus et sanitas. Bibit Petrus ex hoc fonte, ait, et salutem recepit; venit Maria Magdalena ad hunc fontem et a languore peccatorum multorum sanata est. — Equidem negari non potest, quod tam Petrus quam Judas turpi se contaminaverint macula, hic tradendo magistrum suum et vendendo, ille trina vice illum negando. Et nihilominus Judas desperavit, Petrus ad summum dignitatis ecclesiasticae apicem pervenit. Quae causa hujus rei, cum Dominum personarum acceptorem non esse sciamus? Habebat lacrymas Petrus, ait S. Augustinus b), quas serio fundebat affectu; non habebat proditor fletus, quibus culpam ablueret. Lacrymas ejus (Petri) lego, ait S. Ambrosius c), satisfactionem non lego. Non invenio, quid dixerit, sed quod fleverit. — Recte plane. Petrus flevit et tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari et quod defendi non potest, ablui potest. Ideo exclamat quoque S. Augustinus d): O felix lacryma! Tu peccatorum morbum expellis, virus culpae evomis. O aqua salutaris, per quam omne peccatum destruitur. O via, per quam ad paradisum gradimur. Dicam tibi, quid valeant lacrymae, ait S. Chrisostomus e), martyres sanguinem fundunt, peccatores lacrymas fundunt. Meretrix illa non fudit sanguinem, sed fontes lacrymarum profudit et de-

a) Vol. 2. c. 3. de nuptiis carn. vit.
b) In append. de divers. serm. 43.
c) Supra Luc. l. c.
d) Serm. 11. ad fratres.
e) In. ps. 50.

levit peccata sua. Nihil ita purgat peccata, ut lacrymae a). Lacrymas funde. Peccata tua in libro scripta sunt, spongiae autem instar sunt lacrymae tuae. Lacrymas mitte et obliterantur; lacrymas mitte et purus illic liber invenitur b). In saecularibus judiciis, quantumlibet post acceptam sententiam lamenteris et lugeas, non tamen effugies flendo supplicium. Hic vero, si ingemueris ad Deum, solvisti repente sententiam veniamque consecutus es c). Rogum peccatorum exstinguamus, non aquis multis, sed parvis cum lacrymis d). O lacrymarum virtutem, ait S. Ephrem e), quae medicinalis officina es peccatorum! Per te peccatores efficiuntur beati.

2. Lacrymis deinde varia *mala atque pericula*, quae saluti animae minantur, uti sunt tentationes diabolicae atque motus concupiscentiae nostrae, *propulsamus*. Lacrymae sunt arma nostra teste S. Ambrosio f). S. Clemens Alexandr. assimilat g) lacrymas acutis cuspidibus, quibus adversus communem inimicum armamur. S. Bonaventura, Doctor Seraphicus, praefiguratum vidit per Pharaonem et exercitum ejus satanam cum omnibus spiritibus malignis; per mare rubrum autem mare lacrymosae et amarae compunctionis; hinc victoriam lacrymis de satana promittit dicens h): Spiritum malignum lacrymae necant, quod figuratur per mare rubrum, ubi submer-

a) Hom. 12. ad Coloss.
b) Hom. 2. in ps. 50.
c) Hom. 6. in Matth.
d) Hom. 56. de poenct.
e) De compunct.
f) De Basilicis.
g) Demonst. ad gentes.
h) In diaet. sal. tit. 7. c. 3.

sus est Pharao et exercitus ejus, i. e. diabolus et omnes maligni spiritus. Satanas tolerabilius sustinet flammam suam, ait Petrus Cellen. a), quam lacrymam nostram, acriusque contriti cordis lacryma, quam flamma infernalis incendii torquetur. Dum fundit peccator lacrymam, recludit adversarium in flammam. — Et S. Antonius de Padua hanc adducit b) similitudinem: Sicut fumus expellit apes, sic amara et lacrymosa compunctio expellit daemones, qui circumdant animam, sicut apes favum. Hoc est lucrum lacrymarum, ait S. Chrysostomus c), quod mens, quae ita est contrita, nulla deinceps libidine teneatur. Lacryma, ait S. Bonaventura d), sitim et ardorem concupiscentiae sedat. Sicut contra sitim curritur ad fontem et contra ignem curritur ad aquam, sic contra concupiscentiae ignem et incendium currendum est ad fontem lacrymarum. Ipse S. Augustinus, qui lubrico turpitudinis vitio diu indulsit, postquam autem per lacrymas matris suae meliorem exorsus est vitam, innocentiam baptismalem ad ultimam usque aetatem constantissime servavit, pluribus in locis lacrymarum declarat efficaciam exclamans e): O felix lacryma! Tu carnalem cogitationem exstinguis.

3. Lacrymis dein, quaecumque sunt ad salutem nostram necessaria, praeprimis *lumen intellectus*, *spiritus consolationem* ipsamque *aeternam beatitudinem* impetramus. Efficacior coram Deo est lacryma, ait S. Bernardus f), quam lingua et plus fletibus, quam

a) In Bibl. vet. Pat. tom. 9. de panibus c. 12.
b) Serm. in daem. inf. Oct. Nativ.
c) In ps. 6.
d) In diaet. sal. tit. 7. c. 3.
e) Serm. 11. ad fratres in eremo.
f) De grad. hum.

orationibus flectitur. Oratio Deum lenit, ait S. Hieronymus a), sed lacryma cogit. Vim facimus Domino (ait S. Ambros.) non compellendo, sed flendo, non provocando injuriis, sed lacrymis exorando. Lacrymae, ait S. Maximus b), quodammodo tacitae preces sunt; veniam non postulant et merentur; causam non dicunt et misericordiam consequuntur, nisi quod utiliores lacrymarum preces sunt, quam sermonum, quia sermo in precando forte fallit, lacryma vero non fallit, sermo enim interdum non totum profert negotium, lacryma semper totum prodit affectum. Cum esset Anna, uxor Elkanae, amaro animo, scribit S. Laurent. Just. c), oravit Dominum flens largiter et abunde obtinuit, quod petivit. Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non, quod postulavit, acceperit. Nullus ab eo beneficia dolenter optavit, qui non impetravit. Ipse est enim, qui consolatur flentes, dolentes curat, poenitentes informat. — Ita quoque David, Ezechias, Tobias, Sara, Judith, Susanna, Monica flentes obtinuerunt, quod postularunt a Deo. Exaudivit, ait David (Ps. 6, 9. 10.), Dominus vocem fletus mei, exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit. Vade, fieri enim non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat, ajebat episcopus quidam ad Monicam petentem, ut filium suum Augustinum Deo et fidei catholicae lucraretur, quod tamen ille episcopus multis adhuc obseptum difficultatibus agnoscebat d). Et revera non periit Augustinus, qui post con-

a) Cap. 38. in Isa.
b) V. J. Mansi Bibl. m. t. 3, p. 20.
c) In l. de ligno vitae p. 62.
d) Confess. S. Aug. l. 3. c. 7.

versionem suam gratias Deo acturus ita scribit a): Misisti manum Tuam ex alto et de hac profunda caligine eruisti animam meam, cum pro me ploraret ad Te mater mea, fidelis Tua, amplius quam flent matres corporeae funera. Exaudisti eam, nec despexisti lacrymas ejus, cum profluentes rigarent terram sub oculis ejus. — Lacrymae veraces sunt, teste Petro Damiano b), atque doctissimae in qualibet ignorantiae humanae dubietate magistrae. Mens lacrymis baptizata, ait S. Gregorius c), in contemplatione videt limpidius. Ubi lacrymae fuerint, scribit Bernardus d), ibi accenditur spiritualis ignis, qui illuminat secreta mentis. Compunctio mentis illuminatio est animae. — Quoties egi poenitentiam, ait S. Hieronym. e), toties me consolatus es. Unam fudi lacrymam, unam merui consolationem; decem fudi lacrymas, decem merui consolationes. — Quid saporis, quid suavitatis habeant lacrymae, ait Hugo Cardinalis f), novit ille, qui gustavit. — Certo scitote fratres, scribit S. Ephrem g), non fore in terra quid dulcius gratia lacrymarum. Si quis vestrum expertus lacrymarum dulcedines mediante oratione desideravit elevari a terris: totus hic extra corpus in coelum fertur et quid dico extra corpus? imo extra saeculum universum totus est, nec amplius conversatio ejus invenitur in terris. Sicut post vehementes

a) L. 8. Confess. c. 12.
b) V. Mansi Bibl. mor. tom. 3. p. 35. n. 2.
c) V. Hugon. c. 5. in Job.
d) Serm. 10. de mod. bene viv.
e) In ps. 93.
f) In c. 5. Matth.
g) Tom. 1. orat. de extr. jud. et compunct.

imbres, ait S. Chrysost. a), mundus aër efficitur, ita etiam lacrymarum pluvias serenitas mentis sequitur atque tranquillitas. Nihil est jucundius oculis, qui sunt lacrymati. Sciunt, qui lugent, quantam res haec habeat consolationem! — Bonum est semper flere, maxime autem *tempore noctis*, quando nullus est, qui hanc mirabilem voluptatem excutiat. S. Augustinus post conversionem suam tantam expertus est in lacrymis suis suavitatem, ut in ps. 127. scribens dixerit: Dulciores sunt lacrymae orantium, quam gaudia theatrorum. Plangis ad Deum, illi suspiras, antequam videas, et desiderio ipsius gemis et quia in ipsius desiderio ploras, dulces sunt et ipsae lacrymae et pro cibo tibi erunt, quia factus est tibi et ipse panis die ac nocte, dum dicitur tibi quotidie: Ubi est Deus tuus? — Et quem finem gementes et flentes in hac lacrymarum valle habebunt? Venientes ad diem judicii, ait S. Vincent. Ferr. b), venient ad gloriam, portantes manipulos suos, scilicet bonorum operum, misericordiae, justitiae, poenitentiae, castitatis etc. Qui enim seminant in lacrymis, in exultatione metent (Ps. 125, 5.). Plorabitis et flebitis vos, ait Salvator (Joan. 16, 20.), tristitia autem vestra vertetur in gaudium. Veniet Deus tuus, ait S. Augustinus c), de quo dicitur: Ubi est? et absterget lacrymas et ipse pro pane lacrymarum succedet et te in aeternum saginabit, quia erit nobiscum Verbum Dei, quo pascuntur angeli. Nunc flendi tempus est secundum S. Hieronym. d), et in futuro ridendi. Plan-

a) Hom. 6. in Matth.
b) Serm. 2. in Dom. 2. p. Pasch.
c) In ps, 127.
d) In Ecclc. 3, 4.

gendum est in praesentiarum, ut postea saltare valeamus illa saltatione, qua saltavit David ante arcam testamenti et, Saulis filiae displicens, magis placuit Deo; quia qui in praesenti saeculo sua plangit peccata, ridebit potius in futuro. O lacrymarum virtutem, exclamat S. Ephrem a), quae ab inferis ad coelos usque reducis desiderantes te!

Nunc vero, dilectissimi fratres, postquam audistis, quam pretiosae coram Deo sint lacrymae, ex amore et corde contrito profluentes, quantum nobis adferant utilitatis, quomodo veniam peccatorum, lumen intellectus, internam consolationem nobis impetrent, ignem concupiscentiae exstinguant, tela daemonis retundant, infernum claudant, et paradisum aperiant (S. August. b): an non et nos, secundum exemplum Sanctorum, donum illud lacrymarum petituri sumus, ut possimus fundere fontes lacrymarum cum dulcedine et magnum illud delictorum nostrorum chirographum modicis lacrymis delere, gehennam exstinguere? An forte causa deest flendi? Anne sancti, innocentes, immaculati sumus? An numquam deliquimus? An nullas tentationes superandas, nulla pericula evitanda habemus? An nullos internae concupiscentiae motus sentimus? An nullo lumine, nulla consolatione indigemus? — O nos miseros, si nostram propriam miseriam nondum noverimus! Ah, si modo liber scriptus proferretur et omnes cogitationes, actiones ac operationes nostrae publice ab angelis legerentur: o quanto suffunderemur pudore! Ah, quanta nuditas, quanta debilitas, quanta miseria! Quot gratiae, gratis obla-

a) De comp. et salute animae.

b) Serm. 11. ad fratres.

tae, repulsae! quot inspirationes angeli custodis, quot occasiones bonum faciendi neglectae! quot momenta pretiosi temporis otio trita vel inania agendo consumpta, imo perdita! Quantum addiscere, quantum in virtute proficere, quoties nos abnegare, motus internos restringere et coercere, patientiam et fortitudinem in adversis demonstrare, quoties proximum instruere, monere, corrigere, juvare potuissemus, — et facere id omisimus! Quot lascivae cogitationes, quot sensuum abusus, quot impura desideria, quot perversae intentiones, quot malefacta, quot officia sine attentione recitata, quot missae sine devotione celebratae, quot mendacia! — Profecto haec considerantes, super nosmet ipsos flere, imo quemadmodum umbram corporum nostrorum ubique circumferimus, ita et fletum et compunctionem ubique nobiscum habere, quotidie, sicut faciem corporis aqua, sic lacrymis animam abluere deberemus. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontes lacrymarum (Jerem. 9, 1.)? Tu, Tu o Christe Domine! Tu Petrum aspexisti et flevit amare; Tu me quoque oculo misericordiae tuae aspice, Tu me in consideratione passionis Tuae gravitatem peccatorum meorum et magnitudinem amoris Tui fac sentire ac tremendum tribunal Tuum prae oculis habere; et profecto rumpentur cataractae durissimi cordis mei et incipient ab oculis meis scaturire fontes lacrymarum. Quo fonte manavit nefas, fluent perennes lacrymae *) et forte non reperiet ignis exurens, quod interim fluens lacryma diluit.

Attamen non soli vivimus hisce in terris. Amor compassionis urget nos, ut et sortem aliorum, fra-

*) Hym. ad Laud. in Dom. quadrag.

trum nostrorum, consideremus. Quodsi autem ad alios quoque, fratres nostros, oculos convertimus, quodsi ad ea, quae coram oculis nostris et quae in dissitis regionibus fiunt, attendimus, quodsi integrum Ecclesiae statum consideramus: quot causae lacrymarum! Quanta ubique perversitas, quam corrupti mores in pagis et in civitatibus, quanta strages gentium! Cultus divinus publicus et privatus passim despectus vel neglectus, religio sancta catholica, firmissimum omnis virtutis ac felicitatis fundamentum, irrisa, sexcenties impugnata, vilipensa, oblivioni data, auctoritas ecclesiastica et civilis conculcata, Ecclesia depressa, bonis suis orbata, decreta Pontificum a multis vilipensa, principia fucatae libertatis et aequalitatis quaquaversus diffusa, ingens librorum perversorum copia, eosque edendi, legendi, distrahendi libertas ac impunitas, inaudita omnemque modum excedens luxus licentia, effrenis quidvis pro lubitu sentiendi, credendi, loquendi scribendique audacia. Exinde tot ac tanta mala; revolutiones populorum, seditiones civium, persecutiones sacerdotum, caedes, suicidia, incendia, juventus fornicationi et mollitiei dedita, dissidia conjugum, adulteria, fraudes, fastus divitum, pervicacia subditorum, insolentia famulorum; judices corrupti, opifices deceptores, famuli fures, mercatores foeneratores, filii inobedientes, adolescentes vaniloqui, insani reformatores! Quid quod ipsissimi pastores, quos tamen huic malo resistere, quos facem aliis praeferre et ignem amoris divini in aliis accendere oportet, magnam partem perversis principiis imbuti sint ac morum licentiae interdum proprio exemplo consentiant. Sunt, qui gratiam, quam in sacra Ordina-

tione adepti sunt, negligant, qui hominibus magis, quam Deo placere satagant, qui contra legitimam episcoporum auctoritatem tamquam filii rebelles insurgant, et proprio marte leges Ecclesiae disciplinares, catechismos, liturgiam reformare, linguam functionibus sacris adaptatam abrogare audeant; sunt, qui neglecta Breviarii recitatione et sacrorum librorum lectione libros tantum profanos et qui carni blandiuntur et phantasiam excitant, vel dogmata Ecclesiae impugnant, summos Pontifices tamquam homines pessimos, libertatis hostes et populorum tyrannos denigrant, magna diligentia evolvant, libros haereticorum pro typo construendarum dictionum sacrarum eligant; sunt, qui in victu ac vestitu vanitatem laicorum sectentur et feminarum instar corpus suum ornent, popinas adeant, choreas, theatra frequentent, consortia mulierum ament, de concubinatu suspecti sint, utpote qui cum oeconoma, splendide vestita, eodem curru vehantur, cum illa ad nundinas, hospitia accedant, juvenes et pulchras ancillas eligant, qui libenter excurrant, potationi ac lusibus indulgeant, ita ut ad functiones sacras undique conquiri debeant, easque luride et impatienter exerceant, societates tantum saecularium quaerant et fratrum consortia spernant, negotiis saecularibus se immisceant, homines sibi ipsis sapientes (Rom. 11, 25.), se ipsos amantes, speciem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes (II. Tim. 3, 2—6.), moralitate quadam externa (legalitate) contenti, indifferentes, quibus deest verus religionis ardor; — sunt, qui omnem laborem fugiant, per simoniam ad beneficia perveniant, minutissimos reditus cum severitate colligant, in cognatos multum erogent,

pauperibus parum aut nihil distribuant, mercedem domesticam minuant. Imo sunt, qui cum hostibus religionis ac Ecclesiae rem communem facere videantur, ut omnia pessumdent. Quae videntes exultant jam haeretici et inimici Ecclesiae sanctae Romano-catholicae ejusque novissima, saltem in Germania, prophetizant, buccina proclamantes: non posse Ecclesiam catholicam, in se scissam, auxilio principum et bonis terrenis orbatam, illustrationi saeculi hujus adversantem, collapsa et enervata ipsorum Catholicorum fide in Pontificis infallibilitatem, episcoporum Ecclesiae docentis auctoritatem, Sacramentorum vim atque efficaciam, diutius puram et impermixtam persistere a).

Jam qui fieri posset, fratres, ut talia videamus et audiamus, quin, praesertim hocce quadragesimali tempore, ingemiscamus, quin summo dolore afficiamur, coram Domino procidamus, inter vestibulum et altare ploremus, clamantes cum lacrymis: Audi, benigne Conditor, nostras preces, cum fletibus in hoc sacro jejunio fusas quadragenario. Multum quidem peccavimus, sed parce confitentibus. Ad nominis laudem Tui confer medelam languidis b). Convertere Domine et deprecabilis esto super servos Tuos (Ps. 89, 13.). Exurge Domine et adjuve nos (Ps. 43, 26.); aspice Domine de sede Tua, inclina aurem Tuam et audi, aperi oculos Tuos et vide tribulationem nostram. Parce Domine, parce populo Tuo et ne des haereditatem Tuam in opprobrium et perditionem. Confirma hoc, quod operatus es in nobis. Porrige nobis dexteram! Miserere nostri, Domine, miserere nostri! Aufer a nobis

a) V. Carové Die letzten Dinge des römischen Katholicismus. 1832.
b) Hymnus ad Vesp. in Dom. quadrag.

omnes iniquitates nostras, rixas et scissiones, et peccata nostra dele! Da pacem pastoribus et unitatem in fide ac charitate, et salvum fac populum, quem proprio sanguine redemisti! Ne permittas, ut cum toties offenderimus Te, de novo Te offendamus! Mitte dignos operarios in vineam Tuam, qui fructum afferant in patientia! Imple illos spiritu Tuo, spiritu sapientiae et timoris, consilii ac pietatis, ut, forma facti gregis, nemini dent offensionem aut scandalum, ut sint casti et sobrii, exemplum bonorum operum in conversatione, in fide, in castitate, ut custodiant depositum fidei ac intrepide defendant. Dum adhuc longe est (Dominus), mittamus ad eum legationem, lacrymas nostras, hostias placationis (S. Greg. M. *). Ploremus, fratres, et deducant oculi nostri lacrymas per diem et noctem, quoniam contritione magna contrita est Virgo, filia Sion, plaga pessima vehementer (Jerem. 14, 17.); atque, exemplum Pauli imitantes, non cessemus die ac nocte cum lacrymis monere unumquemque nostrum (Act. Ap. 20, 31.), hocque non contenti omnibus in id enitamur viribus, ut scandala fratrum pro viribus reparemus et ministros Christi inconfusibiles (II. Tim. 2, 15.) nos exhibeamus in omni sapientia et doctrina, sanctimonia vitae, omnique genere virtutum. Quotidie vires nostras in id impendamus, ut crescamus in cognitione voluntatis divinae, parati ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quae in nobis est spe (I. Pet. 3, 15), ut objectiones haereticorum, veritatem impugnantium, victricibus armis refellamus, parvulos et adultos instruamus, verbo et exemplo nobis concreditos pascamus. Addamus jejunia et

*) In cat. S. Th. h. 37. in Ev.

eleemosynas! Quis scit, num Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, non recordabitur nostri, et electorum suorum et Ecclesiae suae sanctae, et auferet omnes iniquitates nostras et dabit pacem temporibus nostris, et renovabit Ecclesia faciem suam et laudabit eum, qui sedet in throno, cui laus honor et gloria in saecula saeculorum.

S. Laurentius, dum *sacris* operaretur, omnibus erat (ut audivimus) venerationi. Interna mentis ejus devotio externé quoque, mira vultus decentia gestuumque compositione, sese prodebat. Tanta erat hujus sancti viri devotio, ut aliquando (Dominicae Nativitatis nocte missam celebrando) post consecrationem Christum Dominum sub pulcherrimi infantis specie in mentis excessu videre mereretur.

Utinam omnes sacerdotes hanc divi Laurentii devotionem inter celebrationem *Missae* imitarentur! Utinam omnes perpenderent, Missam sanctissimum esse opus, quod perficiunt; nos nulla alia ratione majorem Deo reverentiam atque honorem exhibere posse, quam Christum sacramentaliter Deo Patri offerendo, imo ipsam Ecclesiam catholicam nihil augustius sacrificio altaris habere. Necessario fatemur (ajunt Patres Concilii Trid. Ses. 22.), *nullum aliud opus* adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari pesse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur. — Scito sacerdos christiane, secundum descriptiones sanctorum Patrum atque Ecclesiae Praesulum, uti Chrysostomi, Gregorii, Bernardi, Laurentii Justiniani et aliorum, tempore immolationis, in ipsa hora incensi, coelos ad vocem tuam ape-

riri, terrena coelestibus jungi, angelorum choros ex omni latere praesentes assistere et clamores excitare, teque in medio Patris et Filii et Spiritus sancti inveniri. Quid hocce momento sanctius, quid excellentius, quid augustius cogitari possit! — Nunc Christus ipse incruento modo offertur Patri suo, nunc opus salutis nostrae exercetur; infernus luget, angeli mirantur, laudant sancti, justi exultant, sanctaque spiritu laetatur mater Ecclesia. Nunc Deus Christi oblatione placatus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, nunc preces fidelium et supplicationes pro vivis et defunctis audit, et grates illorum ac laudes benigne suscipit omnique benedictione coelesti illis benedicit. Missa tam plena est mysteriis (teste S. Bonaventura a), sicut mare guttis, sicut sol atomis, sicut firmamentum stellis. Quanta igitur reverentia ac devotione augustissimum hocce sacrificium nos tractare oportebit! — Tracta illum (Jesum Christum) reverenter, ajebat Joan. Avila b), est enim filius Patris nobilis et nobilis matris. — At quid dicis, Avila, filius Patris nobilis? Filius, dicas, Altissimi, Unigenitus Patris coelestis, Princeps pacis, Rex aeternae gloriae. Si coram rege aliquo vel principe terrestri non audes immundus, illotus, lacera veste indutus, incompositus, sine modestia, sine humilitate comparere: anne licitum foret, sine reverentia ad coelorum regem accedere? — Si angeli summa cum reverentia velantes caput suum adstant tibi Sacramentum conficienti, an non tibi incumbet, omnem in eo

---

a) Com. theol. vir. l. 6. c. 13.

b) V. P. Aeg. Jais Bemerkungen über die Seelsorge. p. 16.

ponere operam et diligentiam, ut sacrosanctum Missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione a te celebretur, ut, quanta maxima fieri potest (Con. Trid. a) interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie a te peragatur? — Huic enim sacrificio quodnam Judaeorum aut Gentilium sacrificium comparari possit? Nihil in sacrificiis majus esse potest, ait Blosius b), quam corpus et sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, sed haec omnes praecellit. — Et tamen, quanta reverentia Judaei ac Gentiles sacris suis assistebant! Divus Chrysostomus c) nos invitat, ut mentem nostram ad miraculosum illud elevemus sacrificium, quod Elias olim obtulit, indeque discamus, quid nobis circa sacrificium hoc incruentum faciendum incumbat. Ponite (ait) ob oculos Eliam illum, praeterea et infinitam illam turbam circumfusam et sacrificium lapidibus superpositum, tum vero reliquos omnes admodum quietos et taciturnos, solum autem prophetam preces fundentem, (deinde) flammam de repente de coelo delabentem sacrificiumque ipsum lambentem. Mira sunt ista profecto ac stupore omni plena. Ab illis ergo sacris ad nostra sacra te transfer, nec ea mira modo esse videbis, sed etiam omnem stuporem excedentia; adest enim sacerdos, non ignem gestans, sed Spiritum sanctum. Is preces diuturnas fundit, non, quo flamma coelitus delapsa sacra apposita absumat, sed ut gratia, in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet et puriores reddat. Hoc mysterium est omnium maxime

a) Sess. 22. Dec. de observ. et evit. in celeb. Missae.
b) In defen. fid. c. 8.
c) De sacerd. l. 3. c. 4.

horrendum verendumque. Ex quibus omnibus dein S. Pater venerationem illam deducit, qua fidelibus omnibus missae sacrificio est assistendum. Si fidelibus laicis, quanto magis sacerdotibus. — Seneca philosophus, de diis gentilium disserens (l. 7.), inquit: Egregie Aristoteles ait, numquam nos verecundiores esse debere, quam cum de diis agitur. Si intramus templa, compositi sumus, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, sic in omne argumentum modestiae fingimur. — Quaenam autem potest esse proportio inter sacrificia gentilium et ineffabile sacrificii incruenti Christianorum mysterium? Si gentiles tam compositi, modesti, devoti ad sacrificia accedebant: quid nos, praeprimis sacerdotes, oportet facere? — Recte igitur postulant constitutiones apostolicae a), ut *stemus* erecti cum metu et tremore ad offerendum. Nos ipsos emundantes, ait S. Chrysost. b), *tacite* et cum debita modestia, tamquam ad coelorum regem credentes accedamus. Et Joannes, episcopus Hierosolym. c): Stemus trementes et timidi, demissis oculis, elevata autem anima, gementes sine voce, jubilantes corde. — Ideo quoque S. Mater Ecclesia omnes ritus in celebratione Missae observandos accuratissime praescripsit, non tantum, ut (Conc. Trid. Sess. 22. d) majestas tanti sacrificii commendaretur, sed etiam mentes fidelium per haec visibilia religionis ac pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

---

a) Lib. 8. c. 12.
b) Hom. in Nativ. Dom.
c) Tom. 1. hom. 43.
d) C. 5. de Missae caerem. et ritibus.

Quantum ergo, judicate ipsi, fratres, peccant contra reverentiam Deo Christove debitam et contra aedificationem populi illi sacerdotes, qui ritus ab Ecclesia praeceptos in celebratione Missae non observant, qui sanctissimum hoc opus perficientes adeo properant, ut intra quadrantem, sed quid dico quadrantem? intra 10, imo et 8 minuta Missam absolvant; qui oculis vagantur; quando ad altare accedunt vel ab altari recedunt, a dextris et sinistris stantes salutant; quando ab altari ad populum se vertunt, assistentes visuri oculos erigunt; qui intra celebrationem ministrum sine necessitate alloquuntur, illum increpant, reprehendunt; qui quasdam Missae partes, uti orationem aliquam vel lectionem, Gloria, Credo, consulto omittunt, verba clare ac distincte non pronuntiant, rident, leviter et mira celeritate cruces formant, de uno cornu altaris ad alterum transeunt vel ad populum se vertunt; qui vix ac ne vix quidem genuflectunt, qui indecoro et absurdo modo caput, manus, os movent!

Solent quidem sacerdotes hujus furfuris vario modo se excusare, e. g. se ita properare, ut evitent distractiones mentis, ut parcant candelis, ut eo magis fideles ad Missam audiendam alliciant. — At quis non videt, quam vanae sint ac futiles ejusmodi excusationes! Pudeat illos ad candelas provocare, quas propriis sumtibus ne quidem comparant. Qualis avaritia! Profecto Juda proditore non indigna. — Si postulamus, ne nimium praeceps aut festinus sit sacerdos in celebratione Missae: non praecipimus, ut aequo tardior sit aut prolixior, alienis cogitationibus inhaereat vel proprio affectui (etiamsi piissimo) nimium indulgeat; media via in celebratione Missae

quoque est incedendum, omnia nempe verba clare, distincte ac devote sunt pronuntianda, ut sacerdos ea intelligat atque ad pietatem excitetur et omnis actio ejus, motus corporis gravitatem prae se ferat, quod si observetur, vix possibile fuerit, intra aliquot minuta Missam absolvere. Hocque modo non tantum distractionibus occurretur, sed etiam aedificatio populi augebitur. — Fuerunt teste historia atque quotidiana experientia, qui reverenti sacerdotum offerentium habitu permoti suos errores desererent, qui coram ejusmodi sacerdote devoto peccata sua sincero cum dolore confiterentur, qui eodem, quo sacerdos, erga sanctissimum Missae sacrificium ardore incensi flagrarent. Nimium festinus in celebrando sacerdos illos tantum ad audiendam Missam alliciet fideles, qui nec calidi sunt nec frigidi, qui pro forma tantum ecclesiam frequentant, legi ecclesiasticae corporali sua praesentia satisfacturi, de aedificatione, precibus, lacrymis, contritione cordis parum solliciti. Pientiores admodum scandalizantur talem sacerdotem videntes, maluntve nullam potius, quam tam acceleratam Missam audire. Facilis enim est ab irreverenti, nimis festina Missae celebratione ad defectum verae et vivae in celebrante fidei ac internae devotionis et ad levitatem mentis ejus conclusio, quae si in quovis laico, multo magis in sacerdote abominanda est ac detestanda. Tu credis, sacerdos, non dari opus sanctius, sublimius, augustius illo, quod perficis; tu crèdis, Christum ipsum offerri Patri suo per manus tuas, sacrificium ejus cruentum in cruce incruento modo, ast realiter, repraesentari nunc super altari; ipsum Dei Filium sic se humiliare, ut pro nostra salute sub modica panis ac vini specie se abs-

condat: cur igitur non contremiscis, non reveteris, non in terram procidis? Cur non totus quantus in adoratione defixus persistis? Cur sic properas, ac si nihil in mundo esset, quod tibi majorem nauseam crearet? Cur sic te geris, ac si negotia vilissima perageres, sic omnia tractas, ac si nemo praesens esset, nemo te observaret? Nihil est in actu tuo vel verbo, quo fideles ad magnitudinem mysterii, ad praesentiam Deitatis attenti redderentur. Videte, fratres sacerdotes, ajebat S. Franciscus Seraph. *), dignitatem vestram. Et sicut super omnes propter hoc mysterium honoravit vos Dominus Deus: ita et vos propter hoc mysterium diligite eum, reveremini et honorate. Magna miseria et miseranda infirmitas, quando ipsum sic praesentem habetis et aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat et totum coelum exultet, quando super altari in manibus sacerdotis est Christus, Filius Dei vivi. — Vix igitur possibile, ut sacerdos firma fide credat, Christum adesse tamquam verum Deum et hominem, et sacrificium peragendo non contremiscat, timore, humilitate, reverentia non sit plenus.

At vero tu dicis: Reverentia mea est interna, mea humilitas est humilitas cordis, non corporis. — O quantopere temetipsum seducis! Verum quidem est, signa externa sine sensu interno nihil prodesse; Deus enim cor videt et renes scrutatur; ast si cor tuum repletum foret laetitia inenarrabili, timore, tremore, humilitate, compunctione, reverentia: profecto hi sensus interni e penetrabilibus cordis tui prorumperent

*) Opusc. 8. tom. 1. ep. 12.

et externe quoque se manifestarent. Quoniam autem signa illa externa desunt, nec interna devotio supponenda. Intrinsecos motus gestus exterior attestatur, ait S. Bonaventura a). Cum ad horam offerendi sacrificii venisset, narrat S. Gregorius I. Papa de S. Cassio, episcopo Narniensi b), velut totus in lacrymis defluens semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. — Qui mensae divinae assistens revera interne devotus est, humilis ac compunctus, qui cor sursum elevatum habet nihilque cogitat, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum, ejus humilitatem, patientiam, angustias et dolores, sputa, flagella, opprobria, crucem, suamque ingratitudinem, infidelitatem, negligentiam recolit: profecto externe quoque devotus in voce et gestu apparebit. Ideo e defectu reverentiae externae ad defectum reverentiae internae concludere licet, imo ad magnam mentis levitatem. S. Chrysostomus c) perstringit fideles, qui non solum tempore orationis, verum etiam sub divino sacrificio fabulis vacare et ridere praesumunt, dicens: Alios video stare et nugari, dum preces fiunt, et quosdam ex illis, adhuc meliores scilicet, idem facientes, non solum dum fiunt preces, sed etiam dum sacerdos benedicit; et exclamat dein: O audaciam! Quando erit salus? Quomodo poterimus Deum placare? Nescis, quod cum angelis stas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis — et stas ridens? Etenim non esset mirum, si fulmen demitteretur; digna fulmine sunt haec. — Si Chrysostomus talia de laicis

a) Spec. discipl. ad novit. part. 2. c. 1.
b) In Evang. l. 2. hom. 37. num. 9.
c) Hom. 24. in Act.

irreverenter adstantibus pronuntiavit, quid nos de sacerdotibus irreverenter altari assistentibus dicere oportebit? O audaciam, o levitatem! Regem allocuturi trementes starent coram illo, humiles, nec auderent oculos ab illo divertere; coram Deo autem stantes, cujus thronum Cherubim et Seraphim attoniti et venerabundi circumdant, coram quo pavent angeli et tremunt potestates, oculis vagantur et mente, verba truncant vel balba nare proferunt, puerorum instar discurrunt, vix caput inclinant, aut genu flectunt. Fulmine digna sunt haec! Passionem Christi enim evacuant (ut rite asserit Petrus Bles. serm. 18. in coen. Dom.) totumque negotium nostrae redemtionis irrident, qui cum summa humilitate et diligentia non attendunt, cum quanta reverentia caro et sanguis Christi debeat confici, quam devote tractari, quam sancte suscipi, quam industrie dispensari. Cave, (ait S. Bonaventura de praeparatione ad Missam agens) cave, ne nimis tepidus et inordinatus accedas et inconsideratus, quia indigne sumis, si non accedis reverenter, circumspecte et considerate.

Haec cogitate, fratres in Christo dilecti, quantopere sanctitas ministerii sacerdotalis, aedificatio populi, vestra propria salus id postulent, ut cum summa, qua potestis, reverentia ac devotione sanctissimum Missae sacrificium peragatis; scitote insuper, a primis, quo institutum hoc erectum est, annis ad hodiernum usque diem non minimam, qua extranei hujus instituti membra condecorarunt, laudis partem in eo positam fuisse, juvenes ad S. Augustinum sacerdotes devote Missam celebrare. Quapropter vestro exemplo hanc laudem firmate et bonam insti-

tuti famam tuemini; recordamini, quo longo abhinc tempore cordis dolore tacti fuistis, videntes sacerdotes, nimis festinanter vel irreverenter, indevote Missam celebrantes, et fideles in templo ridentes, confabulantes, modo indecoro stantes aut sedentes, atque affectu ardentissimi in Deum Christumve amoris zelique pro gloria ejus incensi satagite, ne umquam propria agendi ratione Deum ita offendatis, tantumque populo scandalum et occasionem, propriam negligentiam atque devotionis defectum excusandi, praebeatis, quin potius sincera vestra atque intima cordis devotione, humilitate, pietate atque externa reverentia — irreverentias aliorum aliquatenus compensetis et pro iis Majestati divinae (in quantum fieri potest) satisfaciatis. Ascendite animo in coelum et considerate pietatem ac devotionem angelorum, humilitatem, qua coram Deo et, qui occisus est, agno, procumbunt, tremorem, quo coram illo assistunt, harmoniam et concentum, quo laudes ei decantant, horumque exemplum imitamini; jungite illorum vocibus vestras voces, elicite in cordibus vestris similes illorum affectus et profecto sacrificium a vobis oblatum pro vestra totiusque mundi salute cum odore suavitatis ascendet; angeli suscipient de ore vestro omnia verba et deferent illa in tertium coelum, in conspectum divinae Majestatis, ut omni benedictione coelesti et gratia repleamini.

Quo devotius autem ad altare accedatis, nolite negligere diligentem pro celebratione Missae praeparationem; auferte omnem iniquitatem e corde vestro, excitate fidem, spem et charitatem; mementote mortis Domini atque gratiam Dei fervidis precibus implorate. — Lotio manuum antecedens, sacrae

vestes, quas induimini, signum crucis, quod semper prae oculis habetis, et omnia, quae videtis et facitis, ita ordinata sunt, ut devotionem in corde vestro excitare, conservare atque augere valeant. Nihil horum igitur negligatis vel parvi faciatis. Tunc vos quoque, etsi non oculis carnalibus, uti divus Laurentius, oculis tamen fidei Christum Dominum videbitis talique gaudio interno atque dulcedine spiritus replebimini, ut numquam celebrationem Missae (excepto casu aegritudinis vel similis impedimenti) intermittatis.

IV. Gratia verbi in D. Laurentio Justiniano.

Applicationibus finitis ad historiam divi Laurentii redeamus. — Inter dona, quibus Deus servum suum ornaverat, erat quoque *gratia verbi.* Praedicationis ad populum facultas ei quidem defuit, quia nec spiritu nec lateribus erat sat firmus. Quapropter 39 sermones pro festis Domini et Sanctorum, quos inter scripta ejus reperimus, solummodo scripsisse vel tantum in consessu fratrum ore protulisse videtur divus Antistes. Nihil autem suavius fuit, quam sedentem inter fratres audire. Sermo ejus semper erat suavis, brevis et pondere plenus. Verbum, quod ex ore ejus egrediebatur, vacuum non redibat. Audiamus exemplum. Fuit Laurentio praecipuus quidam in adolescentia socius, tam genere, quam divitiis clarus. Forte ille aberat, quando Laurentius claustrum ingressus est. Hoc itaque cum accepisset, pergit ad monasterium cum cantoribus et citharaedis et cum aliquibus armatis, non dubitans, quin socium suum (Laurentium) ad reditum pelliceret, etsi

fratres negarent. Accersit Laurentium vidensque eum non tam habitu vestis, quam oris, gestus et incessus mutatum, obstupescit. Laurentius benigne salutatum incipit prius blando sermone tractare, tum paulatim animum ejus ad coelestia deducere. At quid multa? Juvenis, qui laqueum ad amicum capiendum tetenderat, improvisus in rete incidit. Respondens nempe Laurentio: Frater, inquit, verba vitae aeternae habes, frustata est spes mea; te ex hoc loco educere non possum, tu autem me ex hoc saeculo ad te deducere poteris. Statutum est, tecum vivere tecumque mori. — Aliud exemplum. Quidam fratrum vexabatur spiritu, ad saeculum redeundi. Accessit ad Laurentium, et saepius in proposito manendi confirmatus fuit. Quadam autem die, cum tentationem ferre non posset, ad Laurentium se conferens, succumbo, inquit, pater, fer opem. Ecce nisi adjuveris, ad saeculum redeo. Tum Laurentius: Sine modo, mi frater, et tantum hodie ne abeas, cras, ut libuerit, deliberato. Noctem in orationibus et lacrymis absumpsit Laurentius, nec amplius tentatus est frater. — Initio pontificatus sui, cum decretum quoddam mulierum ornatum respiciens edidisset, uxorum quarumdam maritis ingratum: Dux, illorum querelis deceptus, Laurentium accersiri jubet et, prout fuit natura vehementior, acrioribus ea de re verbis queritur. Laurentius autem mansuete simul graviterque respondens sic illius animum emollivit, ut Dux, conversus ad adstantes neque lacrymas continens, in haec verba prorumperet: Angelus, non homo, locutus est; vade, Pater, fungere officio tuo. Illum deinceps velut apostolum veneratus est Dux ita, ut aliquando per jocum diceret, prae-

ter Laurentium neminem esse mortalium, quicum animam commutaret.

Mirabilis est Deus in dispositionibus suis. Laurentius, tantis ornatus gratiis ac virtutibus, non valebat ob infirmitatem spiritus ac pectoris publice verbum divinum populo praedicare. Qui enim praedicationis suscipit officium, ait S. Chrysostomus a), non oportet mollem quemdam esse atque resolutum, sed fortem et per cuncta robustum. Tu forte dicis: Quantopere dolendum! Quantum tantus ac talis vir praedicando verbum Dei Ecclesiae prodesse, quantum ad augendam Dei gloriam et procurandam animarum salutem conferre, quot inscios erudire, quot perversos corrigere, quot tristes solari, quot passiones sedare, quot appetitus refrenare, quot corda emollire, quot affectus expugnare, quot vacillantes ac infirmos in studio virtutis confirmare potuisset! Etenim innumeras utilitates facit verbum Dei in anima, uti ait divus Bernardus, nam frenat eam a peccatis, vivificat, illuminat, inflammat, mundat, pascit, confirmat, sanat, fecundat, emollit et totius boni capacem facit. — Tantae virtutis est praedicatio (verbi divini), ait Innocentius III. Papa b), ut animam revocet ab errore ad veritatem et a vitiis ad virtutes, prava mutet in recta, aspera convertat in plana, ut instruat fidem, erigat spem et roboret charitatem, evellat nociva, plantet utilia, foveat honesta.

Nec nos sumus, qui innumeros fere rite praedicati verbi divini fructus negemus, qui non potius ingenue cum Innocentio III. fateamur, inter cae-

a) De laud. Paul. hom. 6.

b) Praefat. operum suorum.

tera, quae ad pastorale spectant officium, praedicationis virtutem excellere, et summum desuper dolorem sentiamus, Laurentio coeleste illud gaudium, verbum divinum populo praedicandi, concessum non fuisse. Nihilominus consilia Dei semper justa, sancta et a nobis adoranda agnoscimus. Forte Deus Laurentium hocce modo in humilitate exercere, forte illum e variis periculis ac tentationibus, quibus publici praedicatores, praesertim in magnis urbibus, expositi sunt, nempe se ipsos et non Christum praedicandi, non tam gloriae divinae et verae generis humani emendationi, quam laudibus ac plausui populi studendi, et totam fiduciam suam in verborum splendore potius, quam in operum virtute (ut S. Prosper postulat *) ponendi, eripere, forte, quod hac ex parte negavit, ex altera majori cum largitate concedere voluit. Et quis, quaeso, utilitatem verbi divini ad publicam ejus praedicationem restringere velit? Verbum divinum, sive publice sive private praedicetur, gladius est acutus, imo penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animae et spiritus (Ephes. 6, 17. Heb. 4, 12.). Quoniam Laurentio adempta erat facultas publice populo praedicandi, domesticis usus est collocutionibus. Sedens inter fratres, illos edocebat, confortabat, erigebat et singulis monita salutis, optima consilia dabat. Sermo ejus semper erat occasionalis, opportunus, gratia, sale conditus (Prov. 5, 23.), cum compassione animi prolatus, suavitate, brevitate, simulque gravitate excellens. Ideo alliciebat, attrahebat, laetificabat corda audientium, animas illorum refi-

*) Lib. de vit. contempl.

ciebat, ideo affectum iracundorum mitigabat, emolliebat, illosque veritati ac virtuti lucrabatur. —

O utinam et nos sive in publicis praedicationibus, sive in privatis collocutionibus hocce gladio (verbo Dei) ad modum, quo Laurentius, uteremur! Utinam et noster sermo gravis semper simulque suavis, sacrarum scripturarum lectione, gratia et sale conditus, opportunus ac brevis esset! Profecto et nos favente gratia divina, inique accusati, modo suavi gravique, sicut decet sanctos, ita ut nec officio muneris nostri desimus, nec charitatem vel debitam superioribus reverentiam laedamus, nos defenderemus; profecto et nos consulti a tentatis et tribulatis prudenti eis consilio subveniremus, et juvenes, vanitatibus saeculi deditos, in viam salutis reduceremus.

His, qui divum Laurentium ideo, quod juvenem socium sermone suo ad eligendum statum vitae monasticae induxerit, reprehendere vellent, respondemus cum Chrysostomo de Lot *) ita disserente: Vellem, sicut beatum illum (Lot), virtute praestantes in mediis civitatibus esse, ut quasi fermentum facti aliis multos ad sui imitationem habeant. Verum, quia hoc difficile videtur esse, saltem illud alterum fiat (secedant ab urbibus in solitudinem). Transit enim figura mundi hujus et brevis est vita praesens. Et nisi nunc, cum adhuc intra caveam (in loco certaminis) sumus, labores virtutum aggrediamur et laqueos malitiae effugiamus: postea in vanum nosmet ipsos reprehendemus, quando nulla erit poenitudinis serae utilitas. — Qui praemissa seria meditatione agnoscit, se destinationem suam in claustro quodam certius assecuturum, quam in saeculo: faciat, quod fecit Lau-

*) Hom. 43. in Genes.

rentius, quod socius ejus, dimittat patriam, deserat urbem, recedat in solitudinem. Profecto Laurentius non vim intulit socio suo, sed utilitatem solummodo solitudinis et pericula mundi illi proposuit, quod et nos facere oportet, quoties a juvenibus de statu vitae deliberantibus interrogati fuerimus. —

V. Donum prophetiae in illo.

Restat, ut mentionem faciamus doni *prophetiae*, quo d. Laurentius insignitus fuerat. Biographus, quem nos ducem sequimur, hanc narrat historiam: Fantinus Dandalus, vir genere, dignitate, vita et doctrina clarissimus, postea episcopus Patavinus, dum adhuc saecularis esset et primarium in republica Veneta locum teneret: primo die Quadragesimae ad suscipiendum de more cinerem accessit. Cui, postquam cinerem a manibus Laurentii suscepisset, Laurentius: Memento, frater, ait, quia futuro anno tu aliis horum cinerum officium impendes. Quod ut audivit homo saecularis et plus quam quinquagenarius, surrexit admirans, neque tamen ibi propter loci majestatem aliud percunctatus est, sed in claustro praetereuntem exspectavit, factusque illi propior rogavit, quid verbis illis significare voluerit? Laurentius substitit aliquantulum, cogitabundo similis, deinde subjecit: Dico tibi, frater, quod cinerem quidem non impones, sed certe populo distribues ramos olivarum. Fantinus, quamvis majori adhuc admiratione teneretur, quonam modo hoc posset accidere, discessit. Et ecce, paulo post moritur Martinus Papa, et Eugenius, Venetus, Pontifex eligitur atque Fantinus ad eum qua legatus a senatu destinatur. Eugenius maximo cum honore illum suscipit, sacris ordinibus

initiat, atque ante annum legatum apostolicum Bononiam mittit; quo cum venisset et primo die Quadragesimae cinerem populo imponere necesse esset: legatus ad id muneris invitatur; recusat ille, quod ab alio quam sacerdote fieri non liceret. Instant enixius petentes, asserentes, hoc munere legatos semper functos fuisse. Fantinus in proposito permanet, atque id officii non parvo tandem labore deprecatur, nihil adhuc de Laurentii verbis advertens. Die vero palmarum similis contentio orta est. Canonici petunt, ut olivae ramos populo distribuat; ille eadem, ut antea, excusatione utitur; tandem canonici summis precibus postulant, ut, si in cineribus legatum se gerere noluerit, saltem olivarum officium non recuset. Victus Fantinus officium illud, uti praedixerat Laurentius, propriis manibus absolvit.

Insuper innumera alia, quae quotidie accidunt, aegritudines, incolumitates, lucra, damna, honores praedixerat. Ita vitam abbatissae cujusdam sanctissime viventis a medicis derelictae dilatam a Domino dixit, et paucis posthac diebus a morbo liberata est. Propinquum suum, qui triremem conduxerat ad convehendas ex ponto merces, cavere jussit, ne triremem dimitteret. Ille vero non solum triremem dimisit, sed maximo etiam fortunarum naufragio est affectus. — Nepos Sancti filium suum desperatum esse a medicis ei nuntiavit, eumque de loco sepulturae consuluit. Laurentius suspenso aliquantulum et vultu et sermone respondit, tempus adhuc non esse talis consilii. Nepos responsum admiratus: Quomodo, inquit, intempestive possem deliberare, cum puerum jam exspirasse existimem? Rursus ille: Redi bono animo, tempus adhuc non est. Reversus domum reperit pue-

rum praeter omnem spem melius se habentem. Denique ipse suum obitum per dies aliquot, antequam accideret, virginibus sanctae crucis praedixit.

Donum prophetiae, fratres dilectissimi, donum est prorsus extraordinarium, quo pauci tantum sancti ac fideles servi Domini exornantur, ut opera Dei manifesta fiant. Glorificemus igitur Deum, qui mirabilis est in Sanctis suis, gratias ei agentes pro omnibus beneficiis ac gratiis, quibus illos cumulavit, quin ipsi nos quoque tales exspectemus aut desideremus; satis contenti, si dona ordinaria acceperimus. Haec enim omnia, ut ait d. Paulus (I. Cor. 12, 11.), operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult. Singula dona instrumenta solummodo sunt ad faciendam voluntatem divinam. Beatus, qui hanc adimplet, quaecunque demum fuerint dona ei concessa. Cui minus datum est, minus quoque requiretur ab eo.

Quod autem diem ac horam *obitus* nostri attinet, hae menti nostrae obveniunt reflexiones:

1. Vitam nostram terrestrem *finem* aliquando habituram, certum est. Statutum est enim hominibus semel mori, ut ait Scriptura (Heb. 9, 27.). Omnes morimur et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur (II. Reg. 14, 14.). Non est in hominis potestate, prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis (Eccl. 8, 8.). Omnis caro foenum, ait propheta (Isai. 40, 6. 7.), et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est foenum et cecidit flos. Ad quae verba S. Gregorius *): Vita itaque, ait, in carne, flos in foeno est; homo enim more floris procedit ex occulto et subito apparet in publico, qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Quid

*) Moral. l. 11.

in hac terra certum est, interrogat S. Augustinus a), nisi mors? Profecisti? Quis sis, hodie scis; quid facturus sis crastino, nescis. Speras pecuniam? Incertum est, an proveniat. Speras uxorem? Incertum est, an acquiras vel qualem accipias. Speras filios? Incertum est, an nascantur. Nati sunt? Incertum, an vivant. Vivunt? Incertum est, an proficiant, an deficiant. Quocunque te verteris, incerta omnia, *mors* certa. Natus es? Certum est, quia morieris. — Sed quid diutius huic rei immorer, quam historia docet omnium saeculorum, quam quotidiana testatur experientia. Novissimum quotidie, quod quotidie multi e vita discedant; quotidie funera intuemur.

2. Hoc quoque certum est, nos per ipsius vitae augmentum ad vitae terminum tendere, seu, ut Apostolus ait, *quotidie mori* (I. Cor. 15, 31.). Dum crescimus, vita nostra decrescit. Quo magis vita augetur, eo magis eadem subtrahitur. Itinerantis gressus, ait S. Gregorius b), dum in anteriora proficit, quod restat iter, decrescit. Quotidie, singulis horis dimittitur aliquid de longitudine cursus nostri (Idiota c); hunc, quem agimus diem, cum morte dividimus (Seneca d). S. Augustinus in libro 13. de civitate Dei inter alia dubia a se ventilata quaerit c. 10.: An vita mortalium mors potius dicenda sit, quam vita? Et affirmative respondet dicens: Quidquid temporis vivitur, de spatio vivendi demitur et quotidie fit minus minusque, quod restat, ut omnino nihil sit aliud tempus vitae hujus, quam cursus ad mortem, in quo

a) Tob. Lohner Bibl. man. conc. p. 102. tit. mors.
b) Moral. l. 8.
c) Ad cont. mort. c. 10.
d) Ep. 24.

nemo vel paululum stare vel aliquanto tardius ire permittitur; sed omnes urgentur pari motu, nec diverso impelluntur accessu; neque enim, cui vita brevior fuit, celerius diem duxit, quam ille, cui longior; sed cum aequaliter et aequalia momenta raperentur ambobus, alter habuit propius, alter remotius, quo — non impari velocitate — ambo currebant. Unde S. Bonaventura a): Vita mea, inquit, naviganti similis est; sive dormiam, sive vigilem, semper vado festinus ad mortem.

3. Neque hoc diffitemur, dari quosdam *nuntios* mortis, ut ita dicam, naturales. Dies annorum nostrorum, ait regius psaltes (Ps. 89, 10.) septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta anni. Et Ecclesiasticus (Eccl. 18, 8.): Numerus dierum humanorum, ut multum, centum anni. Si quis ergo talem senectutis aetatem attigerit, nuntium quoque mortis suae quodammodo accepit. Non minus infirmitas corporis diuturnior, quae pedetentim vires corporis consumit ac destruit, pro nuntio mortis habenda.

4. Nihilominus paucissimis mortalium (ni velimus confugere ad praesagia mortis, quibus superstitio mixta est) datum est, diem ac horam obitus sui cum certitudine quadam *praevidere*. Deus, optimus pater, sapientissimis ex consiliis diem et horam mortis nostrae nobis occultam atque incertam esse voluit. Qua hora non putatis, ait Salvator (Luc. 12, 40.), filius hominis veniet. Cur hoc? Ne homo prae dolore deficeret, vel tempora intermedia negligeret, bona omitteret, poenitentiam ad ultima usque vitae momenta differret; sed potius vigilaret semper, semper ad mortem paratus esset, omnes, ut ait Augustinus b),

a) Soliloq. c. 3.
b) Hom. 13. interrog. 50.

dies observaret. Ideo S. Augustinus hanc incertitudinem specialem quamdam divinae misericordiae inventionem esse existimat. Magna, sunt verba ejus a), Dei misericordia et in hoc, quod diem vitae tibi incertum fecit, ut nescias, quando hinc emigrabis. Si scirent homines, ait S. Antoninus b), se cito morituros, multi nimis melancholice viverent (ergo dies suos in timore et dolore, in perpetua inquietudine consumerent). Mors enim naturaliter omnibus est horribilis; quia naturae nostrae innatus est et in eadem radicatus vivendi appetitus. Omnia animalia, uti ait S. Augustinus c), mortem fugiunt; diligunt se, custodire se volunt, alia velocitate, alia latebris, alia resistendo et repugnando. Omnia pro vita sua pugnant, mori nolunt. — Multo igitur magis homo prae aliis animalibus hanc animae a corpore separationem naturaliter abhorret, nec immerito teste divo Gregorio d); tunc enim (appropinquante nempe morte) cujuslibet anima terretur, quando post pusillum hoc invenit, quod in aeternum mutare non possit. — Ipsi nos testes fuimus magni illius timoris et doloris, quo homines appropinquante (ante 3 annos) lue pestifera correpti fuere. An non idem accideret, si homo diem mortis suae nosset? — Opponis forte cum Augustino e): Nonne audimus et videmus homines, in aliquibus tribulationibus et angustiis et conflictationibus et aegritudinibus dum sunt constituti, et vident se laborare, nihil aliud dicere, nisi: Deus, mitte mihi mortem,

a) Super Ps. 144.
b) Part. 1. tit. 5. c. 1. §. 9.
c) Hom. 37. c. 4.
d) L. 24. Mor. c. 7.
e) Serm. 17. de verb. Dom.

accelera dies meos! — Et respondemus cum Augustino: Venit aliquando aegritudo; curritur, adducuntur medici solidi et munera promittuntur. Dicit tibi ipsa mors, quam paulo ante a Domino petebas: Ecce adsum. Quid me modo fugere vis? Inveni te falsatorem et miserae vitae amatorem.

Alii quaerunt, cur Deus extremum nos vitae diem praescire nolit, cum tamen memoria mortis nobis tam salutaris sit? Ad hanc quaestionem respondet S. Joannes Climacus, spiritualis vitae sapientissimus magister *): Nemo ex iis, qui diem vitae ultimum perciperent animo, diu ante mortem aut ad baptismum properaret aut religiosam vitam profiteretur, sed plerique omnem vitam suam in flagitiis detererent, et in fatali demum hora ad coelestem baptismatis fontem et peccatorum expiationem accederent. — Neque nos ii sumus, qui tali viro audeamus contradicere; nam si in praesenti rerum statu, in quo horam mortis ignoramus, tam multi, per spem vitae longaevae sibi blandientes, poenitentiam de die in diem differunt, sufficiensque sibi ad agendam poenitentiam, ad exercendam pietatem, suique ipsius abnegationem tempus aliquando futurum persuadent: quid tunc futurum esset, si terminum dierum suorum secure et infallibiliter scirent? An non tunc majori cum libertate sensibus suis frena laxarent, rancores, odia, inveteratas inimicitias prolongarent, ad novas rixas provocarent, aliisque mortem intentarent, seque in extremo vitae suae adhuc poenitentiam agere posse confidentes meliores vitae suae annos mundo, carni, daemoni consecrarent, decrepitae vero aetatis faeces Deo et propriae saluti reserva-

*) Scal. parad. gr. 6.

rent? — Profecto si depravatam naturam nostram, ad malum adeo proclivem, consideramus: timendum foret, ne, si Deus cuique homini ultimi ejus diei notitiam communicasset, unusquisque sibi soli vacaret, quae cedunt in utilitatem aliorum, negligeret, nulli ab initio saltem rei adeo studeret, quam, ut sanus esset, vitam suam inter delicias et voluptates consumeret; timendum, ne ita totus mundus impiis et sceleratis hominibus impletus esset. Igitur ad correctionem delinquentium, ut observat S. Laurentius Justin. a), unicuique Dominus horam mortis voluit esse ignotam, quatenus impudentiae securitate rejecta, quisque se bene vivendo componat, ne imparatus et nudus ante universalem judicem praesentari cogatur. — Conditor noster, ait S. Gregorius b), latere nos voluit finem nostrum, ut, dum incerti sumus, quando moriamur, semper ad mortem parati inveniamur. — Si intrares domum, ait Bellovacensis c), et scires, quod aliquis in domo accederet et te occideret, procul dubio ad te accedentes omnes timeres et suspectos haberes. Sic tu intrans in mundum hunc, certus esse debes, quod aliqua hora te occidet; nescis, quae sit illa, et ita omnes debes suspectas habere. Latet ultimus dies, praeclare ait S. Augustinus d), ut observentur omnes dies! — Ideo omnis dies velut novissimus ordinandus est, quotidie peccata sunt vitanda, quotidie, quae commisimus, deflenda, quotidie citato gradu proficiendum, quotidie opera misericordiae exercenda; numquam creaturis, volupta-

a) De contemp. mund. c. 15.
b) Lib. 12. Moral.
c) Spec. mor. part. 1. l. 2. dist. 4.
d) Hom. 13. interrog. 50.

tibus et vanitatibus hujus saeculi adhaerendum, sed omnis nostra cogitatio et operatio ad Deum, summum nostrum bonum, dirigenda, ut cum venerit Dominus, sive in prima, sive in secunda, sive in tertia vigilia (Luc. 12, 38.), nos inveniat vigilantes.

Dilectissimi fratres! Nullum nos hac ex parte privilegium habemus prae ceteris mortalibus. Etiam sacerdotes subito moriuntur, in flore aetatis suae. Nullus ergo nostrum existimet, procul abesse mortis suae horam. Qui annos multos et tempora longa sibi praescribunt, similes sunt (ut ait S. Ephraem a) iis, qui iter nocte intempesta suscipiunt, qui quidem arbitrantur, procul se abesse ab imminenti praecipitio et praerupto loco, donec praecipitatis ipsis experientia dubitationem solverit. Quolibet die et quolibet diei momento, sive edamus, sive bibamus, sive dormiamus, sive laboremus, sive contemplemur, sive ambulemus, sive praedicemus, sive ad altare offeramus, Deus nos avocare potest et rationem villicationis nostrae postulare. Ecce S. Stanislaus episcopus, cujus memoriam hodie b) celebravimus, ad altare Dei immaculatam hostiam offerens, ab impio aggressore occisus est. Alii sacerdotes populo verbum Dei praedicantes apoplexia tacti sunt. Alii infirmum visitantes lue pestifera vel febri correpti sunt et obierunt. — Simus ergo semper, fratres, parati et vigilantes, oleum habentes bonorum operum in lampadibus. Certum est, dico cum divo Bernardo c) unicuique vestrum, certum est, quia morieris, sed

a) De mortis record.
b) 7. Maji.
c) In medit. de dignit. animae c. 3.

incertum, quando, quomodo vel ubi. Et cum S. Bonaventura a): Mors non potest declinari, hora mortis non potest investigari. Incertum est genus mortis, utrum scilicet gladio, igne, aqua, an alio mortis genere quis moriatur b); incertum, utrum in domo vel in via vel in mari vel in terra, in civitate sua vel aliena discedat c). Mors insidiatur in omni loco et quovis tempore. Esto igitur semper paratus. Beatus, ait auctor libelli de imitatione Christi d), qui horam mortis suae semper prae oculis habet et ad moriendum quotidie se disponit. Irruat dein mors quandocumque et ubicumque: ubique et semper eam exspectabis, nec erit tibi fur aut latro, expolians aut diripiens omnia bona corporis et animae, sed apparebit tamquam regius nuntius, evocans te ad bona aeterna.

VI. S. Laurentius Justinianus in Episcopum Ecclesiae Castellanae electus.

Has aliasque eximias Laurentii virtutes cum perspectas haberet Eugenius IV. Pontifex, illum Venetis dare episcopum decrevit. Translato itaque ad Ecclesiam Vicentinam, quae suo viduata erat pastore, episcopo Castellanensi, Ecclesiae Castellanensi praeficitur vi bullae Pontificis Eugenii IV. de 11. Maji anno 1433. Respeximus, ait Pontifex in illa, advenisse tempus, quo desiderio cordis nostri satisfieri poterit. Hodie siquidem te in episcopum et pastorem Eccle-

a) Tom. 7. soliloq. c. 3.
b) Idiota in l. de contempl. mortis c. 14.
c) S. Antonin. p. 4. tit. 14. c. 8. §. 4.
d) Lib. 1. c. 23.

siae Castellanensis de consilio fratrum nostrorum praefecimus. Hortamur itaque, veluti a Deo vocatus, tamquam Aaron, huic ordinationi consentire velis, ac pro honore Dei ac animarum salute et animae tuae merito hoc onus assumere. Non enim ignoramus, quantum verbo, auctoritate et exemplo illi civitati valiturus sis, et praesertim sanctae congregationi tuae, prout de hac re alias tibi particularius scribemus. Nos vero, qui onera nostra tecum libenter partiti sumus, omni opera et industria curabimus, tibi favori et auxilio esse. Propterea velut *obedientiae filius*, quod tibi Dei voluntate injunctum est, parato animo suscipe. Nam, ut inquit B. Gregorius, sicut non licet talia appetere, ita nec vocatum ad ipsa pertinaciter recusare. Ex his enim consequeris benedictionem a Domino et gratiam a Deo salutari tuo.

Honorificam hanc Pontificis ad tam amplam sedem electionem, non concupitam, non quaesitam, sexcenti alii, humilitatem Laurentii non assecuti, pro voce Dei sine scrupulo habuissent, eique sine ulla tergiversatione mox annuissent. At vero Laurentius, electione sua percepta confusus, perterritus, quid faciendum sibi, incertus, bis fugiendi capit consilium et in abdita aliqua loca secedendi, bis resistit impetui huic, tandem stare in fratrum suorum sententiis decernit. Conveniunt, deliberant fratres, nec unius sunt opinionis. Hi parendum esse Christi Vicario ajunt, illi mundi fastum, insueta onera, corporis imbecillitatem memorantes, nullo modo suscipiendum a Laurentio episcopatum asserunt, alii fugam suadent, singuli exempla Sanctorum afferentes, qui vel suscepissent episcopatum vel renuissent vel

incogniti profugissent. Indicto tandem jejunio et oratione solemni decreverunt patres Congregationis, conari apud Eugenium et litteris et nuntiis, ne ipsis patrem ducemque aufferret, sine quo societas illa plane periclitaretur. Bis miserunt patres, additis Laurentii litteris, bis rescripsit Eugenius. Audiamus quaedam ex litteris divi Laurentii ad Eugenium Papam datis excerpta.

Sanctissime ac Beatissime Pater, ovium Jesu Christi Domini nostri universalis pastor. Quanto moerore sit oppressum cor meum, quot singultus, quotve obortae sint lacrymae ex hoc, quod vilitatem meam Ecclesiae Castellanae praeficere intendit Sanctitas Vestra, novit ille testis et judex, cui notissima absque ambiguitate sunt omnia. Ad quod quidem onus portandum cum prorsus me sciam impotentem et indignum coram Sanctitatis Vestrae prostratus pedibus, tamquam filius (licet immeritus) a clementissimo patre postulo, quatenus parumper caeteris, a corde sepositis curis dignetur Sanctitas Vestra patienter audire (rationes meas), revolvere animo sinceraque examinatione rationibus meis, quas sub compendio dicturus sum, accommodare consensum, si qua ergá vilissimum filium inest paternalis affectio, si qua ad ulcerosum compassio, si qua erga oneribus conscientiae gravatum pia miserandi intentio. Horrent namque omnia interiora animae meae, cum materiam hanc discutio, nec ullo modo patitur (anima), tanto se ingerere periculo, cum notissimum sit, me secundum interiorem hominem privatum esse scientia, a virtutibus Praelatis congruentibus alienum, atque a tali experientia extraneum; — secundum vero exteriorem continuis paene languoribus laborantem

vos satis contristari, quod dilectum filium Laurentium Justinianum pastorem et patrem dederimus Ecclesiae Castellanensi, cum tamen exspectaremus, ut quemadmodum exhortati fuimus, congauderetis nobiscum. Si consideremus consortii necessitudinem, communem perseverantiam in opere Dei, moerori vestro satis ignoscimus. Si amorem proximi, rempublicam et commune bonum, ab his omnibus moeror exeluditur. Neque magni facimus ejus corporis conditionem ad paratos labores, quoniam non robusto corpore, sed forti et ferventi animo opus est. Aderunt multi praeterea, qui communicatos labores libenter excipient, ipsique in omne officium et in omne tempus auxilio erunt, ita ut nonnunquam in contemplationis bonum se recipiat, saepe vero ad Moeis exemplum descendat ad castra, ut proximorum necessitati consulat. Sic apostolos, sic pastores Ecclesiae, sic Dominum nostrum Jesum Christum fecisse legimus. — Quis ex hac assumpta dignitate calumniam faciet, praesertim cum viderit Pontificem sine auro, sine divitiis, sine pompis, nihilque, quod suum sit, quaerere, sed quod Jesu Christi? Hoc jam non evacuabitur gloria in Christo, sed amplior reddetur. — Et post alia: Itaque siccate jam lacrymas; considerate, quantum bonum sit apud episcopum, pro multis offerre se Deo, et date illi gloriam et honorem. — Igitur talibus litteris ac declarationibus pontificiis acceptis, non poterat non Laurentius parere Pontifici ter jubenti, atque in ejus mandato vocem ac voluntatem Domini agnoscere et revereri.

Jam quis est Vestrum, fratres venerandi, qui haec audiens non miretur Pontificis sapientiam in eligen-

dis Ecclesiae Praesulibus? — Quis est, qui non intelligat, Eugenium nec partium studio, nec coeco quodam patriae amore, sed unico et solo salutis tum Ecclesiae catholicae, tum reipublicae Venetae studio in eligendo ad episcopatum Ecclesiae Castellanensis Laurentio ductum fuisse? Noverat Pontifex ipsius humilitatem plane insignem, ejus pietatem, fidem, morum orisque suavitatem, vitam mundo crucifixam solique Jesu Christo consecratam, charitatem omnes fratres amplectentem, — et ideo dignum atque idoneum reputabat, cui grex fidelium Ecclesiae Castellanensis pascendus committeretur; ideo non obstantibus renuentis Laurentii ejusque congregationis lacrymis, iteratis precibus ac postulationibus, in sententia sua perseverabat, atque Laurentium ad suscipiendum episcopatus onus litteris, amore paterno plenis, hortabatur, ipsissimus ille Pontifex Eugenius IV., qui pericula ac tentationes status tam sublimis optime noverat, atque morti proximus semetipsum ita alloquebatur *): O Gabriel (hoc enim proprium ejus nomen fuerat), quanto magis conduxisset animae tuae saluti, ut numquam Cardinalatum nec Pontificatum obtinuisses, sed in tuo monasterio religiosam disciplinam coluisses! Sperabat enim Pontifex, talem virum, qualem Laurentium noverat, aptissimum fore gubernandae Ecclesiae Venetae, collapsae inter clericos disciplinae restaurandae, paci cum Duce ac nobilibus servandae ac tuendae, saluti fidelium, vitiis multis deditorum, verbo ac exemplo promovendae. — Nec spes illum fefellit. Uberrimus enim erat hujus electionis fructus, adeo ut primus ille Venetiarum Patriarcha omnibus successori-

*) Rayn. Annal. ecc. a. 1447. v. 13.

coelestium? Cum ad culmen sacerdotii persona quaeritur, ait S. Gregor. a), cum magna subtilitate requiratur. Mira res, exclamat S. Bernardus b)! Satis superque episcopi ad manus habent, quibus animas credant, et cui suas committant facultates, non inveniunt. Optimi videlicet aestimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerunt. Liquide datur intelligi, patientius ferimus Christi jacturam, quam nostram. Non est hoc consulere populis, sunt verba Leonis Papae c), (si minus idonei eligantur), sed nocere; nec praestare regimen, sed augere discrimen. Undenam, quaeso, interrogat S. Chrysostomus d), existimas, tam multas in Ecclesiis turbas nasci? Equidem non aliunde opinor, quam ex antistitum electionibus, casu potius ac temere, quam diligenter atque accurate factis. Qui indignum ordinat (ait S. Anselmus e), peccatis ejus communicat. Ex inordinata et indisciplinata multitudine sacerdotum, conqueritur Petrus Blesensis f), hodie datur ostentui nostrae redemptionis venerabile sacramentum.

Quemadmodum autem Eugenii modus procedendi in Laurentii electione omnimodam approbationem meretur, ita non minori laude digna Laurentii agendi ratio. — Vir vere humilis, propriae sibi infirmitatis conscius, non altam fovet de seipso, de suis dotibus, scientiis, meritis, ac virtutibus opinionem;

a) Lib. 6. Expos. in lib. 1. Reg. 16.
b) De consid. l. 4. c. 6.
c) Ep. 87. ad episcopos Afric. c. 1.
d) De sacerd. l. 3. c. 10.
e) In ep. 1. ad. Tim. 5, 22.
f) Ad Rich. episc. Lond. ep. 123.

ideo non anhelat, imo timet valde laudes hominum, honores, dignitates. Inde, si talia offeruntur, tanta ac talis, sicut illam in Laurentio conspicimus, confusio. Si fuerit monachus ille vir, vel saltem in modum monachi piae meditationi ac contemplationi assuetus: timet, sicut Laurentius et fratres ejus, avelli ab hisce deliciis spiritus et ad negotia saeculi, tot tantisque perturbationibus obnoxia, pertrahi. Quis illum idcirco reprehendat? Sat noti sunt divi Gregorii Magni in Pontificatu gemitus *): se alta quietis suae gaudia perdidisse, se intus corruisse; se undique causarum fluctibus quati et tempestatibus deprimi et post causas, vanis cogitationum tumultibus exclusum, ad cor (uti propheta praecipit) redire non posse. — Vir humilis propriis diffidit viribus; horret itaque, sicut Laurentius, novi alicujus muneris difficultates, praeprimis, si debilitas quaedam corporis aut senium accesserit et exemplum aliorum, in eodem munere sine fructu laborantium. — Hisce consideratis confusionem, lacrymas, renitentiam Laurentii, ad episcopatum electi, facile explicaveris. — Vera humilitas, non pigritia nec otii amor aut proprii commodi studium, hujus rei causa fuit. Quod ex eo quoque adparet, quod Laurentius suam agendi rationem judicio fratrum subjecit et, postquam Eugenius trina vice voluntatem suam declarasset et omnes Laurentii fratrumque objectiones solvisset, auxilio divino fretus, onus episcopatus suscepit. —

O utinam omnes sacerdotes Laurentio essent similes! Utinam ab omni ambitione honorum, dignitatum sollicite sibi caverent, eoque magis cave-

*) Lib. 1. epist. 5.

rent, quo facilius haec affectio in animos incautorum irrepit brevique tempore omnem fere modum excedit. Pecunias quidem, ait S. Chrysostomus a), facile quique contemnet; porro honoris esse negligentem maximo labore indiget. — Etiam in sinu sacerdotum, ait S. Cypr. b) ambitio dormit. O ambitio, exclamat S. Bernardus c), o ambitio, ambientium crux! Quomodo, omnes torquens, omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat; nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. — Et lib. 1. c. 10.: Plena est ambitiosis Ecclesia. Epist. 42. seu Tract. ad Henr. Senon. Archiep. c. 7.: Cum primos honorum gradus meruerint in Ecclesia, meruerint autem vel vitae merito, vel pecuniae, sive etiam carnis et sanguinis praerogativa; non ideo corda quiescunt, duplici semper aestuantia desiderio, quo utique magis ac magis et dilatentur in plura et ad celsiora sublimentur. —

Anne autem inordinatus iste honoris et dignitatis appetitus conformis est exemplo atque effatis Domini nostri ac Salvatoris Jesu Christi? An effatis et exemplo SS. Patrum aliorumque virorum illustrium probatus? An Ecclesiae, an fidelibus, an ipsi ambitioso salutaris?

1. *Christus* Dominus triginta annis ante manifestationem suam vitam obscuram egit et post manifestationem suam, ut observat S. Gregor. d), rex fieri noluit, ad crucis vero patibulum sponte pervenit, oblatam gloriam culminis fugit, poenam probrosae

a) Hom. 2. in ep. ad Tit.
b) Ep. 5.
c) De consid. l. 3. c. 1.
d) Lib. reg. past. part. 1. c. 3.

mortis appetiit. — Hunc aspice, sacerdos christiane, auctorem et consummatorem fidei, Salvatorem tuum, medium inter duos latrones e cruce pendentem et disce humilitatem! Audi eum loquentem ad Apostolos suos, contendentes inter se, quis eorum videretur esse major? Reges gentium dominantur eorum et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur; vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator. (Luc. 22, 25.)

2. Non quaeramus honores, ait *S. Chrys.* a), imo eos, cum oblati fuerint, repellamus et abjiciamus a nobis, et hujusmodi concupiscentiam exstinguere omnibus modis studeamus. Prudens charitas, ait S. August. b), prae omnibus securitatem et obscuritatem solitudinis eligit. Nonnisi coacta charitas honorem et periculum laboris et curae veluti jugum subit. Quas non lacrymas coram altari effudi, dum me Valerius in cooperatorem ecclesiae Hipponensis assumpsit! Vis mihi tunc illata nonnisi poena peccatorum meorum esse potuit.— Quantum repugnavi, ait S. Ambros. c), quando ad Mediolanensis ecclesiae cathedram assumendus eram! Cum rem ipsam impedire non possem, saltem dilationem petii. Ast violentiae resistere nequii. Quo animo S. Anselmus sedem episcopalem conscenderit, ipse testatur (l. 2. ep. 1.) hisce verbis: Ignorare nequiverunt illi, qui eo die vultum meum inspexerunt, quando me episcopi, abbates aliique primates ad ecclesiam trahentes et contradicentes rapuerunt, ita ut dubium vi-

a) Hom. 2. in ep. ad Tit.
b) V. Joan. B. Massillon Serm. ad eccl. tom I. p. 95.
c) Loc. c.

deri posset, utrum sanum insani, an insanum traherent sani, nisi quia illi canebant, et ego, magis mortuo, quam viventi colore similis, stupore et dolore pallebam.

3. At repones forsitan: Quid fieret, si omnes hoc modo dignitates ecclesiasticas fugerent, si omnes munia sublimiora recusarent? Actum sane esset de *Ecclesia!* — Nequaquam. Deus Ecclesiam suam nunquam derelinquet. Quotidie creat, ut Massillon ait a), in eadem et usque ad finem mundi creabit vasa electionis, quae portent nomen ejus coram regibus et populis. Quodsi nullus fuerit, qui sollicitet, currat, roget, petat: tunc ipse domui, quos elegerit, manifestabit hique populo saluti erunt, Ecclesiae honori. Hi enim, non tam honorem et dignitatem, gloriam et splendorem externum, quam officium ac onus muneris considerantes, omnes in id impendent vires, ut fideles aliquando inveniantur pastores, ut depositum fidei illibatum servent, mores fidelium corrigant, vitia exstirpent, in omnibus laudem et gloriam divinam procurent ac promoveant, ut sint patres pauperum, consolatores afflictorum, ductores ac servi omnium; cum e contra illi, qui solummodo sanguinis titulo vel parentum et amicorum patrocinio, pecunia, obsequio ad dignitates ecclesiasticas pervenerint, facile officii ac finis muneris sui obliviscantur, pompas quaerant externas, commoditatibus et voluptatibus inhient, oves negligant, in peccata labantur, populo fideli scandalo sint, dedecori Ecclesiae. Quam *multis* (possumus dicere cum Augustino b) honor occasio exitii fuit! — Sublimitas ho-

a) Loc. cit. p. 94.
b) De verb. Dom. serm. 12. c. 3.

norum, ait S. Thomas a), magnitudo scelerum est. Sane honores et divitiae teste Petro Bles. b) sibi annexa habent vinum et pinguia, otium et saturitatem, contemptum Dei et dispendium sui. Ambitiosus, ait Innoc. P. III. c), statim, ut est ad honorem promotus, in superbiam extollitur; non curat prodesse, sed gloriatur praeesse. Priores dedignatur amicos; vultum avertit, cervicem erigit, fastum ostendit, subditis onerosus, omnibus infestus, praeceps, molestus, gravis et importunus. Ideo ait S. Bernardus d): Radix iniquitatis ambitio est, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, mater hypocrisis, criminum fomes, virtutum aerugo, tinea sanctitatis. — Pius Papa V. dicere solitus est e): Cum essem religiosus, sperabam bene de salute animae meae; Cardinalis factus extimui, nunc, Pontifex creatus, paene despero. Quam melius fuisset mihi, dixit Leo XI., ad extremum vitae redactus, confessario suo f), si monasterii, quam si coeli claves tenuissem! — Durissimum sane judicium his, qui praesunt. Sap. 6, 6. —

Sit igitur exemplum divini Salvatoris nostri, SS. Ecclesiae Praesulum, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Anselmi, Laurentii Justiniani, qui nonnisi vi adacti ad dignitates ecclesiasticas pervenerunt, semper prae oculis nostris, fratres dilectissimi! Perpendamus pericula, quae culmini ecclesiastico annexa sunt, vanitatem omnium honorum ac

---

a) L. 1. de eruditione princ. c, 1.
b) Ep. 102.
c) De contemptu mundi l. 2. c. 26.
d) Super ps. Qui habitat. Serm. 6.
e) V. Corn. a Lap. in c. 11. Num.
f) V. Beyerlink apoph. fol. 477.

dignitatum, quae saepius vix ad unum annum extenduntur, et gravissimum, quod omnibus, qui in potestatibus sunt constituti, instat judicium, ne eadem affectione perniciosa irretiti eandem incurramus damnationem atque sero et incassum nostram defleamus coecitatem. In illo extremae animadversionis die nequaquam erit securior, uti praeclare observat S. Laur. Just. a), qui fuerit potentior, sive major, qui fuerit honoratior; quin potius, qui exstiterit corde humilior, rebus sponte pauperior etc., ille prorsus erit in conventu justorum sublimior, judicanti Domino propinquior, gloriae coelestis candore splendidior atque divine fruitionis contemplatione beatior. — Divini Augustini regula b) sit quoque regula nostra: Honor te quaerere debet, non tu ipsum. — Et nunc ad continuandam S. Laurentii historiam nos accingamus.

VII. Primae Laurentii in episcopatu curae.

1. Anno aetatis suae quinquagesimo primo *iniit* Laurentius episcopatum et quidem absque ulla pompa vel comitatu, ita ut fratres etiam germanos adesse noluerit et omnis vicinia advenisse novum Praesulem prius cognosceret, quam paene intelligeret adventurum. — Novum humilitatis Laurentii nobis jam notae indicium. —

2. Eam autem noctem, quae ingressum ejus praecedebat, duxit insomnem, in *orationibus* et lacrymis, quibus Deum precabatur, ne, quum episcopale munus, nolens alioquin et invitus, ad ipsius

a) De instit. et regim. Praelat. c. 1.
b) Lib. 50. hom. 13.

gloriam et hororem suscepisset, flentem et orantem desereret; scire se utique gravitatem negotii suscepti, nosse multitudinem populi, ordinum varietatem, amplitudinem principatus saecularis, discordias ejus crebras cum episcopis antecessoribus; contra vero vires sibi tenues et imbecilles, quippe nusquam, nisi in monasticis cellulis, exercitatas et sic porro. Qua oratione durante tanta se animi luce repletum fassus est Laurentius, ut non aliter illius episcopatus, quam alicujus monasterii, munera obierit. — Ecce, frater, tu quereris de difficultate muneris vel officii alicujus tibi impositi? Ora — et alleviabit tibi Dominus! — Oratio humiliantis se nubes penetrabit... et non discedet, donec Altissimus aspiciat. Eccl. 35, 21. Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, ait Psaltes regius (Ps. 119, 1.), et exaudivit me. Pulsate et aperietur, scribit S. August.*); stant angeli ad januam, ut introducant, non, ut repellant; ut suggerant, non, ut terreant.... Hoc amat janua Salvatoris, ut pulsatoribus semper abundet opportunis, importunis. —

3. *Familiam* suam sic instituit: Elegit duos de suo coetu fratres, quorum altero utebatur ad officia divina, cum altero partiebatur curas majores. — Quinque praeterea ministros habuit per tres et viginti annos, quibus fuit in eo pontificatu, quamquam per jocum dicere solebat, familiam sibi grandem esse, cujus cura premeretur, pauperes Christi significans. — Veste utebatur colore, quem dicebant, coelestino, justa longitudine. Tapetas et aulaea et caetera aedium ornamenta omnino sprevit. — Mensa ejus, ad quam

*) Serm. 171. de temp.

de more monastico legebatur, non sordida, summa munditie se commendans; nil in ea inveniebatur argenti; vescebatur in vitreis et fictilibus, cibo semper usus vulgari. — Ova amavit; ceterum nihil appetiit et nihil damnavit, sed quidquid apponebatur, sumsit. — Cubile habuit, vix 6 pedes protensum, quod nemini ingredi licuit, ut liberius vacaret lacrymis et orationi. Domus autem ejus aperta erat omnibus. Et profecto difficile dictu, quantus quotidie fuerit concursus hominum moestorum et laborantium, qui consolationem peterent vel cuperent juvari ope, oratione, consilio. Indignum omnino ratus, ut, qui animarum quaestui praefectus esset, sederet ad calculos; nihil, procuratore rationes afferente, accepti vel expensi videbat amplius, quam quid deesset aut superesset. — Omne penum pauperibus patebat. Libentius dabat res humano usui necessarias, quam pecuniam, et plures libentius summas, quam majores, ut esset communior in tanto populo beneficentia. Mallebat quoque aliquando decipi, quam nimius esse in examinando, ut, si in alterutro esset offendendum, mallet, cui non oportuerit, dare, quam non dare, cui oportuerit. In cognoscendis vero penuriis hominum adhibere solebat viduas quasdam spectatae virtutis et fidei, eo quod ille sexus ferventior esset ad hujusmodi opera misericordiae et simul aptior ad indagandas paupertates occultas, eorum praecipue, qui ex opibus in inopiam decidissent, quorum maxime miserebatur. — Sanguinem nunquam respiciebat. — Rogavit illum aliquando quidam consanguineorum, non ita pauper, ut in filiae dotem pecunia eum juvaret. Respondit Laurentius: Considera, quaeso, frater, si parum dedero, non est,

quo opus habes; si multum, defraudabo multos, ut uni satisfaciam. Praeterea, quidquid est (quod possideo), ad cibos potius pauperum, quam ad intortos crines aut margaritas ab Ecclesia traditum est; igitur ignosce, si dare non possum. Cum Leonardus frater aliquando pauperem eleemosynam petentem Laurentio commendasset: vade, dixit ille ad pauperem, et responde Leonardo meis verbis, ut tibi ipse subveniat, cum a domino habeat, ut de suo dare possit. Illud solum in amoris fraterni signum retinuit, ut in Nativitate Domini, Paschate et in festo Apostolorum Petri et Pauli eos donaret duobus panibus ex farinae flore confectis. Quin potius ipse a fratribus adjutus est pecunia multa in solvendis bullis apostolicis episcopatus et deinceps a nepote, praesertim cum ad Patriarchatum evectus esset. — Haec agendi ratio magnum ei fidelium amorem conciliavit. Nihil autem gratius fuit civitati, quam naves, lignis onustae, quae, saeviente hyeme pauperibus distribuebat. Liberalitas sancti hujus viri tanta fuit, ut deficiente pecunia aes alienum contraheret. Rogatus a procuratore, qua spe id faceret, Domini mei, inquiebat, qui pro me solvere facile poterit. Nec spes illum fallebat. Quotidie enim pecuniae ad eum confluebant, quas Deus insperato multis de locis illi submittebat.

4. Nec minori ei curae erant *ecclesiae, clerici, monasteria.* Statim enim, postquam cathedram conscendisset, curam gessit, ut ecclesia pontificalis, priorum episcoporum aut incuria aut avaritia neglecta, pro dignitate sedis excoleretur. Canonicorum ordinem, ad nihilum redactum, restituit; addidit sacerdotes, cantores instituit. — Eandem dein curam adhibuit circa alias ecclesias, ita ut plurimae, in

quibus antea vix missa celebrabatur, posthac viderentur esse pontificales. —

Mores cleri castigaturus, pulcherrimas edidit constitutiones. Nemini gravis, frui clerum suis fructibus patiebatur, ita ut nihil illi oneris imposuerit unquam.

Pari cura prosequebatur monasteria, praecipue sacrarum virginum ob sexus infirmitatem, quibus nihil deesse patiebatur vel ad corporis necessitates vel ad regulares etiam disciplinas. Collapsa restituit, nova construxit. Pulchrum est hujus rei testimonium, quod, cum initio episcopatus sui viginti aut circiter observantia suscepisset, moriens quinque supra triginta reliquerit.

Ex dictis apparet, Laurentium exspectationi ac votis Eugenii Pontificis ex asse respondisse; illum fuisse virum constantem, Deo fideliter adhaerentem, nec laudem ac gloriam hominum, sed lucrum animarum atque gloriam Domini quaerentem. Paucis, quae statum externum attinebant, immutatis, idem in episcopatu perstitit Laurentius, osor suae carnis et pomparum saeculi, amator paupertatis ac decoris domus Dei, atque ita multa status sui ac dignitatis pericula evitavit. Etiamsi non defuerint, sicut verosimile est, quibus ejus agendi ratio displiceret, judicantibus, dignitati episcopali externum quoque vitae splendorem seu luxum convenire: major tamen populi pars illum tamquam patrem ac pastorem optimum venerebatur et adamabat. Noverant enim omnes, Laurentium non avaritia aut inordinato propinquorum suorum amore, sed solo et unico paupertatis fratrum sublevandae et gloriae divinae augendae ac dilatandae studio ductum omnibus pom-

pis, conviviis, ornatui, splendori renuntiasse. Ideo quoque ei confidebant, ideo novis semper subsidiis eum juvabant. —

Falluntur, dilecti fratres, vehementer, qui existimant, ad favorem populi et aestimationem sibi conciliandam necessarium esse externum quemdam fulgorem. O coecitatem insignem! exclamat archiepiscopus Braccarensis in stimulo pastorum (p. 2. c. 6.); ministri Christi prudentiores Christo esse volunt. Christus namque mediantibus hominibus, plenis spiritu suo, i. e. spiritu humilitatis et paupertatis, mundum subegit ac spiritum carnis et mundi expugnavit; modo vero dicitur, spiritum mundi non posse expugnari, nisi mediante spiritu mundi, i. e. nisi pastores armentur pompa ac fulgore saecularis potestatis. Quid magis praeposterum potuit excogitari? — Ministerium vestrum, ait S. Bernardus a), honorificabitis non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis aedificiis; sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis. Ejusmodi pompa, ait Barthol. a Martyribus b), plus scandalizat quam aedificat. Ex hoc enim concitatur (populus) ad murmurationem, invidiam, cupiditatem, indignationem. Episcopus vilem supellectilem habeat et mensam ac victum pauperem et dignitatis suae auctoritatem fidei ac vitae meritis quaerat. Haec sunt arma Christi et apostolorum, quibus mundi regnum cum suo Goliath expugnandum est. Non eget Christus armis Sauli ad sua bella gerenda, non eget pompis et splendore saeculi. Fulgor et regius

a) Ep. 42.. c. 2.
b) Stim. Past. part. 2. c. 6. de humil. et modest. Praelat.

apparatus Praelatorum intestina et insanabilis est plaga Ecclesiae.

S. Laurentius familiam suam et totam rem domesticam ita ordinavit, sicut Concilia ante et post ejus tempora habita constituerunt. In omni vita a fastu, luxu, ambitu, ambitioneve et a vanitate longe refugite. Ab omni splendido apparatu pompaque saeculari abstinete, ait Con. Mediolanense IV. a). Omnis luxus et ornatus corporum est a sacerdotali statu alienus, ait Conc. Nic. b). Episcopos ergo vel clericos, qui se splendidis et insignibus vestibus exornant, corrigere oportet; sin autem permaneant (in talibus), supplicio tradi. Episcopus vilem supellectilem habeat, ordinat Conc. Carth. IV. c). In episcopi supellectili, sunt definitiones Conc. Med. I. d), nihil aureum aut argenteum sit, praeter levissima ac tenuissima quaedam instrumenta ad cibum ori admovendum comparata; nihil auro argentove ornatum, nihil sericum aut serico distinctum; non colorum varietas, non aulaea aut tapetia; nihil acu pictum, nihil varie textum, nihil studiosius elaboratum. Episcopum non oportet nimium profusis incumbere conviviis, ait Con. Turon an. 813. e), sed parco contentus sit cibo. Et Conc. Camerac. an. 1565. f): Homini ecclesiastico, quacunque dignitate fulgeat, plus laudis affert frugalitas in mensa, quam sumptus ... Sit ergo cultus

a) Part. 3. tit. Monitiones.
b) Can. 16.
c) Cap. 15.
d) Part. 2. tit. de episc. supel.
e) Cap. 5.
f) Tit. de vit. et honest. Cleric. c. 2.

in mensa et conviviis potius in gravitate et sobrietate, quam in pompa et deliciis.

Quod attinet revisionem rationum, noster Laurentius tunc solum nobis exemplo esse posset, si de fide procuratoris nobis persuasissimum foret.

Relate autem ad curam pauperum, cultus divini, clericorum ac monasteriorum, cum in vita divi Thomae a Villanova annotationes necessarias jam fecerimus, his in vita divi Laurentii omnino supersedendum censemus.

VIII. Aliae quaedam praeclarae dotes, quibus S. Laurentius summam in episcopatu nactus est celebritatem.

Primo nunc loco ponimus *scientiam* ejus cum in sacris rebus, tum in profanis, quam, cum a praeceptoribus non multum didicerit, nec multos libros possidere voluerit, nec res humanas in claustro experiri potuerit, divinitus potius infusam dixeris, quam humanitus acquisitam. Argumento sunt nobis:

1. Plurima ejus *dicta* memoratu digna, quorum quaedam biographus, quantum ex consuetudine domestica meminisse potuit, litteris consignavit.

Ita veram esse scientiam, dicebat, scire haec duo: Deum esse omnia et se nihil; — neminem bene scire, quid esset humilitas, nisi quis a Deo accepisset, ut esset humilis; in nullo enim tam falli homines, quam in vera humilitate cognoscenda; — divitem non posse salvari, nisi per eleemosynam; tantisper gloriae cupiditati esse ignoscendum, dum virtutem velut ancilla sequeretur, non autem quasi domina praecederet; — paupertatis donum, quantum

esset, neminem nosse, nisi qui secreto cubiculo et contemplatione delectaretur; pudicitiam cum carnalibus blandimentis nihil aliud esse, quam ignem extinguere velle et ligna superinjicere. — Ex quo factus est sacerdos, quotidie missam celebravit, nisi infirmitate impediretur; dicebat enim, eum, qui, cum posset Domino suo frui, non frueretur, facile declarare, se Domini sui curam non habere; — servi Dei non esse, a magnis sibi cavere peccatis, id enim esse hominis saecularis, sed parva vitare, ne charitas refrigesceret; non simul ac corpus extenuatum fuerit, de abstinentia remittendum, propterea enim abstinendum. Ampla in monasteriis aedificia ipsi non placebant, et cum videret laetiora coenacula cellasve ampliores, caput quassans dicebat: Non sic patres nostri, non sic. Dicebat, monachum nullam rem aspicere debere, in hoc saeculo, quae desiderium illius teneret; maxime pensitanda esse eorum proposita, qui se conferunt ad religionem, ne, dum ineptus suscipitur, aptus ab eo corrumpatur; raram esse perfectionem; hinc aucto nimis numero monachorum, rigiditatem vitae atque monasteriorum vigorem diutius non posse consistere. — Tanto facilius esse munus imperatoris, dicebat, aut ducis, quam episcopi, quanto difficilius esset, quae non videas, regere, quam quae videas. Inter labores publicos bellorum, quae ejus aetate fuere, dicebat senatoribus: Si vultis, Dominum vestri misereri, nihil vos ex vobis aut esse aut posse judicetis.

Scientia Laurentii apparet 2. ex *scriptis* ejus, quorum quaedam ab ipso, qua membro congregationis S. Georgii in Alga, edita sunt, quaedam ad tem-

pora episcopatus ejus referenda. Inter priora numerantur 9 tractatus, et quidem:

a) De anno 1419. *Lignum vitae*, in quo agit de ipso ligno vitae, i. e. dono timoris ejusque radice, fide; dein de fructibus hujus ligni, i. e. duodecim virtutibus, et quidem: continentia, prudentia, justitia et charitate, quas praesidentes, de patientia, obedientia, spe et perseverantia, quas subjecti, denique de paupertate, sobrietate, humilitate et oratione, quas quiescentes (i. e. religiosi) praeprimis colere debent. Quo spiritu sanctus noster Laurentius hoc opus scribendo animatus fuerit, quidve pro scopo habuerit, sufficienter apparet ex ultimis praefationis ejus in praedictum opus, quibus Deum sic affatur, verbis: Immitte, o coelestis amor, o indeficiens fons voluptatis aeternae, radios almae sapientiae in cor servi tui, quem utcumque perfudisti intima charitate. Illustra, oro, Domine, intellectum meum, ut valeam, duce gratia tua, reserare supradictarum praeconia virtutum, effectus et perfectiones, quatenus detur legentibus forma profectus spiritualis et laudis tuae additamentum. Ad hoc enim condidisti nos, Deus noster, gaudium et fortitudo nostra, ut agrum cordis nostri excolamus, diligenti cura de ipso eradicando vitia et virtutes inserendo, ut possit tibi, factori nostro, fructum afferre justitiae; — praeterea, ut crescamus in lumine tuae veritatis et accendamur ardore tuae charitatis, ac per hoc juge modulatumque sacrificium tibi offeramus, regi saeculorum, sicque actu et affectu imitemur beatorum spiritus, qui sine cessatione tuae promunt majestati dignas laudes. — Sed quoniam, clementissime Domine, exprobrasti et improbasti per sanctum prophetam tuum

peccatorem, assumentem et proferentem justitias tuas per os suum: oro dulcedinem bonitatis tuae, ut digneris mundare cor et labia mea, quatenus pura conscientia et absque pudore annuntiare valeam verba sancta tua, tam pro tuae magnificentia gloriae, quam pro legentium utilitate. Quia non nobis, Domine, sed tibi et tuis propter te vivere debemus, qui es omnium donorum elargitor munificus et per saecula benedictus.

b) Alterum opus edidit anno 1425., cui titulus: *In disciplinam et perfectionem monasticae conversationis*, in quo docet, quibus armis spiritualibus se praemunire debeant, qui in monasterio quodam vel congregatione Deo famulari volunt; quae illos dein in monasterio agere, quae declinare, qualiter in eodem cum hostibus decertare oporteat, dein quibus exercitiis ad perfectionem valeant pervenire. O mirabilis artifex e coelo missus, exclamat S. Laurentius noster, in isto opere *), o incarnata sapientia, magister amoris! Qua arte reparas lapsos? Quibus vinculis trahis post te filios Adam, quave virtute totum legibus tuis subdis orbem? Gravia suades, contraria corpori consulis, et tamen innumeros tibi quotidie vindicas amatores; difficiliora jubes, quam olim in lege, et nihilominus innumerosiores tibi agregas sectatores; non metu mortis, non terrore judicii, non horrore gehennae sternis sub jugo tuo colla mortalium, sed solo id amore. Jugum etenim amoris tui suaviter prementis, o quam fortiter trahit, quam dulciter capit! Vis namque tua amor est tui. Non armis carnalibus, sed facibus amoris inflam-

*) Pag. 65.

mas tuorum mentes fidelium ad currendam viam mandatorum tuorum atque ad capessendam perfectionem consiliorum tuorum. — Hortatur dein vir sanctus quemlibet, qui ingredi vult monasterium, ne id attentare praesumat absque consilio eorum, qui in eodem certant stadio, nec cujusque arbitrio se committat, sed adeat virum prudentem; pugnae assuetum, virtutibus ornatum, qui magis experientia, quam sola sit edoctus scientia. Solent (ait cap. 3. pag. 67.), qui maria transfretare disponunt, qui ad nundinas pergere festinant, antequam iter aggrediantur, praeparare victualia, domum, familiam suaque ordinare negotia; quatenus quietius ea, quae agere intendunt, valeant pertractare atque debito fine concludere. Sic nimirum matura consideratione cuncta praesentia et futura praevidere debent, quicumque renuntiare saeculo et Deo militare desiderant. Studeant namque deligenti examinatione, priusquam in spirituale intrent stadium, animi sui constantiam, spei fiduciam, corporis valetudinem, status congruentiam, personarum qualitatem, internam vocationem et operis discutere finem, ne, si haec considerare neglexerint, eos contingat cum rubore a coepto proposito resilire. Raro namque contingit, quempiam esse victorem, qui sine armis congruentibus et absque prudenti circumspectione, sed sola mentis temeritate decertare praesumit. —

Utinam omnes, qui claustrum ingredi anhelant vel jam in eo sunt constituti, imo et omnes ii, qui in genere ecclesiasticum vitae statum eligunt, hocce opus diligenter legerent, imo in succum et sanguinem converterent! Profecto non tam multi inveni-

rentur, qui statu suo religioso et ecclesiastico essent incontenti, destruentes potius, quam aedificantes.

c) Secutus est eodem anno (1425.) liber *de spirituali et casto verbi animaeque connubio*. In hoc libro ostendit S. Laurentius, quomodo anima hominis, hacce in terra peregrinantis, ad Deum, propter quem creata est, ad Christum Dominum tendere ipsumque amare debeat. — Qualis amor (ait), talis merces *). Anima, quae Christum amat, amatur ab eo, eligitur in sponsam, quam dein frequenter visitat, familiariter alloquitur, dulciter amplexatur. Discedit quidem interdum ab ea; ast non, ut iratus, sed ut amore succensus. Quo enim tardius redit, eo vehementius inflammatur. Sponsa vero ex contubernio erudita verbi, plurima intelligit amoris argumenta, non tamen omnia; nam ignitus amor semper nova meditatur et insueta componit; impatiens enim cum sit, cogitare non desinit, quomodo ardentius diligat, fortius teneat, familiarius conversetur. Inde tanta hujus sancti connubii gaudia, tanta sponsae excellentia, atque donorum sublimitas, veritatis scientia, conscientiae puritas, virtutum perfectio, abundantia pacis, contemplationis gustus, morum probitas, compassio fraternae dilectionis, divinae magnitudinis laudatio. — In fine sequentia animae consilia dantur: Quod habet, teneat sponsa; non praesumat, ne perdat; non tepescat, ne repudietur; non satis habere se credat, ne fastidiat; non pervenisse se putet, ne retrogrediatur; gubernaculum prudentiae non deserat, ne praecipitet; spiritus consueta studia non deserat, ne claudatur foris; ad anteriora

*) Vide pag. 173. 175. 176.

se extendat, ne congregata amittat; futura semper concupiscat aestimatione praesentium; sic vivat, quasi quotidie in Domino moritura; de virtute proficiat in virtutem; in lumine vultus sponsi ambulet et in ipsius nomine tota die exultet — totisque praecordiorum affectibus, quem in mentis fovet gremio, desideret videre regnantem in divinitatis solio sponsum Jesum Christum, Dominum nostrum.

Quantus in his solum verbis piarum monitionum ac prudentiae christianae regularum thesaurus! Omnes, qui vitam contemplativam amant, cum gaudio et non sine fructu hunc librum pervolvent.

d) Sequenti anno (1426.) prodiit in lucem aliud opus inscriptum: *Fasciculus amoris in Coena Domini*, in quo reserare conatur magnitudinem ac dulcedinem amoris Christi, in ultimis ejus sermonibus reconditi.

Peregre profecturus quisquam paterfamilias, scribit Sanctus noster *), suis in unum vernaculis congregatis, prius quam iter arripiat, universa provida gubernatione disponit, singula officia dividit, agendorum modum ordinemque insinuat, futura praedicit pericula, se tamen reversurum praenuntiat atque ipsorum animos, nimia ne illius abscessu moestitia prostratos detineat, blandis conatur mulcere sermonibus. Multum enim proficiscentibus confert, si mente pacatam, compositam moribus familiam dereliquerint. Postquam dein ad exemplum Isaaci, Jacobi, Mosis provocasset, prosequitur: Sic in ultima saeculorum generatione Dei Sapientia in carne passibili constituta, cum in extremo vitae suae ter-

*) Pag. 184.

mino in medio suorum consederit discipulorum, perfectis rite paschalibus sacramentis tamquam delegato testamento excellentissimum de mutua servanda dilectione edidit sermonem, monita saluberrima continentem, suaeque charitatis incentivum permaximum. — Charitas Christi est igitur idea principalis in toto opere. Singula autem hujus charitatis mysteria, ultimo Christi sermone contenta, fusius dein in singulis capitibus exponuntur, ita tamen, ut propriis auctoris ideis annecti quasi videantur et opus ipsum in multas dictiones sacras synthetico modo conformatas facile resolvi queat. Quaelibet pagina testatur profundam auctoris sacrarum litterarum tum V., tum N. T. scientiam. Exempli gratia adducimus quaedam ejus verba e cap. 10. deprompta.

„Scio, inquit, et vere scio, maximas amicorum Christi esse delicias omniumque praesentis vitae delectabilium transcendere jucunditatem. Gratis utique donantur, non pro libito volentium aut quaerentium. Tribuit enim se, cui vult, et quem ipse elegerit, dilectionis suae connubio efficit dignum. Hoc plane auctoritatibus Scripturarum et potissime ex praesenti Salvatoris sententia comprobatur. Cum enim dixisset: Vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre, nota feci vobis, repente intulit: Vos non me eligistis, sed ego elegi vos. Nempe si electionem Dei hominum praecederent merita, absurda Domini sententia videretur. Fatendum est igitur, nulla in electione Dei opera bona praecedere. Ut quisque eligatur ad vitam, gratificetur ad veniam et in unitate persistat, in Dei pendet arbitrio. Quem enim praedestinavit ad gloriam, per gratiam vocando justificat. Unde et cum propheta dicit: Misericordia

ejus praeveniet me (Ps. 58, 11.). — Quae, oro, in Jacob praecesserunt merita, ut, antequam egrederetur de utero, cum Esau fratre suo decertaret et vinceret? Nondum ad lucem venerat, nil boni adhuc egerat, genitoribus ignotus erat, et tamen prioris germani plantam tenens, futurorum praesagia figurabat. Qui agnoscebat intus et diligebat in se, atque praedestinaverat ad vitam, gratiae suae portenta monstrabat. Porro in electione Dei, in juniore gratia nihil inventum est dignum, et tamen ore prophetico (Malach. 1, 3.) Dominus testatus est dicens: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Tamquam solus rex potens et Dominus dominantium in aeterno solio gloriae suae residens cum tranquillitate judicat universos. Discernit quidem merita, verum nullius omnino secernit personam, in aequitatis etenim censura disponens omnia nemini calumniam irrogat. Juxta igitur sententiam Pauli non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei praedestinationis electio etc. — Habes hic exemplum styli facilis, placidi, sicut congruit fini docentis; audi exemplum styli gravioris, quod ad finem cap. 18. occurrit. Adductis nempe verbis Christi (Joan. 17, 24.): Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi sum ego, et illi sint mecum et videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi, — hanc addit apostrophen: Audite haec, o fideles populi et potissime vos, qui militatis Christo, qui tribulationibus fatigamini et mundi pressuris ac diaboli tentationibus attriti estis, audite, inquam, quae sit nobis facta promissio, quae vestrorum merces sit futura laborum et quid de vobis suggerat Patri omnipotens Verbum. Nolite, oro, ad id, quod toleratis, aspicere,

neque intuemini, quid estis, aut quid patimini, sed quid paulo post futuri. Regem vestrum in decore suo diligite, caput vestrum in coelo praesidens agnoscite, Redemptorem vestrum, cunctorumque factorem supra sidereas mansiones inter beatorum coetus fidei oculo considerate fulgentem. Coelum vobis apertum est, coelorumque paratae sedes. Consortes vestri, patriarchae, prophetae, apostoli, martyres, triumphantes justi jam diu pervenerunt, quo tenditis, tenent, quod speratis, possident, quod amatis, et eadem, quae vobis promittitur, fruuntur sempiterna gloria, gaudent cum angelis, laetantur cum archangelis et cum universa multitudine spirituum supernorum diem festum agunt coram immortali rege suo et vestro. Vestrum etiam adventum ardentissime praestolantur. Quamobrem diligentissime observate, ne ulla labentis saeculi oblectamenta sensum evertant vestrum atque a sancto proposito, quod cepistis, faciant resilire. Nempe adversa, quae patimini, si viriliter toleratis, exiguum cum pertransierit temporis, Unigeniti Dei ac Mediatoris vestri (Christi) contemplabimini claritatem; illum namque super omnem principatum et potestatem et virtutem intelligetis evectum atque in Patris dextera residentem, vosque in illo etc. Sed jam satis de his, ut de aliis quoque operibus aliquid commemorare possimus.

e) Anno eodem (1426.) vulgatum est opus Laurentii: *De triumphali agone Mediatoris Christi.* In hoc opere, quod summa cum pietate conscriptum est, pertractat eodem, quem in antecedenti observabat opere, modo historiam passionis ac mortis Domini.

Ut sciamus, quomodo artem calluerit amplificandi Laurentius, audiamus illum in persona Simo-

nis Petri ad Dominum, pedes ejus lavare volentem, loquentem c. 3. Hoc mox, ut vidit Petrus, ad tanti expavit aspectum prodigii, seque continere non valens, voce tremula ait: Domine, tu mihi lavas pedes? Te, o Domine, cerno sine vestimento, praecinctum baltheo et dimisso poplite inclinatum. Dic, oro te, Domine, dic, quid vis facere? Numquam te vidi talia mollientem taliterque dispositum. Quae est haec novitas? Quae est haec, quam intueor, inusitata voluntas? Loquere ergo, Domine, ut audiat servus tuus, ne admiratione nimia comprehensus rapiatur extra se aut tabescat in se. Visne facere, quod opinor, quod vereor, quod nunquam me passurum esse polliceor? Tune mihi lavas pedes? Tu, inquam, qui fundasti terram super stabilitatem, qui illam foecundasti arboribus, multiplicasti frugibus, animantibusque replesti? Tu, qui omni animae viventi praestas vitam, praebes alimentum, refugium tribuis? Tu, dico, qui totum universum mirabili ratione gubernas, generationes adducens, producens foetus, emittens lucem, involvens tenebras, faciens pacem; tu qui mundum metiris palmo, aethera vibras, moves coelos, firmamentum ornas, aquas dividis, distinguis mansiones, ministeria ordinas, congregas electos, angelos mittis, beatificas spiritus atque hominum et angelorum merita subtilissima examinatione dijudicas. Tu sine initio Deus, sine comparatione pulcherrimus, sine obstaculo omnipotens, sine errore sapiens, sine personarum acceptatione justus, sine diminutione munificus, sine retributione bonus, sine macula sanctus et sine admixtione beatus; tu sempiternus, immensus, ineffabilis, dulcis, complectens omnia, videns singula, regens universa, mihi lavas

pedes? Ego tibi famulari debeo, tuaque adorare vestigia, et tu mihi lavas pedes? Desine, oro te, Domine, surge velociter, depone linteum, resume vestimenta, et ne velis lavare mihi pedes. Memento, quaeso, qualis per culpam fuerim, quàlis sim per naturam, et videbis, non esse congruum, ut laves mihi pedes. Tu, universorum Domine, mihi, omnium peccatorum minimo et maxime contemptibili, immundo, sanie delictorum scaturienti, ad bonum peragendum infirmo et proclivi ad malum, lavas pedes? Nonne tu, o Domine, de limo terrae me plasmasti et sicut lac coagulasti; pelle me vestisti et carnibus, ossibus atque nervis me compegisti? Cur mihi lavas pedes? Non possum pati neque valeo videre te prostratum ante me; quare ergo mihi lavas pedes? Altitudo divinitatis tuae et profunditas miseriarum mearum absorbuerunt me, et mihi lavas pedes? Intuere, obsecro, mi amantissime Domine, profluentes lacrymas, cordis gemitum atque mentis intolerabilem dolorem, et ne velis lavare mihi pedes. His atque hujusmodi mentis orisque clamoribus Petri commotus Dominus, placido illum admonuit sermone etc. Omnibus, qui de passione Domini tractant, opus hoc valde commendabile.

f. g) Anno 1429. edidit iterum duos tractatus: *De interiori conflictu* et *de compunctione et complanctu christianae perfectionis.* — In priori agit de interiori pugna, quam nullus hominum effugere potest, utpote quia militia est vita hominis super terram (Job. 7, 1.); notat hostes, contra quos dimicandum, arma, quibus certandum, et mercedem promissam victoribus. De diaboli tentationibus sic loquitur Laurentius (c. 5.): Imbecillis per se cognoscitur

homo, ut tam procacis adversarii valeat superare insultus. Mortalis tunicae et putrescentis carnis cum sit confusione vestitus, quomodo incorporeum spiritum debellare praesumeret? Nullo prorsus ipse diabolus molis corporeae gravatur onere, nullis parietum carcerumve praepeditur obstaculis, nulla ad tentandum fatigatione lassatur, sed semper paratus, semper accensus, semperque nocendi aviditate proclivus est. Calliditate ad deceptionem hominum utitur nimia et fucata arte decertat. Multifariis illusionum generibus diversisque tentationum phantasmatibus per momenta singula — Deo permittente — mentis impellit domum rationisque ostia intrare conatur. Ut arbitrii libertatem in servitutem redigat, nunc erroribus pulsat, nunc verbosis clamoribus minatur supplicia; hoc ut perficiat validius, formas hominum, reptilium jumentorumque varias fingit, in quorum primo aspectu humana infirmitas plurimum deterretur, sed crucis signaculo, Christi invocato nomine, liberatur. Nempe quemadmodum fluit cera a facie ignis, sic daemonum argumenta pereunt ab invocatione nominis Jesu et Mediatoris nostri. —

Quod attinet armorum praesidia, distinguit defensiva et offensiva; illis adnumerat κατ' ἐξοχην prudentiam, quam appellat (c. 6.) loricam quamdam spiritualem et ferream, quae rationalem mentem undique complectendo circumdat adeo, ut nullis eam inimicorum ictibus patere permittat; dein custodiam sensuum, scientiam propriae infirmitatis ejusque causarum (uti: somni spiritualis, animi effeminati, malae concupiscentiae), fidem in Christum, liberum hominis arbitrium cum gratia divina. Inter offensiva recenset virtutem orationis, quam arcum appellat

spiritualem, inter alia dicens (c. 10.): Nemo de victoria diffidat, cum Dei secum manum habeat praeliantem et ejus spiritum pro se praesidium flagitantem. Se erigenti quisque tantum manum praebeat et orandi desiderium non amittat. Assuescat ad refugium implorationis accurrere, quoties inimicorum suorum insultus patitur. Emineat super se et de sublimitate coelorum orationis arcu ignitas contra hostes sagittas intorqueat. — Commendat dein pag. 313. quoque ducem in certamine probatum, nempe Christum Dominum, qui oneratos reficit, peregrinantibus comes est, auxiliatur pugnantibus, clamantes audit, afflictis compatitur, compeditos solvit, coronat vincentes.

In complanctu christianae perfectionis deplorat vir sanctus damna Ecclesiae militantis, auctae quidem fidelium numero, sed depauperatae virtute, atque in haec verba erumpit c. 1. pag. 314.: Lugeant una mecum cuncti, qui divini honoris zelum habent, sumantque lamentum et dicant: Quomodo denigratum est aurum, immutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in medio omnium platearum! Quae enim affluebat deliciis, divitiis abundabat, efferebatur honoribus, fulgebat virtutibus, sanctitate pollebat, vigebat intus, foris radiabat, donis spiritualibus cumulata erat, miraculis corruscabat, sapientia supereminebat, eloquia disserebat mystica, linguis gentium loquebatur, discernebat spiritus, coelestia penetrabat, degensque in terris super coelorum conversabatur alta: nunc jacet in imis, languet in membris, in sceleribus volutatur etc. Inferius conqueritur de clero in specie et ait: Mortuus etiam mortuos sepelire valet, non autem eri-

gere et suscitare. Hinc est, quod tam pauci reviviscunt. Sunt autem plebium rectores innumeri, quibus ovium dominicarum particularis injuncta est cura, qui taliter conversantur, ut nequaquam eorum verbis, quamvis bonis, fides valeat adhiberi. Verbis quippe utilibus laudabilis vita auctoritatem praestat. Sed (proh dolor!) nec aedificationis eloquia profert moderni temporis clerus. In ipso enim clero paucissimi reperiuntur, qui honeste vivant, rariores autem, qui pabulum salutis gregibus valeant praebere fidelium. Nempe sacerdotum clericorumque maxima pars dedita jacet voluptatibus et (bestiarum more quasi degentium) parum ab illa saecularium illorum conversatio distat. Incedunt quotidie per plateas, hinc inde discurrunt, theatris et spectaculis intersunt, choreis dimissa omni gravitate se miscent, pudorem rejiciunt, turpiloquiis vacantes et nugis, habitu pompatico vestiuntur, crinibus crispatis comam contra apostolicum praeceptum et sanctiones Patrum nutriunt. Qua fronte (oro) redarguere tales possunt delicta populorum! Quomodo errantem ad semitas justitiae revocare sufficiunt! Negligentes salutem propriam, qualiter super aliorum salute vigilabunt? Alteri vix bonus esse valet, qui sibi nequam est. Corrigat sua, qui proximorum cupit errata corrigere. Isti autem, de quibus loquimur, parum de se minusque curant de caeteris. Tamquam a charitate extranei vineam Domini Sabaoth relinquunt incultam, in qua surgunt vepres, spinae oriuntur et semen verbi suffocatur. His vehementer Dominus comminatur, cum in Evangelio parabolam patris familias, qui vineam plantavit, disseruit, dicens (Matth. 21, 41.): Malos male perdet et vineam

suam dabit agricolis, qui fructum reddant temporibus suis. Audiunt ista sacerdotes, legunt eadem publice in ecclesiis, nonnulli populo pronuntiant et tamen inemendabiles permanent. Lapideum gerunt cor, obturatas habent aures, sine intellectu sunt, syllabarum tantum proferentes sonum, ab omni spirituali deficiunt gustu. Utinam sibi ipsis mali essent et aliis conarentur prodesse, ut, si non illorum vita imitabilis foret, essent tamen facienda, quae dicerent. Utroque prorsus carent, nec vitam neque scientiam habentes. Sunt omnes ignari et inscii, exceptis paucissimis, et, quod deterius est, addiscere non dignantur. Omne tempus doctrinae deditum se arbitrantur amittere, carnis voluptatibus intenti; potius eligunt vagari quotidie et confabulari, quam sacrarum scripturarum se lectioni dare, oblivioni tradentes, quod dicitur (Agg. 2, 12.): Interroga sacerdotes de lege — et illud propheticum (Malach. 2, 7.): Labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Ipsi nec interrogare volunt, neque interrogari possunt, quoniam idiotae sunt. Ad arentem fontem quis pergeret, ut aquam hauriret? Sic tales aridi non solum malum doctrinae imbrem populis propinant sitientibus, verum etiam mala consilia praestant, quibus plebeculae moriuntur. Unde superstitiones vigent, mandata contemnuntur, peccata fiunt, nisi ex incuria sacerdotum, qui, ne temporale amittant lucrum, permittunt subditis agere, quod volunt, et contradictionis seu correctionis non audent sermonem loqui? Tamquam canes muti sunt, non valentes latrare, et veluti mercenarii inutiles, videntes lupum venientem, Domini gregem deserentes fu-

giunt et sic porro. — Profecto valde deploranda facies Ecclesiae, nec mirum, quod tantum fuerit illis temporibus reformationis Ecclesiae in capite et membris desiderium. Ipse sanctus Laurentius quaedam adducit media, quibus anima reformari et ad perfectionis fastigium provehi possit, quae silentio praeterire debemus.

Anno 1431. edidit S. Laurentius librum *de vita solitaria* et anno sequenti 1432. librum *de contemptu mundi.* — Priori ostendit excellentiam vitae solitariae ejusve lucra, posteriori hortatur vario modo ad desideranda coelestia.

Praeter hos tractatus 9 prodierunt quoque anno 1431. Laurentii sermones pro solemnitatibus Domini et Sanctorum, inter quos etiam invenies sermonem in festivitate S. Hieronymi et in festo S. Hugonis Episcopi Linconiensis. Hi sermones, excepto illo de SS. Eucharistia, qui justo longior est, sunt breves, et paraenesium nostrarum formam referunt.

In episcopatu edidit Laurentius adhuc 6 tractatus et quidem: 1) de spirituali interitu et de resurrectione spirituali (l. 2.); 2) de institutione et regimine Praelatorum; 3) de obedientia; 4) de humilitate; 5) de gradibus perfectionis et 6) de incendio divini amoris.

Ex his gravitate supereminet atque ad movendos animos aptissimum est opus ultimum; nos vero (ecclesiasticos) maxime attingit illud *de institutione et regimine Praelatorum*, in quo Laurentius ostendit, quam utile et periculosum simul sit officium curae pastoralis; quae dotes in iis, qui praesident, necessariae sint; qua intentione et qua ratione se exercere et opus sibi concreditum administrare de-

beant. Scio equidem (ait vir humilis in prologo a), me prolaturum multa, quae testimonium perhibeant adversum me, cum negligam opere plurima, quae doceo adimplere. Sed forte dignabitur Dei clemenait etiam me emendare per me, dum ex aliorum eruditione redire curabo ad me, me agnoscere, me redarguere, meque corrigere. — Optandum sane, ut omnes ecclesiastici, praesertim qui in sublimitate sunt constituti, hoc opus diligenti manu pervolvant. Maximum nempe, ut aliquid tantum delibemus, (Laurentio) divinae dignationis est munus, pastorali officio ac dominici gregis regimini deputari b); — in quo tamen multi periclitentur, quod utique non dispensatori aut officio imputandum sit, sed illo (officio) male utenti c). — Non cathedra honoris est pastorale officium (secundum ideam, quam Laurentius de illo sibi efformavit), sed oneris; non securitatis, sed periculi; non quietis, sed laboris; non terreni commodi, sed spiritualis; non temporalis praemii, sed aeterni d). Non aliud est pastorale officium, quam pro ovibus sibi commissis animam ponere e) Pastor animarum sit pater prorsus omnibus, divitibus et pauperibus, nobilibus et ignobilibus, laetis et tristibus, eruditis ac rudibus pariterque ignotis ac notis f); omnes sincera affectione diligat illosque amplius, quos gratia commendat et vita; nulla in ipsis sit personarum acceptio g). Discat quotidie ob-

a) Pag. 466.
b) Pag. 472.
c) Pag. 473.
d) Pag. 489.
e) Pag. 473.
f) Pag. 506.
g) Pag. 498.

secrare pro populo, discat dominici corporis sacrosancta mysteria jugiter immolare pro plebe. — Oret pro communi illorum, quorum sibi injuncta est cura, salute; ut videlicet compuncti propria errata cognoscant, et gratiam consequantur et convertantur ad Dominum, ut de tenebris eruantur et transferantur ad lucem, ut de morte peccati resuscitati perseverent in vita. Si fame, si gladiis, si peste plectantur, tunc sine intermissione incumbat precibus seque pro populo opponat ferienti, si quo modo valeat judicis saevientis mitigare sententiam a). Omne illius studium sit, oves rationales dirigere, ut Domino serviant in sinceritate mentis, in cordis humilitate, in charitate non ficta, in conscientiae puritate, in amore virtutum, in adversorum tolerantia et in irreflexibili perseverantia boni. Habeat illorum notitiam, quaerat illorum sine relaxatione profectus, quatenus absque querela summo pastori assistant intrepidi. Admoneat igitur pastor, terreat, mulceat, feriat, instruat, consulat, ut sufficientem communi judici de sua villicatione persolvat rationem. Vae pastori, qui ovium Christi curam abjecerit ipsasque ex ignavia sua periclitari permiserit! Morientes morientur oves illasque Dominus de manu pastoris requiret b). Quemadmodum enim (pastoribus) adscribitur ad meritum universorum corona vincentium, ita contra pereuntium de ipsorum manibus requiretur sanguis, si erga eorum salutem reperti fuerint desides, atque vitae monita eisdem insinuare neglexerint c). Ex his colligitur (secundum mentem S. Laurentii),

a) Pag. 484 et 485.
b) Pag. 475.
c) Pag. 499.

quam necessaria sit pastoribus spiritualibus fides, quos oportet pro salute animarum crebris coelum pulsare gemitibus, assiduis instare orationibus, se periculis exponere, pati pro justitia, minime formidare, mortemque, si opus fuerit, nullatenus recusare hilarique animo pro aeternis bonis temporalia commutare. Quamobrem, qui animarum curam suscipient, debent totaliter se Deo committere, omnem sollicitudinem in eo ponere, qui credentibus in se corporis necessaria ministrat, spiritualia dona communicat, aeterna promittit angelicaque eos tuetur custodia a), et attendere, ne a catholica aberrent fide fiantque opprobrium hominum et abjectio plebis sibi commissae b). Praeter fidem necessarium ducit (D. Laurentius) praelato donum sapientiae, ne circumveniatur a proximo (quod praesulibus persaepe contingit, potissimum iis, qui sincero gradiuntur mentis affectu), dein ne seducatur a se ipso et ne subvertatur ab amore privato; sed in lumine sapientiae reddat cuique, quod justum est, damnet videlicet reum, et innocentem absolvat sincero libramine aequitatis c). Postulat dein S. Pater, ut quisque, et potissimum praelati (quorum conversatio, delata ad publicum, tamquam lucerna super candelabrum Ecclesiae constituta omnibus debet in exemplum lucere veritatis) studeant omni, qua valent, industria, morum gravitate nitescere, quatenus pro bonis eorum actibus Deus laudetur in illis et dominicae oves quotidie aedificentur in meliusque proficiant atque in ipsis — veluti in speculo — agnoscant, quid agere

a) Pag. 500.
b) Pag. 506.
c) Pag. 495.

quidve illas sperare oporteat a). — Quodsi autem mala dant exempla, grande ex hoc (dicit) emergit detrimentum Ecclesiae Dei digneque lugendum. Efficiuntur namque contemptibiles atque inglorii, qui summa cum veneratione debuerant a plebibus honorari tamquam discipuli Christi, duces populorum, mundi intercessores, praecones veritatis, pastores dominici gregis et fidei catholicae testes. Hinc in cordibus aspicientium oritur contemptus clavium Ecclesiae, futurae incredulitas vitae, inobedientia ecclesiasticarum sanctionum et sacrarum vilipensio scripturarum. Hinc pontificalis deridetur auctoritas, capitis et membrorum scinditur unitas, populorumque augentur scelera, dum arbitrantur sibi cuncta licere, quae a superioribus suis spiritualibus agi cognoscunt, et super haec omnia illorum vitam diffamare non desinunt. Itane, inquiunt mutuo, sunt isti nostrarum pastores et patres animarum, quorum institutionibus et exemplis nostram debeamus vitam corrigere, quorumque actus imitari? Talisne fuit doctrina Christi, cujus vicem hi gerunt in terris, talisve SS. Patrum conversatio, quorum isti super cathedram sedent? etc. b) Quamobrem (ita alloquitur pastores c. 20.) c), o pastores, qui in deliciis corporalibus, quotidianis conviviis carnisque voluptatibus enutrimini, evigilate! Expergiscimini vos, qui in Ecclesia sublimati dignitatibus, elatione inflati, ambitiosi honoribus, famae cupidi praeestis animarum regimini, et antiquum insidiantem vobis et populo observate serpentem. Accingimini lumbos mentis vestrae fortitudine

a) Pag. 490.
b) Pag. 492.
c) Pag. 506.

et corde estote parati, ut resistatis diabolo et tentationibus ejus. Abjicite (quaeso) superflua omnia temporalium facultatum, ut expeditiores sitis ad bellandum. Intendite vobis et universo gregi, in quo (ut ait apostolus) Spiritus S. posuit vos episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, quatenus bonam de ministerio vobis credito possitis reddere rationem. Non enim est nunc tempus gaudii, sed moeroris, nec quietis, sed exercitationis, nec pacis, sed pugnae. In hoc quippe exilio tamquam advenae relegati estis, non ut exultetis in saeculo, sed laboretis in vinea et quotidiana vestra lugeatis delicta, atque coelestem suspiretis Jerusalem, civitatem sanctam, matrem omnium electorum. Quam ob rem quamdiu peregrinamini in corpore, si aliquod in vobis est lumen fidei aut spei solatium vel charitatis scintilla: ad praemia debetis anhelare aeterna et pro aerumnis ac vitae hujus calamitatibus non tristari universaque carnis oblectamenta tamquam perniciosa et saluti vestrae contraria forti animo despicere. — Non enim potestis frui bonis praesentibus et futuris. Promisit namque Dominus coelorum regnum non divitibus, sed pauperibus; non dominantibus, sed mitibus; non ventris voluptatibus deditis, sed justitiam esurientibus ac sitientibus; non gaudentibus, sed lugentibus; non obscoenis cogitationibus involutis, sed corde mundis; non rixantibus et superbis, sed pacificis; non temporali felicitate florentibus sed propter justitiam et Domini nostri Jesu Christi dilectionem persecutionem patientibus. Erratis prorsus et a via, quae ducit ad vitam, supra modum elongati estis, fugitivos ambiendo honores, saeculi pacem opinionemque vulgarem. Non enim haec sta-

tui vestro, neque christianae competunt religioni, cujus professores esse debetis, ostensores atque factores.

Haec et similia in hoc libro continentur, ita ut illum longam gravemque ad munus pastorale rite exercendum exhortationem aptissime dixeris.

Caeterum, etiamsi S. Laurentius verbis et scriptis magnam in rebus theologicis eruditionem monstraverit, a *disputationibus* tamen, quae raro ad veri cognitionem, potius vero ad animi obstinationem et inanes rixas adversarium perducunt, alienissimus fuit. Rem docet exemplum. — Quidam theologus, ad cujus aures fama de divi Laurentii doctrina pervenit, accessit ad illum, periculum rei facturus. Proponit quaestionem de divinis relationibus. Laurentius respondet. Ille responsum laudans repetit adhuc, ac si cum circulatore sophista sibi agendum foret. Tum Laurentius: Scriptum est, frater, inquit: contentiones et pugnas legis devita, sunt enim inutiles et vanae; dixi, quid sentirem; si satisfeci, placet; sin minus, quaere, qui tibi respondeat sapientius. Compunctus theologus et gratias agens discessit.

Scientiae nostri S. Praesulis juncta erant acre *judicium*, singularis in tractandis rebus tum publicis tum privatis *dexteritas*, fervor ac sapientia et inconcussa in jure dicendo *justitia*. Cuivis patuit coenaculum ipsius. Accedebant multi consilium rogaturi, alii causam suam proferebant. Nec causarum multitudine, nec litigantium protervitate potuit defatigari. Amabat brevitatem respondendi, ut caeteris adeuntibus facilius satisfaceret. Quamquam in irrogandis poenis clementior esset, tali tamen fuit justitia, quae neque precibus, neque lacrymis frangi posset. Sen-

tentiae illius habebantur inappellabiles. Praesertim vero curia Romana nihil umquam ab illo judicatum rescindi passa est. In testimonium dictorum exemplum referemus.

Lis quaedam matrimonialis orta est Patavii inter familias haud vulgares, quae, uti patet ex tota narratione, circa sponsalia versabatur. Defertur ad Fantinum Episcopum (de quo jam sermo fuerat), qui causa cognita in favorem mulieris, quae virgo asserebatur, sententiam pronuntiavit. Juvenis, qui sponsionem factam pernegabat, innocentiae suae sibi conscius, Laurentium adit, qui, nonnisi lacrymis juvenis permotus, causam implorantis suscepit et post diligentem orationem, quam in causis gravioribus pro fidelissimo habebat consiliario, ex partibus viri stetit. Propinqui mulieris tertium judicem petunt et impetrant Episcopum Tarvisanum; is quoque pro muliere sententiam pronutiavit. In discrimine videbatur Laurentii sententia duabus adversis, omnesque attentius exspectabant tantae contentionis exitum, quum Deus ipse, aequissimus rerum judex, litem dirimere volens, in lucem produceret incestum mulieris, quae ex consobrino gravida facta, patefacto flagitio divinam fuisse, non humanam, Laurentii sententiam confessa est.

Enituit quoque prudentia ejus pastoralis in corrigendo quodam plebano, variis criminibus, uti furto, simonia, adulterio infami, qui, ad ultimam inopiam redactus, ita ut neque se neque filios (quos occultos habebat) alere posset, impias sibi ipsi manus afferre statuerat. Quod cum cognovisset in spiritu Laurentius, accersit illum et dicit, quid cognoverit; solatur dein verbis charitate plenis et declarat, id

accidisse permittente Domino propter ejus flagitia, et nisi resipiscat, majora minitatur; dicit dein, misereri se illius inopiae, eique aliquot donat aureos. Quam eximiam charitatem miser ille cum vidisset, utpote qui vitae male actae conscius poenas potius aliquas, quam eleemosynam exspectaret, procidit ad pedes illius, totus in lacrymas effusus ac promittens, vitam reformare ac promissum opere comprobare. — Et revera vixit postea aliquot adhuc annos, timens Dominum et in mandatis ejus incedens, ita ut mirarentur homines, qui eum antea noverant.

Charitas demum, qua oves suas prosecutus est Laurentius, vix animo concipi potest, nedum verbis explicari, quamque omni modo, docendo, monendo, hortando, jubendo atque orando manifestavit.

Quid mirum proin, quod fama hujus S. Praesulis quotidie latius atque latius diffunderetur; quodque apud omnes, domesticos et extraneos, in summa esset aestimatione. Quacumque incederet, turbae ad eum visendum concurrebant. Nemo veniebat ad urbem, qui non appeteret, hunc Praesulem videre. Cardinales, Duces ac Principes eum visitabant, ejus vitam investigabant et venerabantur. Bartholomaeus Collionus, clarissimus illa aetate dux, magnam ad eum vim auri detulit, quam in pauperes dispertiret. Franciscus Sforza, dux Mediolanensis, ejusque uxor Blanca filium suum majorem natu, adhuc impubem (Galeatium) Venetias cum misissent, illud imprimis ducibus ejus mandavere, ut puerum ad s. virum pro imponendis ei manibus deducerent, ejusque orationibus commendarent. Advenae et peregrini omnis generis et ordinis, vel qui Romam ad limina apostolorum vel in Orientem ad dominicum sepulchrum per-

gerent, tum felices auras sperabant, si benedictione hujus Praesulis accepta discederent. In maximis patriae periculis Dux et Senatus non aliter ad illius orationem, quam ad oraculum quoddam confugiebant, de cujus orationis efficacia eremita quidam, prophetiae spiritu insignis, in mediis Corcyrae rupibus et speluncis hocce testimonium edidit: Nisi pontificis vestri lacrymae interpellarent pro vobis, jam dudum, quasi Sodoma, periissetis (quia verbum Domini projecistis).

Non obstante hacce universali veneratione tamen (Deo sic permittente, ut mansuetudo Laurentii manifestior fieret) factum est, ut eum homo quidam, qui scelera alicujus clerici ab Episcopo damnata impudentius defenderat, publice infamaverit. Quum nempe in festo Corporis Christi solemni pompa Eucharistiae Sacramentum circumferret Laurentius, comitatu totius populi frequentissimo, homo ille ante ostium propriae domus consistens, transeunte Laurentio, Deum nihil veritus: En, inquit, qui pro Sancto colitur! O insani, qui talem hominem adoratis! Laurentius, non vultum, non oculos deflectens a Sacramento, progrediebatur; quidam autem pii homines, qui rei indignitate commoti cum facibus ad illius domum volebant concurrere, vix repressi sunt. Senatus autem facinus vindicavit inflicta huic praeter caeteras hac quoque poena, ut in ecclesia cathedrali praesente frequentiori populo publice super pulpito facinus suum fateretur, qui dein paulo post urbe pulsus est ac profugus oberravit.

Pontifex Eugenius saepius Laurentium apud se videre voluit; Laurentius autem metuens, ne quid sibi noceret curia Romana, semper se excusavit.

Postquam autem Eugenius Bononiam venisset, non potuit non venire. Exceptus est a Pontifice praesentibus Cardinalibus hisce verbis: Salve decus et gloria Praesulum! Ab universa autem curia maxima veneratione est habitus. Voluit eum Eugenius apud se retinere; ille vero excusatione ab imbecillitate corporis desumpta, paucos ibi moratus dies, laetus rediit. — Pari amore Nicolaus V. Pontifex Laurentium dilexit. Nam sicut ille Laurentium, cum primum potuit, Episcopum fecit, ita hic, quam primum occasio oblata est, Patriarcham creavit. Gradensi siquidem Patriarcha mortuo Patriarchatum Grado Venetias transtulit, idque nec cognita, nec postulata senatus Veneti voluntate, cum Pontifex non minus hominem, quam civitatem eo facto exornare voluisset. Res allata haud satis senatui placebat, verenti, ne spiritualis et ecclesiastica dignitas, aucta opibus et auctoritate, veteres, quas cum episcopis habuerant, discordias, renovaret; sancti autem Praesulis mansuetudo humilitasque omnem facile diremit dubitationem. Laurentius nempe sine mora adiit Ducem et Collegium declarans, se ante duodeviginti annos invitum esse Episcopum factum et a quiete sua in turbines saeculares injectum, nunc vero quietem desiderare, nec augeri pondus Praesulatus, sed potius minui; sibi itaque in animo esse, hocce novum onus, quibuscumque posset modis, deprecari, nisi forte Dux, ad quem civitatis suae dignitas pertineret, aliud sentiret, pro cujus (civitatis) de se ita meritae honore nullum laborem recusare deberet. Haecce charitati mixta humilitas sancti Praesulis omnium lacrymas excitavit. Dux, qui rem hanc antea aegerrime tulerat et jam ab Eugenio tentatam semper im-

pugnaverat, statim ex sua totiusque Collegii sententia enixe eum rogare coepit, ut libenti animo id muneris susciperet. Et sic, quod invidiosum fuerat in dignitate, ex mansuetissimis sancti viri moribus gratissimum factum est.

Ex his videtis, fratres delectissimi, quanam ratione veram ac diuturnam populi fidelis *aestimationem* ejusque amorem nobis conciliare possimus, nempe scientia et virtute, prudentia ac fervore in tractandis status nostri negotiis, justitia et aequitate, pietate et humilitate, mansuetudine ac omnes, quotquot sunt nobis concrediti, complectente charitate.

S. Laurentius non intermisit usque ad extremam senectam studere ac scribere pro gloria Dei et aedificatione populi ac fratrum suorum! Cur nos studium, piam lectionem aut scriptionem deseramus? nos, quibus contigit ultimis illis temporibus vivere, de quibus apostolus loqui videtur, cum ait (2. Timoth. 4, 4.): Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. En depictam aevi nostri conditionem! Vel ignoras, quam multis sana Ecclesiae romano-catholicae doctrina scandalo sit; quantopere illam superstitionis, contradictionis cum principiis sanae rationis, vitiati humanis additamentis verbi divini accusent, quantopere impugnent via non modo philosophica sed et historica, critica et exegetica? An ignoras, quam late serpat indifferentismus religiosus, quantopere solipsismus, rerum terrenarum studium, irrefrenata cupiditas dominetur? Non placent turbis strenui

verbi divini praecones, qui audientes terreant justis judiciis divinis, audentes in modum Joannis Baptistae dicere effeminatis voluptatum sectatoribus, usurariis, luxuriosis, inobedientibus et aliis hujus generis hominibus: Non licet! Illos amant plurimi magistros, qui flosculos proferant, vulnera cordis tegant, mellosa voce auribus pruriant, mala desideria intacta relinquant. Facile a veritate auditum avertunt et ad fabulas convertuntur. — Quid jam, quaeso, in talibus rerum adjunctis faciendum? Apostolus ait (2. Tim. 4, 5. 2.): Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple. Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. — Ergo non tacendum, non fugiendum, fratres, sed strenue laborandum! Praedicandum est publice in ecclesiae conventibus et privatim inter domesticos parietes, praedicandum evangelium Christi non in sublimitate sermonis, sed in ostensione virtutis. Convicti et inflammati (ut jam Cicero desiderat) ascendant omnes verbi divini praecones sacrum suggestum, et praedicent cum fervore et apta pronuntiatione ac viva actione Jesum Crucifixum, qui est salus omnibus credentibus in eum, Judaeis et Gentibus. Et quae praedicaverint ore, haec defendant, uberius exponant et accommodent adjunctis temporum ac personarum calamo et ostendant exemplo. Luceat lux nostra et illuminet tenebras, quae tegunt orbem illustratum, uti ferunt, infidelitate ac perversis fucatae libertatis ac autonomiae entium rationalium principiis! — Quo autem felicius conamen hoc sanctum succedat, arripiamus arma, quibus saeculum militat; discamus indefesso labore linguas vi-

vas et emortuas, varias scientias naturales et philosophicas, artem eloquentiae; simus prudentes in quolibet etiam minimo negotio, ne diffametur nomen nostrum, ne vituperetur ministerium nostrum (2. Cor. 6, 3.); alienissimi ab omni avaritia et cupiditatum illecebris; sancti et irreprehensibiles, humiles ac mansueti, qui omnem in Deo fiduciam ponant, pro fratribus orent, et pro iis pati ac mori non recusent.

Quod autem maxime necessarium, simus concordes invicem, non rixantes, non disputantes invicem et in aliam quisque partem abeuntes, cum tot ac tanti hostes unitis viribus Ecclesiam aggrediantur! — Stemus et nos uniti ac armati in castris Israel, ut possimus resistere in die malo, superare ac vincere. — Scilurus, rex Scytharum, moriturus fasciculum octoginta sagittarum colligatum sibi afferri et singulos filios, qui octoginta erant, vocari jussit, quibus cum fasciculum inprimis ligatum obtulisset et nullus ex eis frangere illum potuisset: solvi eundem et singulas sagittas singulis filiis offerri praecepit atque, ut frangerent, hortatus est, quod cum illi facile praestitissent, hanc memorabilem illis doctrinam dedit: Sic vobiscum se res habebit, o filii; quamdiu per vinculum charitatis et concordiae conjuncti manebitis, invicti eritis; imbecilles vero, si per discordiam dissoluti sua quisque commoda duntaxat quaesiveritis*). Sic et nos, fratres charissimi, invicti erimus, si vinculo fidei ac charitatis juncti unanimi conatu adversus inimicos Ecclesiae sanctae pugnaverimus, nil enim magis diabolo

*) Vide Tob. Lohner Bibl. manual. conc. part. 1. tit. 45. discordia.

odiosum concordia ac unitate. Quodsi autem quisque nostrum sua tantum et non, quae sunt Jesu Christi, quodsi laudes, honores, dignitates, commoda, proventus, voluptates quaesierimus, invidi doctrinae, prudentiae, laborum alterius: diabolus saltem de nobis ac de nobis commissis (etiamsi nunquam de universa Ecclesia) triumphabit. Tu times pugnam, dilecte! Suspice oculo fidei patens coelum, intuere Jesum Crucifixum sedentem a dextris Patris sui et Sanctos cum ipso regnantes, videntes pugnam nostram, et deposito metu aggredi pugnam ne verearis *). Noli formidare adversarios tuos. Majora minantur, quam efficere possunt. Si Deus pro nobis, quis contra nos? (Rom. 8, 31.) Incipe proeliari viriliter et insuperabilis eris. — Quoniam autem victoria et salus nostra unice a gratia Dei dependet, ideo quotidie supplices ad Deum tollamus manus, flagitantes, ut mittat Spiritum sanctum nobis, qui nos illuminet, confortet ac consoletur in spirituali hac pugna pro gloria Dei et salute animarum.

IX. Ultima vitae divi Laurentii momenta.

Agebat jam Laurentius annum quartum supra septuagesimum, corpore quidem imbecillo et tenui, sensibus autem integris et sine ullo vitio valetudinis, nisi quod ingravescens aetas additis inediae, vigiliae algorisque ab ipsa adolescentia susceptis incommodis totum corpus pariter attriverat. Ille vero de consueta vivendi ratione nihil immutabat, continuo legens, scribens, homines audiens ac severe corpus suum tractans. Quodam autem die, cum sumpto cibo de more cum nepote suo deambularet, quam libenter,

*) Vide Op. D. Laur. Just. pag. 71.

inquit, abirem, si Domino placeret; neque enim melior sum, quam patres mei; sed tu, bone Jesu, obsequi non debes voluntati meae, sed utilitati populi tui.

Ecce hic animam, Paulo, Martino aliisque viris sanctis similem, desiderantem quidem esse cum Christo, labores vero non recusantem! Placuit autem Deo exaudire tunc preces ejus.

Paucos post dies accerrima correptus est febri. Parant lectum. Laurentius, commotior et indignanti similis, mihine, ait, plumam paratis? Qui mollibus sternuntur, in domibus regum sunt; non in pluma Dominus meus, sed in durissimo ligno cubavit. Annon meministis, quid beatus Martinus in re simili responderit? Non decere christianum hominem mori, nisi in cinere et cilicio. Nihil igitur proficientes domestici ad ejus mattam eum detulerunt. Cum autem ministrantium studium ac fervorem videret et nec medicis nec pecuniae parci: en, dicebat, quanta ob hujus sacci vilis sanitatem parantur, quanta perduntur, cum interea pauperes Christi non panem, non stratum nec ignem habeant, ubi calefiant.

Verum in hisce conspicimus discipulum Christi, qui in mortificatione sui perseverat usque ad mortem et, propriorum immemor dolorum, aliis compatitur egentibus.

Intellexerat autem vir sanctus, migrationis diem advenisse. Hactenus, filii, ajebat, per jocum res acta est; serio nunc agitur. Prope est sponsus, eundum illi obviam et, sublatis oculis in coelum, venio, inquit, ad te, bone Jesu! Mutuo dein (observantibus ministris) se excipiebant in illo actus

desiderii gaudii coelestis et actus timoris stricti judicii divini. Cum lacrymari videret suos: abite, ajebat, hinc cum vestris lacrymis; tempus laetitiae est, non lacrymarum. Ad verba autem nepotis: Quam laeto animo migrare debes, o pater, cui palma coelorum parata est! reposuit: Decerni, fili, fortibus solet haec palma; non ignavis meique similibus.

Haec est recta hominis christiani ad mortem dispositio. Cum nemo de salute sua securus sit, timere debet justum judicium divinum. Cogitans autem misericordiam Dei et infinita merita Christi, sperare debet coronam vitae, ut nec timor in desperationem degeneret nec spes in temeritatem.

Postulavit dein Laurentius ad sacellum deferri et sacramentis Ecclesiae muniri, jussitve, post mortem sese sine ulla pompa (quod iterato inculcavit) ad monasterium suum (quod est extra civitatem) efferri ibique in sepulchris fratrum reponi. — Novum argumentum, quantum paupertatem evangelicam atque humilitatem amaverit. — Suscepta paulo ante diem sacri olei unctione sermonem habuit de utilitate mortis ac coelesti vita his fere verbis conceptum: Videtis, o filii, horam meam advenisse. Benedictus Deus, qui eam tandem advenire voluit, cum nulla sit alia via, quae ducat in coelum. Si in hac vita tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Sed absit a nobis tam stulta cogitatio! Christus pro nobis mortuus est, primitiae dormientium. Pudeat nos mortem timere, cum Dominus noster propter nos mori voluerit. Hunc diem semper ante oculos habui. Tu scis, Domine, quamquam, dum vitam meam considero, confusio potius vit appellanda, quam vita. Sed in spiritu humilitatis suscipe

inquit, abirem, si Domino placeret;
melior sum, quam patres mei; sed tu
obsequi non debes voluntati meae, se
puli tui.

Ecce hic animam, Paulo, Ma
sanctis similem, desiderantem
Christo, labores vero non recu
tem Deo exaudire tunc prece

Paucos post dies accer
Parant lectum. Laurentius
similis, mihine, ait, pl
bus sternuntur, in do … uen-
pluma Dominus meu … en aliqua
bavit. Annon memi … issimae mensae
re simili responde … heu! quam nimium,
minem mori, nis … ecti tui loculum aliquem
proficientes dor … o non negaveris. Conversus
runt. Cum au … adstantes: Vos, inquit, interea,
rem videret … omini praecepta. Omnis enim caro
dicebat, q … omnis gloria ejus tamquam flos foeni.
rantur, … mini me. Ecce aruit foenum et flos ejus
Christi … credite mihi, nihil est praestantius, quam
ubi ca … Domino. — Haec cum dixisset, sublato pau-
qui … caligantibus oculis: Benedicat, in-
et … vobis Dominus Jesus, fratres et viscera mea,
… filiis meis, qui absunt, quos in Domino
… det vobis cor, ut colatis eum; aperiat ani-
… in lege sua, neque vos deserat in tempore
… benedicat principi nostro et universo senatui,
… commissi sibi principatus ad honorem Dei
… commune omnium ordinum bonum sibi traditam
…dentur. Benedicat denique populo meo, cujus

amorem, pacem, concordiam Dominus in dies magis magisque conservare et augere dignetur! —

Hacce oratione easdem expressit Laurentius affectiones humilitatis coram Deo, fiduciae in Christo Jesu, suamque pastoralem solertiam demonstravit. Profecto, quos dilexit, in finem dilexit eos.

Dilucescere coeperat et jam antea percrebuerat, vivere diutius eum non posse. Mota igitur est universa civitas. Canonici quidam primo diluculo sunt ingressi, quos cum cognovisset, veniam petiit ab iis, si muneri suo non satisfecisset. Divinum honorem dein commendabat illis, et ecclesiae cultum, tum ut mutuam inter se charitatem servarent. Postremo rogabat, ut in divinis officiis ipsius meminissent. Paulo post procuratores S. Marci ingressi sunt et alii principes civitatis, sacerdotes et religiosi viri. Nullus denique civitatis ordo arceri foribus potuit. Loquebatur unicuique aliquid ad salutem. Procuratoribus et principibus pauperes et justitiam, sacerdotibus honorem Dei, negotiatoribus charitatem, advocatis pauperum causas, singulis denique officiorum suorum munera commendabat. Per totum biduum loquebatur et benedicebat; neminem respuit, omnes pari fronte suscepit, ut neque pauperis, neque divitis, neque ecclesiastici, neque saecularis ulla apud eum videretur esse distinctio. Plura interea praedixit memoratu digna, quae eventus comprobavit. Filio suo charissimo Marcello (qui Laurentium sic diligebat, ut palam diceret, se nullo modo illi supervicturum) submissa voce dicebat: Marcelle, quid de discessu meo cruciaris? Ego quidem praecedo, sed tu me propediem sequeris. Sic Domino placitum est, ut hoc paschate nos iterum mutuo amplexemur.

me, bone Jesu, vita et salus animae meae! Neque enim in justificationibus meis prosterno preces meas ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Illa ego ovis amissa ad te, pastor, redeo. Vocem tuam novi, non alienorum; peto, Domine, ut ad ovile me reducas. Potesne spernere vocem clamantis et confugientis ad te? Nonne tu es ille, qui dixisti: Clamabit ad me et ego exaudiam illum, cum ipso sum in tribulatione. Ecce clamo plus corde quam ore, Domine; ecce tribulatio proxima est, et non est, qui eripiat, nisi tu, bone Jesu! Sed neque felicium spirituum sedes affectare ausim, qui speciem intuentur sanctissimae Trinitatis. Portio tamen aliqua creaturae tuae postulat micas suavissimae mensae tuae. Nimium mihi fuerit, et heu! quam nimium, si subtus calceos infimi electi tui loculum aliquem huic pusillo tuo servulo non negaveris. Conversus deinde paululum ad adstantes: Vos, inquit, interea, fratres, servate Domini praecepta. Omnis enim caro foenum est et omnis gloria ejus tamquam flos foeni. Contemplamini me. Ecce aruit foenum et flos ejus cecidit. Sed credite mihi, nihil est praestantius, quam servire Domino. — Haec cum dixisset, sublato paulisper brachio, caligantibus oculis: Benedicat, inquit, vobis Dominus Jesus, fratres et viscera mea, et benedicat filiis meis, qui absunt, quos in Domino parturii; det vobis cor, ut colatis eum; aperiat animum in lege sua, neque vos deserat in tempore malo; benedicat principi nostro et universo senatui, ut sortem commissi sibi principatus ad honorem Dei et commune omnium ordinum bonum sibi traditam recordentur. Benedicat denique populo meo, cujus

amorem, pacem, concordiam Dominus in dies magis magisque conservare et augere dignetur! —

Hacce oratione easdem expressit Laurentius affectiones humilitatis coram Deo, fiduciae in Christo Jesu, suamque pastoralem solertiam demonstravit. Profecto, quos dilexit, in finem dilexit eos.

Dilucescere coeperat et jam antea percrebuerat, vivere diutius eum non posse. Mota igitur est universa civitas. Canonici quidam primo diluculo sunt ingressi, quos cum cognovisset, veniam petiit ab iis, si muneri suo non satisfecisset. Divinum honorem dein commendabat illis, et ecclesiae cultum, tum ut mutuam inter se charitatem servarent. Postremo rogabat, ut in divinis officiis ipsius meminissent. Paulo post procuratores S. Marci ingressi sunt et alii principes civitatis, sacerdotes et religiosi viri. Nullus denique civitatis ordo arceri foribus potuit. Loquebatur unicuique aliquid ad salutem. Procuratoribus et principibus pauperes et justitiam, sacerdotibus honorem Dei, negotiatoribus charitatem, advocatis pauperum causas, singulis denique officiorum suorum munera commendabat. Per totum biduum loquebatur et benedicebat; neminem respuit, omnes pari fronte suscepit, ut neque pauperis, neque divitis, neque ecclesiastici, neque saecularis ulla apud eum videretur esse distinctio. Plura interea praedixit memoratu digna, quae eventus comprobavit. Filio suo charissimo Marcello (qui Laurentium sic diligebat, ut palam diceret, se nullo modo illi supervicturum) submissa voce dicebat: Marcelle, quid de discessu meo cruciaris? Ego quidem praecedo, sed tu me propediem sequeris. Sic Domino placitum est, ut hoc paschate nos iterum mutuo amplexemur.

Quod et factum est. Alteri autem filio Hieronymo graviter laboranti et a medicis derelicto salutem praedixit, qui paulo post pristinae valetudini est restitutus. — Sed jam dissolvebantur arctissima illa vincula carnis et spiritus. Claudere paulatim coepit oculos, facie quadam hilariori, et membra omnia explicare, quasi de labore ad requiem transiturus. Hic finis sancti Praesulis, vere felix, fere beatus.

Sic vivamus, fratres, sicuti divus Laurentius, et noster quoque exitus felix erit ac beatus. Nihil praestantius agebat Laurentius, quam servire Deo. Hoc docuit, hoc moribundus suis inculcavit, hoc ipse praestitit. Serviamus et nos Domino, serviamus sincere ac fideliter Christo. Quid enim excellentius hacce servitute? Sermo non explicat, animus non capit, mens non apprehendit hujus sanctae servitutis praeconia. Reliqua praetereunt omnia, haec inconcussa persistit. Cetera curis et timoribus sunt plena; haec pace et gaudio referta. Christo servire, regnare est *). Laurentius diem mortis semper prae oculis habuit atque ad eam tota vita sua se praeparavit. Idem et nos faciamus. Laurentius dilexit suos usque ad mortem. Diligamus et nos invicem et, qui nobis commissi fuerint, usque ad mortem; moneamus, instruamus illos et benedicamus illis usque ad extremum vitae halitum et Deus pacis et charitatis erit nobiscum hic et in aeternum.

Corpus emortui ob multitudinem populi concurrentis et vi paene fores effringentis subito in ecclesiam deferri debuit. Tanta feretrum continuo circumstetit multitudo, ut sola sese comprimentium et impellentium turba a gradibus chori usque ad

*) Vide in Missa pro pace postcom.

valvas ecclesiae amotum fuerit; insuper discissae vestes, sublati calcei, omnia ad venerationem direpta.

Expletis officiis lis orta est inter canonicos ecclesiae patriarchalis et fratres S. Georgii in Alga de loco sepulturae. Hi provocarunt ad mandatum S. Praesulis ante mortem suam editum et repetitum, ut in monasterio fratrum suorum extra civitatem sepeliretur; illi ad sacros canones statuentes, ut Praelati in propriis ecclesiis sepelirentur, ideoque non semper defunctorum ordinationibus parendum. Interim igitur, cum lis mox dirimi non posset, corpus Laurentii in ecclesiae sacrario repositum est. Cum autem post 5, 6 dies nec corruptionis aliquid, nec foetoris appareret, de novo tali miraculo (sicut omnes medici, praesertim autem Gerardus Veronensis testati sunt) excitata civitas accurrit; vident venientes, exquirunt diligentius, an sit unguentis corpus delibutum, omnia membra contrectant; attamen nihil artis, nihil pigmenti apparet, nihil rigoris in membris, foetoris longe minus; quin potius odorem suavissimum membra illa spirare videbantur; imo post biduum rubescere genae visae sunt. Ideo necesse fuit, 8vo post mortem die corpus iterum in ecclesiam deferri ad exsatiandos populi oculos. Dein iterum in sacrario, quod cuilibet patebat, repositum, ubi per 40 adhuc dies incorruptum permansit; septimo autem supra sexagesimum die, 17. Martii, cum jam satis commode servari non posse videretur, cum omni honore sepulturae traditum in ecclesia patriarchali.

Auditis dein miraculis ad mandatum Sixti IV. Pontificis negotium canonizationis Laurentii Justiniani inchoatum et (cum casu quodam acta processus igne cremata fuissent) ad mandatum Leonis Papae X.

et Hadriani VI. Pontificis reassumptum, nec tamen ad finem perductum est. Anno dein 1524. concessit Clemens VII., ut imago Laurentii Justiniani tanquam Beati, in ecclesiis, domibus fidelium depingi; et in omnibus ecclesiis dominii Venetorum singulis annis, ea, qua ad Dominum migravit, die officium de Pontifice Confessore sub nomine ejusdem Beati Laurentii celebrari ac in missis commemoratio sub ejusdem nomine recitari ab omnibus, qui illud celebrare et recitare voluerint, possit. Clemens VIII. anno 1598. Congregationi S. Georgii in Alga officium proprium et missam propriam in festo Beati Laurentii Justiniani ejusque octavam indulsit. Alexander demum VIII. Beatum Laurentium Sanctorum numero adscripsit, Innocentius vero XII. quintam Septembris diem, qua vir sanctus ad episcopalem cathedram fuerat evectus, celebrando illius festo assignavit.

Ita Deus Optimus Maximus semet ipsum in vita divi Laurentii Justiniani clarificavit atque omnibus fidelibus, praeprimis autem pastoribus, huncce fidelem servum ad imitandum proposuit. Laudemus igitur et nos, fratres perdilecti, Deum, qui mirabilis est in Sanctis suis; faciamus firmum, vestigia Laurentii sequendi, propositum ejusque piis suffragiis nos commendemus, ut precibus ejus ac meritis gratiam perseverantiae in fide ac bonis operibus obtineamus hisce in terris et salutem consequamur aeternam in coelis.

Oratio Ecclesiae.

Da quaesumus, omnipotens Deus, ut Beati Laurentii, Confessoris tui atque Pontificis, veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

O. A. M. D. Gl. B. M. V. OO. SS. H.



Index.

Typis viduae Antonii Pichler.

